1596

WiMBP
Opole
N. MBP I
Opole

71 St.

Akc VI 396/34/62/C

EXPLICATIO
EPISTOLÆ PAVLI AD GALATAS.

Authore
TILEMANO HESHVSIO.

Psal. 119.
Omnis consummationis vidi finem sed latum mandatum tuum valde.

IN ACADEMIA IVLIA, quæ est Helmstadij.

Typis Iacobi Lucij.

ANNO

M. D. LXXIX.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO VVILHELMO, DVCI Brunſwicenſium & Luneburgenſium, Domino ſuo clementiſſimo.

SALVTEM à FILIO DEI Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui nobiſcum eſt omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi. Illuſtriſſime Princeps, Domine clementiſſime, omnibus ætatibus inde vſq; à prima hominum memoria, acerrimè diſputatum eſt in mundo, quæ nam eſſet hominis coram Deo iuſticia, quam iræ Dei opponere poſſit, & qua vitam æternam conſequatur. Cain fidens ſuis viribus & operibus, diſſidet ſtatim à fratre Abele,

omnem fiduciam iusticiæ in promisso mediatore collocante. Gentes certamine perpetuo oppoſuerunt ſe Eccleſiæ, ac contenderunt virtute & operibus placari numinis iram: & impetrari aditum ad cæleſtem cum Deo conſuetudinem. Cicero ſapientiſſimè dicere ſibi & ſuis videtur: cum inquit, iuſticiam cole & pietatem: ea vita via eſt in cælum. Quanti negocy faceſſerunt Prophetis homines in Eccleſia fanatici, qui populum docuerunt fidere operibus legis, ſacrificys ac ingenys: fidei verò doctrinam planè obliteraerunt! Phariſæorum opinio fuit, legis Moſaicæ obſeruatione, varijs operibus & ſacrificys, Deum ita promerendum eſſe, vt ex debito vitam conferat æternam. Hanc opinionem mordicus adeò defendunt, vt doctrinam Ieſu Chriſti

Chriſti filij Dei, de gratuita Dei miſericordia & de mediatoris beneficijs, non ſolùm pro deliramentis habeant, ſed etiam palám blaſphemiæ inſimulent.

Paulo Apoſtolo quàm graue certamen fuerit cum pſeudoapoſtolis, de iuſticia hominis coram Deo, cum aliæ eius epiſtolæ nos doceant, tum in primis hæc ad Galatas ſcripta. Nec conquieuit hòc bellum, licet filius Dei Ieſus Chriſtus de cælo allatam ſententiam patefecerit: Et apoſtoli doctrinam de iuſtificatione hominis luculentiſſimè expoſuerint. Origenes, Pelagius, Cæleſtinus, Caſsianus, & aly permulti turbarunt rurſus fontes Iſrael cæno: & rationis humanæ figmenta diuinis oraculis antepoſuerunt. Scholaſtici doctores, vt vocantur, cum Monachorum grege, aliam nec norunt, nec

intelligere possunt iusticiam, quàm quæ in virtutis consistat alacri studio: & & cum rationis congruat iudicio. Nostra memoria summum certamen fuit, quod etiamnum viget, de iusticia hominis coram Deo, qua Deo sit acceptus, & in seuero eius iudicio consistere possit intrepidus. Quantis fulminibus! quot anathematis! quàm diris execrationbus! Tridentina synodus impugnat nostrarum Ecclesiarum doctrinam, de gratuita hominis iustificatione per fidem. Nec verò tantùm à manifestis hostibus veritatis impetimur ob fidei doctrinam: Verùm etiam in ipso Ecclesiæ gremio tumultus excitatur à fanaticis hominibus, cum de alijs fidei articulis, tum inprimis de hac controuersia.

Admirando, & ineffabili beneficio adfecit Deus Ecclesiam, dum in formula

mula consensionis ex solidis sacræ scripturæ fundamentis corruptelæ, quæ doctrinam de iusticia fidei adulterabant, refelluntur, salutaris verò doctrina de cælo patefacta, de iusticia hominis coram Deo, liquidissimè proponitur, & scripturæ testimonijs & exemplis munitur. Quid ergo? iam ne nos decet esse securos, & in vtramq; dormire aurem, quia nulla nobis sint in Ecclesia metuenda certamina? Optanda quidem Ecclesiæ esset tanta felicitas, & tranquillitas. Verùm sperari ea nullo modo potest. Non enim quiescit impurus ille spiritus, salutis nostræ iuratus hostis, insidias struere veritati, & salutis nostræ fontem turbare atq; inficere. Nec desunt illi organa vllo tempore, homines fanatici, quibus vnicum est studium conuellere veritatis sinceram doctrinã:

& opiniones falsas in animos hominum serere. Reuerendus & sanctæ memoriæ, vir Martinus Lutherus, quàm ardenti pietatis zelo ex densissimis tenebris scholasticorum eruit doctrinam de iustitia fidei! Quàm indefesso studio, eam contra omnes aduersarios propugnauit! Quanta non solùm ingenij dexteritate, sed multò magis donorum spiritus sancti excellentia, summum hunc fidei articulum, de iustitia illustrauit! Quanta diligentia, sollicitudine, seueritate, monuit suos auditores, vt huius doctrinæ sinceritatem tuerentur! & tamen statim post obitum Lutheri, irrepserunt in Ecclesiam variæ corruptelæ, quæ summam consolationem huius doctrinæ obfuscarunt. Alius introduxit, opera adeò esse necessaria ad salutem, vt nemo sine ijs saluari possit: Alius

Alius finxit, essentiali Dei iustitia nos saluari. Et adeò subtili colore pinxit suum errorem, vt longo tempore etiam exercitatissimi Theologi eum deprehendere nequiuerint: Alius summè necessariam particulam excluisiuam, sola fide, explosit ex hoc articulo: Alius adserere ausus fuit, Nos principaliter propter beneficia mediatoris saluari: Alius contendit non sola fide fieri applicationem; sed fide, & alijs pœnitentiæ partibus, & operibus dilectionis: Alij finxerunt duas esse iustificationis partes. Et hæ corruptelæ magno supercilio sunt propositæ: quis ergo nunc speret quieturos fanaticos spiritus? Vt ergo fuerunt, & nunc sunt: sic & futura sunt certamina de iustitia fidei, vsq; ad extremum mundi iudicium. Monstri sanè simile

est, in tanta Euangelij luce, quantam mundus inde vsq; à temporibus Apostolorum per multa secula non vidit, bardissimos errores pontificiorum, de merito congrui, & condigni: de iusticia operum, & meritis humanis: tanta pertinacia defendi. Cùm gratuita Dei misericordia in Euangelio luculentissimè explicetur, & scripturæ testimonijs doceatur. Christi verò mediatoris officia, & beneficia splendidissimè exponantur. Verùm mundus mendacio & erroribus delectatur. Cùm ergo nihil sit certius: siquidem & Spiritus Dei per Apostolos prædixerit, ita fore vt postremis temporibus multi deficiant à fide, & doctrinis dæmoniorum adhæreant: quàm deinceps quoq; exoritura certamina de iusticia hominis coram Deo:

Deo: perneceſſarium eſt, vt hæc epiſtola Pauli non ſolùm in Eccleſijs & ſcholis adſiduè proponatur: verùm etiam ſingulis pijs quàm familiariſſimè ſit nota. In hac enim epiſtola ſplendidè & luculenter exponit Paulus, quæ res noſtra ſit coram Deo iuſticia. Idem facit & in Epiſtola ad Romanos, & quidem multò copioſius: ſiquidem præcipua capita totius Chriſtianæ religionis fuſè explicat, & totius doctrinæ fontem aperit: Verùm in hac Epiſtola, vt eſt aliquantò breuior, ita multò neruoſius tractat hanc controuerſiam: Et quia manum conſerit cum aduerſarijs pſeudoapoſtolis, qui Pauli doctrinã ſuſpectã reddiderant: et corruptelas in eccleſiã ſpargebant, multò pluribus argumẽtis ſuam probat ſententiam, et munit cauſam, quàm in Ep. ad Ro. Non facilè vllo

vllo scriptore tractatus reperietur, qui adeò refertus ac constipatus sit argumentis, atq; est tertium caput epistolæ ad Galat. Docet etiam nos Apostolus Paulus in hac epistola, quàm non sit tutum silentio præterire, & dissimulare errorum semina, quæ à præstigiatoribus in Ecclesia sparguntur. falsa enim doctrina veluti gangræna mox latè serpit, & vbi semel simpliciorum occupauit mentes, difficulter euelli potest. Pauli itaq; exemplo obuiam eundum est falsis doctoribus, eorum præstigiæ detegendæ, & errores firmis sacræ scripturæ testimonijs conuincendi. Viri politici grauissimè offenduntur certaminibus, ac contentionibus in Ecclesia: metuunt enim ne doctorum dissensio, & acris σύρριξις simul & Reipub: conuellat statum. Ac negari sanè non

non potest sæpe dissensionibus de religione, Respub: & florentissima regna in grauissimas perturbationes conyci. Nihilominus doctrinæ sinceritas contra fanaticos doctores adserenda est: Ipsa enim hominum salus in puritate doctrinæ continetur. Itaq; grauiter Hieronymus: Ilico vt scorpius apparuerit conterendus est: fides moram non patitur. Ipsos dissensionum, & perturbationum authores summa diligentia inquirere, & iusta seueritate coercere: pijs verò doctoribus, qui se tanquam murum obyciunt erroribus, patrocinium & defensionem præstare debebant. Ab his enim nulla Reipub: perturbatio metuenda est. Sed mundum à iudicio Spiritus alienum esse, miretur nemo, cùm non ducatur spiritu sancto. Interea nos, qui tot certaminibus fagitamur, confir-

memus

memus nos Pauli exemplo. Vt ergo iuuentus hanc epistolam sibi quàm familiarissimè notam faceret: non solùm eius interpretationem in schola proposui: verùm etiam typis euulgari sum passus. Lutherus sanè luculentissimè, & spiritu vberrimo exposuit hanc epistolam: Ac hortor quanta possum diligentia, vt non solùm scholastici, sed etiam omnes pij, qui modò literas degustarunt, aliquoties legant Lutheri commentarium. Doctrinam enim de discrimine legis & Euangelij, de vero legis vsu: de officio, & beneficijs mediatoris: de gratuita hominis iustificatione coram Deo: de abrogatione legis: & similia doctrinæ capita, splendidissimè & copiosissimè magno Spiritu exposuit. Non tamen existimandum est, frustraneum suscipi laborem, si quis vlterius

terius Paulum interpretetur, & doctrinæ amplitudinem, quæ sententijs Paulinis continetur, ostendat, inexhaustum enim pelagus est sacra scriptura. Et fontes Israel quantò à pluribus hauriuntur, tantò fluunt vberius. Immensa est sapientia spiritus sancti, quam nobis proponit per Apostolos, & Prophetas. si quis attentè & accuratè legit Lutheri commentarium in Epistolam ad Galatas, eum non pœnitebit, si & huius enarrationis lectionem non negligat. Equidem operam dedi in hoc commentario, vt verborum pondera diligenter expenderem: Habet enim Paulus in Epistolis Phrases peculiares, plenas spiritu, & doctrina refertas: tum vt disputationis seriem accuratè monstrarem: Plurimũ enim iuuat ad intelligendũ prophetica & apostolica scripta, videre

videre quo ordine doctrinarum partes tradantur, & quomodo singula inter se cohæreant membra: Sedes quoq; argumentorum, quibus Paulus, pseudoapostolorum fulcra elidit: suam verò sententiam validissimè munit, quanta potui diligentia, monstraui. Atq; ad iuuentutis scholasticæ captum singula accommodaui. Quare non dubito aliquem saltem fructum ex hoc meo labore redituru ad Ecclesiam. Hoc præterea consilio hunc meum commentarium in lucem edo. Cùm Satanas per sua organa, pontificios scriptores, & sectarios: statuat nec modum, nec finem blasphemiarum ac corruptelarum: officij sanè nostri est, qui in specula collocati sumus, publicis eum testimonijs coram Ecclesia repellere, & sinceræ veritati patrocinari. Ad hæc grauis mihi necessitas

imponi-

imponitur, mittendi in lucem mea qualiacunq; scripta. Passim enim nota sunt multiplicia mea exilia, & ærumnæ assiduæ: Ex quibus homines prophani argumentantur, fieri non posse, vt graui culpa vacem, cùm præ alijs Theologis tam multorum hominum odio, & tot persequutionibus premar. Verùm eiusmodi iudices quid faciunt aliud, quàm quòd domestico testimonio suam produnt impietatem: & quàm sint à sincera in Christum fide alieni, demonstrant? Si exiliorum multitudo & ærumnarum moles infallibile est grauis culpæ argumentum: An igitur Christum filium Dei, apostolos & prophetas, & totam Dei electam Ecclesiam, quæ in mundi imperijs subinde exulauit, & quæ omnium calamitatum, & miseriarum tempestatibus acta subinde fuit, insimula-

bunt magnorum delictorum? fieri non potest, vt vel scintilla fidei luceat in isto homine, qui tantùm ex miseriis, cruce, persecutionibus & exilijs pastorum statuit, oportere eos magnorum criminum reos esse. Eadem enim censura Christum mediatorem, & omnes Dei filios atrociſsimè condemnant. Et quî fieri potest, vt is ex cruce, & probrosiſsima morte Iesu Christi salutem speret, qui cruce ipsa offenditur, & grauis culpæ argumentum esse statuit? Eoq; magis miror, non solùm viros politicos cruce & exilijs, tanquam scandalo, offendi: verùm etiam magni nominis Theologos, exilia & ærumnas mihi obyciendo me in criminum suspicionem apud Ecclesiam adducere, conari. Certè vt pœna non facit martyrem Christi, sed causa: ita nec ærumnæ culpam de-

monstrant.

monstrant. Aut ergo doctrinæ falsitatem euincere, aut vitæ impuritatem demonstrare debebant, si colligere vellent, me culpa mea tot attraxisse exilia & ærumnas. Qualis sit mea vita, multis in Germania Ecclesijs perspectum est. Equidem fateor me non esse ἀναμάρτητον. Non eximo me de eorum numero, de quibus sapiens Rex inquit: Non est in terris, qui cùm bona faciat, non etiam peccet. Veruntamen hac conscientia in precatione ad Deum lætor, me Ecclesiæ Christi vita mea non esse offendiculo. Iniquitatem si aspexissem corde meo, non exaudiret Dominus, Psal. 65. Et munda est in conspectu Domini oratio mea, Iob. 16. Quæ verò mea sit fides & confessio de Deo & mediatore Iesu Christo, variæ lucubrationes meæ, quæ extant, docent. De

singulis

singulis fidei articulis, & de nostrorum temporum controuersijs, sententiam meam aliquoties disertè, sine omni ambiguitate, vel occultatione, quanta potui perspicuitate exposui. Atq; hanc ob causam & hunc commentarium in Epistolam Pauli ad Galatas in lucem mitto, vt vniuersæ Ecclesiæ Iesu Christi constet, quæ mea sit fides & confessio: quidnam in scholis & Ecclesijs profitear. Præcipua enim capita doctrinæ cælestis in hoc commentario repetuntur. Ac sanè æquitas ipsa postulat, vt de mea doctrina & professione non ex ambitiosorum Sycophantarum calumnia, sed apertis lucubrationum mearum testimonijs fiat iudicium. Spero igitur meo commentario obstructum iri os sycophantarum, qui virulentis calumnijs confessionem meam suspectam Ecclesiæ conantur reddere. Sub-

Subijcio autem hunc meum commentarium, vt reliquas omnes lucubrationes meas, iudicio Ecclesiæ Augustanam confessionem & concordiæ formulam amplectentis. Nullius erroris aut falsi dogmatis mihi sum conscius: Nec ego vel vllius nouæ sententiæ, vel inusitatæ phraseos author sum, nec haberi volo. Mediocri enim diligentiæ & studio ὑποτυπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, in Ecclesia retinere, & conseruare studeo. Si quis tamen existimat me alicubi minus commodè, aut non satis circumspectè loqui: Vt aliquando etiam exercitatissimus & accuratissimus scriptoribus ἀκυρολογία quædam præter voluntatem excidit, de qua admoniti non grauatim eam emendant: is fraterno & candido pectore me admoneat: si intellexero monitorem sacræ scripturæ consentanea proferre, & incommoditatis iustam monstrare causam: adeò illi non succẽsebo, vt pro hoc pietatis officio magnas sim acturus gratias: & piæ ac eruditæ admonitioni locum daturus. Hunc verò commentarium, illustrissime princeps, Domine cle-

ne clementissime, celsitudinis tuæ patrocinio commendo. Decet enim principes Christianos, & innocentum pastorum, & bonorum scriptorum susciperè defensionem, vt à maleuolorum deformationibus tuta tantò ampliores in Ecclesia fructus proferant. Tua celsitudo intelligit fundamenta totius nostræ religionis: Et assiduè versatur in lectione sacrorum librorum, vt iudicium de controuersijs religionis confirmet, & fidem suam aduersus omnis generis præstigias muniat. Tuæ etiam celsit: patrocinio & opera in vniuersa Ecclesia Luneburgensis diœceseos, admirando & laudabili consensu docentium, sonat incorrupta vox Euangelij. Quæ sanè pietatis sinceræ in celsitudine tua admodum illustria sunt documenta. Multorum etiam amicorum literis mihi significatum est, celsitudinem tuam intellecto tristi casu meo, quo Dominus Iesus me visitauit, non solùm grauem & acerbum pro sua singulari erga me clementia, dolorem ex eo percepisse: Verùm etiam è vestigio omnibus sui ducatus pastoribus benignè

benignè mandasse, & cum ipsi pro conseruatione vitæ meæ, & restitutione valetudinis meæ ardenter Deum precarentur, tum peracta concione Ecclesiam suam quisq; ad pias, & serias pro me preces ad Deum fundendas, quanta possent diligentia, cohortarentur. Pro quo illustri celsitudinis tuæ beneficio, non solùm plurima, sed & ipsam vitam debeo. Quod enim in hanc vsq; horam Spiritum duco, & in tam ardua cribratione, & cruciatibus infandis vita mea, de tenui filo pendens, conseruata est, meritò tribuo cum immensæ Dei misericordiæ, tum sanctorum per Germaniam precibus. Vt ergo celsitudini tuæ aliquam grati animi significationem ostenderem, hanc meam lucubrationem celsitudinis tuæ nomini dedicare volui. Peto igitur qua possum subiectione, & reuerentia, vt celsitudo tua hunc meum libellum clementer excipiat, eumq; authoritate sua in Ecclesia defendat. Aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui promisit, se perpetuò fore murum igneum in circuitu Ecclesiæ, ardenti

gemitu

gemitu precor, vt in hisce postremis, & periculosis temporibus, clementer respiciat cœtum suum: repressis fanaticorum corruptelis, conseruet puritatem Euangelij, & excitet pia salutaris doctrinæ studia, vt perpetuò luceat inter nos vera Dei agnitio, & colligatur inter nos Ecclesia perpetuò cum Deo victura: Tuam quoq; celsit. vt insignem Ecclesiæ nutricium, & piorum pastorum patronum, pro sua clementia quàm diutissimè incolumen nobis conseruet. Helmstadij 3. Aprilis. 1579.

Celsit. T.

Reuerenter colens

Tilemanus Hesshusius.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ PAVLI AD GALATAS.

LEGIS diuinæ noticia fuit quidem impressa menti humanæ in prima creatione, ita vt luceret in homine veri Dei agnitio, & voluntatis ipsius intellectus. Condidit enim Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: cuius imaginis pars magna fuit illustris illa sapientia agnoscens verum deum, & intelligens eius iudicium & voluntatem. Verùm hanc felicitatem & gloriam non custodiuit Adam: quin lapsus in peccatum, & in seruitutem sese præcipitans, orbauit sese & clara luce mentis et omnium virium integritate. Admodum tristis est Adæ confessio, cùm quæsitus à Deo respondet: timui eò quòd nudus sum. Etsi autem post illam cladem, & tristem humanæ naturæ ruinam, reliquiæ quædam supersint de legis intellectu in mente humana: Quæ enim ad ciuilis vitæ gubernationem & mores externos pertinent, aliquomodo intelligit homo etiam non renatus luce naturæ: quilibet instinctu naturæ intelligit periuria, cædes, contumaciam erga parentes,

adulteria, furta, mendacia tetra esse scelera digna suppliciis: Tamen spirituale legis iudicium non lucet amplius in mente humana à natura. Longè sublimiorem obedientiam poscit lex diuina ab homine, quàm ratio naturaliter percipere potest. Longè grauius est Dei iudicium in lege patefactum, quàm mens humana vi naturæ adsequi possit. Humanæ rationi iniqua videtur sententia, eum qui fratri dicit, fatue, gehennæ adiudicari: & tamen legis seueritatem sic interpretatur Christus.

Euangelij verò doctrina & sapientia de beneficijs mediatoris, & collectione Ecclesiæ, neq; in creatione prima insita est menti humanæ, nec vi, ingenio vel industria hominum inuestigari potest. Est enim mysterium absconditum à seculis, & ignotum principibus huius mundi. Pro sua igitur immensa et bonitate et misericordia æternus pater domini nostri Iesu Christi, de cælo legis suæ sententiam repetiuit, & Euangelij promissionem promulgauit, ac ministerium spiritus et verbi in genere humano instituit, vt vocet homines ad pœnitentiam, & colligat Ecclesiam.

A primis igitur fundamentis Ecclesiæ præstitit Deus hoc beneficium mundo, ut et legis suæ & Euangelij doctrinam patefecerit. Vtriusque enim doctrinæ cognitione opus est nobis ad consequendam salutem æternam. In lege reuelat Deus suum iudicium aduersus peccatum, & declarat iustam suam iram aduersus immundam & peccato corruptam naturam humanam. Per legem, inquit Paulus, agnitio peccati. In Euangelio verò exponit consilium suum de redemptione generis humani per filium mediatorem, & offert nobis clementissimam suam voluntatem, quòd gratis propter Christi obedientiam & mortem condonare velit peccata, nos recipere in gratiam, iustos pronunciare, & hæredes facere vitæ æternæ per fidem. Quemadmodum Paulus hanc Euangelij sententiam dulcissimis verbis exponit: Fidelis est sermo, quòd Iesus Christus venit in hunc mundum, vt saluos faciat peccatores.

Hoc ministerio legis & Euangelij colligit Deus Ecclesiam in genere humano. Hoc consilio & fine primùm patres, deinde Prophetas, tertiò Apostolos & alios doctores excitauit, magnis donis exornauit, & in mundum misit, vt legem & Euangelium sonarent, & in genere humano Ecclesiam colligerent. Vidit & animaduertit filius Dei conditor & conseruator Ecclesiæ, non esse satis ad promouendam & procurandam salutem hominum, semel vel iterum vocem legis repetiuisse: & vna vice promissionem Euangelij de cælo annunciasse. Aduersarius enim spiritus inuidet

hanc lucem Ecclesiæ, eamq; suis mendaciorum & errorum nebulis inuoluere conatur: vnde omnibus temporibus fanaticæ opiniones exortæ sunt, quæ puritatem doctrinæ Christi contaminarunt. Verum Prophetæ & Apostoli & sinceri doctores omnibus viribus sese iis opposuerunt, & salutarẽ doctrinam cum legis tum Euangelij, qua salus hominum continetur, ardenti zelo tutati sunt.

Huius rei illustre exemplum in hac Epistola ad Galatas habemus. Paulus docuerat Galatas doctrinam Iesu Christi, exposuerat legem & Euangelium, reuelauerat iram Dei aduersus peccatum, explicauerat beneficia mediatoris, tradiderat fidei doctrinam, quòd homo peccator gratis absq; operibus iustificaretur coram Deo, & hæres fieret vitæ æternæ. Atq; ita solidum Ecclesiæ fundamentum iecerat Paulus. At post Pauli discessum pseudoapostoli obrepserunt in Ecclesiam et Pauli doctrinam calumniati sunt, quasi ea legem Dei conuelleret, & in Deum, qui se in populo Israel patefecerat, contumelioſa esset. Docuerunt ita nos per Christum saluari, vt necesse sit circumcisionem & totam Moysis legem seruare. Confundebant adeò legem & Euangelion, ministerium Moysis & Christi, et vniuersam Ecclesiæ promissionem obscurabant, & in tristem legis sententiam transformabant. Paulus ergo hac epistola

stola suos Galatas reuocat ab errore, vt in viam redeant: refellit pseudoapostolorum errores & impura dogmata, & totum articulum de iustificatione hominis peccatoris coram Deo insigniter & dilucidè exponit, & validissimis argumentorum neruis demonstrat & munit. Docet nos nullo modo iustificari ex operibus legis: aut propria dignitate: aut vlla mandatorum obseruatione: sed sola Dei misericordia per fidem propter mediatorem dominum nostrum Iesum Christum, qui suo nos sanguine redemit, pro nobis legem impleuit, & per fidem suam nobis imputat iustitiam. Omnes enim homines concluſi sunt sub peccato: nemo hominum legem implere potuit: eò quòd vniuersa hominum natura peccato corrupta esset. Misit ergo Deus filium suum in carnem, eumq; legi subiecit, vt nostro loco legem impleret, & æternam iustitiam & vitam restitueret. Offert verò gratis propter obedientiam sui filij remissionem peccatorum, iustificationem, spiritum sanctum, & hæreditatem vitæ æternæ omnibus vera fide ad mediatorem confugientibus. Hos ergo quatuor articulos magnis verborum ponderibus vrget.

1. Primum. Quòd omnes homines sunt concluſi sub peccato: ex quo manifestum est, ex lege non iustificari vllum hominem. Lex enim perfe-

ctam spiritualem & omnibus numeris absolutam requirit obedientiam. Eam verò nullus hominum præstare potest: quia carnales sumus: imò corrupti & inutiles facti sumus. Et animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Sub maledictione igitur legis sunt omnes homines à natura & filij iræ. Immota enim sententia est: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius, vt facit ea. Huius maledictionis & æternæ damnationis sententiam nullus hominum à se amoliri poterat. Itaq; necesse est vt omnes agnoscamus nostram immundiciem & culpam, et fateamur nos à natura reos esse mortis.

2. Secundum verò membrum est. Quòd Deus ex immensa misericordia gratis offerat remissionem peccatorum, imputationem iustitiæ, renouationem per spiritum sanctum & vitam æternam. Ego, inquit, gratiam Dei non reijcio. Item: Deus, inquit, misit filium suum, vt adoptionem filiorum acciperemus. Nullis nostris meritis, nulla dignitate mouetur, vt nos iustos pronunciet: sed tantũ immensa sua misericordia & bonitate, iuxta promissionem: Miserebor cuius miserebor: et clemens ero, cui clemens fuero. hoc est. Quotquot salutem impetrant, tantùm mea eam obtinent misericordia & clementia. Viuo, inquit, nolo mortem

tem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Hæc igitur causa, hic fons est nostræ iustificationis, immensa Dei misericordia gratis, sine operum merito pronuncians nos iustos, et donans nos vita.

3. Tertium membrum diligenter inculcat apostolus, nimirum filium Dei Iesum Christum constitutum esse mediatorem, hunc sua obedientia, passione & morte pro nobis legem impleuisse, & iustitiam ac vitam meruisse. oportebat enim legi diuinæ satisfieri, & sententiam patris æterni impleri. Donec cælũ et terra transeant, non iota peribit de lege. Non veni soluere, sed implere legẽ inquit Christus. Testatur ergo hic Paulus, Christum Iesum seipsum dedisse pro nobis, vt nos ex hoc mundo maligno eriperet. Christus pro nobis factus est maledictum, vt nos à maledictione legis redimeret. Factus est sub legem, vt eos qui sub lege erant redimeret. Hoc ergo firmum fundamentum est nostræ iustificationis & salutis, quòd Iesus Christus est mediator & propiciator noster, qui pro nobis legẽ impleuit: & vitam recuperauit: propter hunc iustificamur et saluamur: siquidem ipsius iustitia et obedientia nobis imputatur.

4. Quarto monstrat et vrget Paulus mediũ, quo apprehendimus hanc iustitiam et salutẽ, nempe fidem, qua acquiescimus in promissione Euangelij, & omnia Christi beneficia nobis applicamus. Iu-

stus inquit, sua viuet. Item, Vt promissionem spiritus accipiamus per fidem.

Hæc est simplicissima Ecclesiæ doctrina de iustificatione hominis coram Deo, quam apostolus Paulus repetit in hac epistola ad Galatas, eamq; solidis argumentis demonstrat. Vt autem summè necessaria hæc doctrina & consolatio tantò clarius fulgeat in nostris pectoribus, nec vllis falsarum opinionum nebulis obscuretur; exempla intueamur Manassis et Iesaiæ: qui licet in vita fuerint diuersissimi: tamen eodem modo & iustificati & saluati sunt. Horrendis & multiplicibus sceleribus contaminatum fuisse Manassen sacræ literæ testantur: coluit abominanda idola, mutauit formam religionis à Deo constitutam, exercuit magiam, & Ethnicis prædictionibus fuit deditus, traduxit filios suos per ignem, persecutus est pios doctores, interfecit prophetas domini, & Hierusalem impleuit innoxio sanguine. Satis igitur manifestè apparet hunc contaminatum regem tantis sceleribus contra primam & secundam decalogi tabulam, non esse iustificatum suis operibus vel virtutibus, vel vlla dignitate: Infernum enim & æternam damnationem meritus est suis flagitijs & horribili impietate. Regno verò spoliatus & in carcerem coniectus, pœnitentia ducitur, et ad Deum conuertitur: Agnoscit suam impie-

impietatem & grauissima peccata: dolet se offendisse Deum: & supplici voce petit à Deo veniam: fide confugit ad promissum mediatorem, qui de semine suo venturus erat: amplectitur vera fide promissionem Euangelij, quam à Iesaia propheta audierat: Etiamsi peccata vestra fuerint veluti coccinum, quasi nix dealbabuntur. Item, Posuit Deus in ipsum peccata omnium nostrûm. Hac erectus consolatione statuit se verè esse placatum Deo, et habere remissionem omnium peccatorum, esse iustum coram Deo, & hæredem vitæ æternæ.

Hoc ergo illustre exemplum docet, nos non iustificari vllis nostris operibus, aut legum obseruatione, sed vera Dei gratia & misericordia, qua propter Christum mediatorem gratis pronunciat nos iustos & hæredes vitæ æternæ, qui credimus in nomen ipsius.

Dissimile quidem est exemplum Iesaiæ prophetæ, qui vitæ sanctimonia suo tempore excelluit in Ecclesia: & tamen non alio modo quàm Manasses iustificatus est: atq; hæc dissimilitudo personarum, quæ tamen eodem modo iustificatæ sunt, valde illustrat doctrinam de iustitia fidei. Multis magnis virtutibus & excellentissimis donis exornatus fuit Iesaias: non solùm externam coluit disciplinam, nec tantùm Ethnicis aut Philosophicis virtutibus clarus fuit: sed fulsit in eo vera

Dei agnitio, vera inuocatio & gratiarum actio, timor & dilectio Dei accensa in ipso per spiritum sanctum, illustri confessione testatus est suam pietatem: magno studio arguit mundum de peccato, & exposuit beneficia mediatoris: ingentia beneficia contulit toti mundo, prædicatione Euangelij & vaticinijs. Quid verò, num propter has virtutes & opera spiritus iustus fuit coram Deo? et vitæ æternæ hæreditatem est adeptus? Nihil minus. Ipse enim perspicua confessione testatus est, se multis & magnis peccatis pollutum fuisse. Omnes iustitiæ nostræ, inquit, sunt veluti pannus menstruatæ. Omnia sua opera & virtutes immundissimæ rei comparat, vt ostendat, se in eis non ponere fiduciam suam apud Deum. Nostra enim opera in hac vita procul absunt à perfectione, quam lex Dei spiritualis flagitat: itaq; iudicio Dei opponi non possunt. Peccata nostra, inquit Iesaias, tanquam venti dissipauerunt nos. Omnes nos veluti oues errauimus: vnusquisq; in viam suam. Etsi igitur, quòd ad vitam externam, dissimilimus est Iesaias Manassi: tamen agnoscit se in eo æqualem esse Manassi, quòd non minus careat legis impletione atque Manasses, atq; ideo ex operibus legis non magis iustificari potest quàm Manasses. Accurrit autem ad thronum gratiæ, constitutum mediatorem nepotem suum, quem

quem scit satisfacturum sua morte pro peccatis totius generis humani, propter hunc petit remissionem peccatorum, & statuit se recipi in gratiam, & se pronunciari iustum coram Deo. Ipse verò Iesaias inquit, vulneratus est propter iniquitates nostras: & attritus est propter scelera nostra: Deus posuit in ipsum peccata omnium nostrùm. Item: Et seruus meus iustus noticia sui iustificabit multos. Item: Gaudens gaudebo in domino, & lætabitur anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me. Vt ergo Manasses sine operibus & omni dignitate gratis misericordia Dei, propter mediatorem sola fide iustificatus est: ita & Iesaias propheta non propter virtutes vel vlla opera, quantumuis magna & spiritualia: sed tantùm gratis immensa Dei misericordia, propter Iesum Christum mediatorem, sola fide est iustificatus coram Deo, & conscriptus hæres vitæ. In hisce exemplis clarè conspicitur, quomodo iustificetur homo coram Deo. Paulus cap. 3. Abrahæ exemplum adducit, quod valde illustre est. Id hoc loco etiam expendamus, vt tantò plenius statum causæ perspiciamus: quam in hac epistola tractat Apostolus.

Magnus vir fuit Abraham in Ecclesia Dei, & toto mundo: fulsit in eo excellens virtus & insi-

insigni pietate præiuit toti mundo. Non solùm ipse rectè inuocauit Deum, verùm etiam in mundo noticiam Dei propagauit: arsit in ipso vera Dei dilectio: clarus fuit iustitia & castitate. Magno zelo fratris familiam hostibus eripuit: alienus fuit à πλεονεξια, & sanctè ambulauit coram Deo. Iam verò quæstio est, num Abraham propter hæc opera legis & excellentes virtutes sit iustificatus. Paulus apostolus Iesu Christi disertè respondet, non esse iustificatũ ex operibus. Primùm scriptura operibus, ex libero arbitrio & viribus naturæ factis, adimit gloriam iustificationis: testatur enim Abrahamum in Vr Chaldæorum seruiuisse idolis, diuinitus verò ex idolorum cultu vocatum fuisse. Deinde verò adimit apostolus Paulus iustificationis laudem operibus Abrahæ in fide præstitis & iuxta legem factis. Si Abraham, inquit, ex operibus iustificatus est, habet quidem gloriam, sed non apud Deum. Et disertè loquitur Paulus de Abrahamo iam conuerso ad Deum, & in timore coram Deo ambulante. Adhæc perspicuè pronunciat Paulus, propter cerimonias & legis obseruationem, Abrahamum non esse iustificatum. Nam ante circumcisionem in præputio per fidem est iustificatus, circumcisionem verò accepit sigillum iustitiæ fidei. Sic ergo Abraham iustificatus est. In vera humilitate & contri-

contritione cordis agnouit naturæ suæ immundiciem, & multiplicia sua peccata: & quòd procul abesset ab illa perfectione, quam lex Dei requirit: petijt ergo veniam & remissionem peccatorum, propter venturum semen benedictum promissum mediatorem. Deinde fide apprehendit promissionem gratiæ: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Ac certò statuit se gratis, gratia Dei propter venturum generis humani redemptorem, qui ex lumbis ipsius nasciturus erat, esse liberatum à legis maledictione, ab ira Dei, à peccato, à morte, & à potestate Satanæ: & se iustum esse coram Deo fide, et esse hæredem mundi iuxta promissionem. Ita non solùm Abraham gratis per fidem est iustificatus, verùm etiam constitutus pater multarum gentium, quibus fides ad iustitiam imputaretur. Ex his ergo illustribus et perspicuis exemplis liquidò constat, quomodo homo peccator coram Deo iustificetur: & quis sit status Paulinæ disputationis, nimirum quòd homo non iustificetur vllis virtutibus neq; operibus, neq; obseruatione rituum, neq; virtutibus liberi arbitrij, neq; operibus legis, neq; habitibus infusis, & à spiritu sancto accensis, neq; vlla dignitate vel sanctitate propria. Iustificatur autem gratis gratia & misericordia Dei propter redemptionem, quæ est in Christo Iesu, qui tradidit seipsum in mor-

mortem propter peccata nostra, per fidem in nomen ipsius. Hanc doctrinam Paulus apostolus dilucidè tradit in hac epistola ad Galatas: eamq; neruosissimis & validissimis argumentis demonstrat, refutatis præstigijs & corruptelis pseudoapostolorum, qui Pauli doctrinam corruperant.

DISPOSITIO EPI. stolæ ad Galatas.

HVius epistolæ ad Galatas quatuor sunt partes. 1. Prima continet acrem increpationem Galatarum, quòd leuiter passi sunt se à veritate Euangelij transferri ad aliam doctrinæ formam, & faciles aures præbuerint pseudoapostolis, cum grauissima attestatione, quod non sit aliud Euangelion præterquam quod Paulus docuit: & ne angelum quidem de cælo audiendum esse, si aliud genus doctrinæ attulerit, sed tanquam anathema esse fugiendum. Deinde continet commendationem ministerij & apostolatus Pauli, quòd non per homines doctrinam Euangelij acceperit, nec apostolus sit constitutus, sed per reuelationem Iesu Christi. In qua commemoratione contexit Paulus historiam suæ conuersionis ad Deum, & apostolicæ vocationis: & quomodo innotuerit apostolis & Ecclesiis Christi: quæ fuerint

rint initia suæ prædicationis: quoties cum apostolis de doctrina Euangelij contulerit: quòd sua authoritate obtinuerit, vt Titus, licet ex gentibus natus esset, non cogeretur circumcidi. Quodq; aussus fuerit Petrum apostolum Antiochiæ in conspectu Ecclesiæ arguere, vt qui non incederet recto pede ad veritatem Euangelij: sed intempestiuè gentes ad Iudaismum cogeret. Quæ omnia eò pertinent, vt demonstret Paulus vanam esse iactantiam pseudoapostolorum: se verò non minoris authoritatis apostolum esse, quàm sint reliqui apostoli, qui Iesum Christum ante passionem docentem audiuerunt. Ideoq; suam doctrinam non aliter accipiendam atque vocem cælestem æterni Dei.

2. Secunda pars epistolæ, est propositio principalis, quam hisce verbis effert apostolus. Scientes, quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. Hanc verò propositionem deinde multis & validis confirmat et munit argumentis, & sacræ scripturæ testimonijs. Demonstrat falsam & erroneam esse doctrinam, quam pseudoapostoli de legis obseruatione, & bonorum operum necessitate ad salutem consequendam spargebant: Eam verò doctrinam, quam ipse Paulus docuerit Galatas, de iustitia fidei gratuita, esse æternam Dei veritatem.

3. In

3. *In tertia huius epistolæ parte, cuius initium est: Quid igitur lex? propter transgressiones lata est, donec veniret semen &c. explicat Paulus doctrinam de causis latæ legis, de discrimine legis & Euangelij, de vero vsu & efficacia legis, De discrimine veteris & noui testamenti, de causis constitutæ politiæ Mosaicæ, De liberatione à lege Mosaica: Ac interspergit hoc loco acrem reprehensionem, quòd tam leui momento passi sint se seduci per pseudoapostolos, & non maiore constantia retinuerint & custodiuerint doctrinam salutarem, quam ab apostolo Paulo perceperant. Deinde hortatur eos ad tuendam & conseruandam libertatem, quam Christus sua morte nobis parauit.*

4. *Quarta & postrema pars epistolæ, circa medium quinti capitis initium habet, & continet doctrinam de bonis operibus, & de pugna spiritus aduersus carnem. Paulus semper accuratè distinguit articulos de iustificatione hominis coram Deo, & de bonis operibus. Pseudoapostolorum proprium est, doctrinam de bonis operibus miscere cum articulo iustificationis: Hic enim valde speciosus est prætextus, quasi quærant gloriam Dei, & vitæ sanctimoniam, & ardeant magno iustitiæ amore & zelo corrigendi scelera hominum: sed reuera hoc vnum agunt, vt Christum mediatorem*

torem suo spolient honore, & conscientijs laqueos desperationum injiciant. Cùm enim confunditur doctrina de bonis operibus cum articulo de iustificatione, & opera vrgentur tanquam necessaria ad salutem, euanescit fides in Christum, nec potest homo certam sperare salutem. Lex enim iram operatur: Et conscientia aspiciens vel requirens sua bona opera, quæ in iudicio Dei sunt velut pannus menstruatæ, mox perturbatur & pudore adficitur in iudicio Dei. Paulus igitur, vt salutaris apostolus, rectè secat verbum Dei. Primùm solidè explicat & validè munit hanc arcem salutis, nimirum doctrinam de iustitia fidei, & gratuita iustificatione peccatoris coram Deo. Deinde monstrat et vsum & efficaciam legis in Ecclesia: & adiungit consolationem de libertate christiana. Postremo loco vbi conscientijs satis firma consolatio monstrata est de salute æterna, tum accuratè exponit doctrinam de bonis operibus: repetit præcepta decalogi, docet quibus officijs delectetur Deus, quibus operibus fides nostra demonstranda sit, quomodo spiritus aduersus carnẽ pugnare debeat, quæ peccata & scelera pijs vitanda sint, qua constantia in fide et pietatis studio sit persistendum, & quæ præmia bonorũ operum à Deo in hac et futura vita sint expectanda. Ordine igitur obseruet lector has epistolæ partes.

Paulus apostolus non ab hominibus, neq; per homines, sed per Iesum Christum & Deum patrem, qui excitauit ipsum à mortuis; & fratres omnes, quī mecum sunt, Ecclesijs Galatiæ.

DVæ sunt grauissimæ causæ, cur Paulus & suum nomen profiteatur, & apostolicum suum munus commendet. In Ecclesia Dei sciri oportet, quibus authoribus religio & doctrina Christiana primùm tradita, & deinde propagata sit in mundo: ne omni vento doctrinæ agitemur, sed certo innitamur fundamento, nimirum indubia authoritate diuina. Primùm igitur Pauli conscientiæ interest, vt ipse sit certus de sua vocatione, quòd iussu & mandato Dei hanc sonet in mundo doctrinam: deinde verò & Ecclesiæ interest, vt intelligat quam obedientiam fidei debeat Paulo. Non enim omni spiritu attendendum est: sed probandi sunt spiritus, vtrum ex Deo sint. Cùm verò constat diuinitus aliquem missum esse, is non aliter audiendus est, atq; si Deus de cælo nos alloqueretur. Graues igitur causas habet Paulus & nomen suum profitendi, & apostolicum suum munus prædicandi.

Apo-

Apostolus est persona immediatè vocata, in nouo testamento per dominum nostrum Iesum Christium, ad prædicandum Euangelion, & testificandum de doctrina, miraculis, passione, morte & resurrectione Iesu Christi, habens potestatem docendi Euangelion in toto orbe, ornata visibili donatione spiritus sancti & facultate edendi miracula: vnde constat Ecclesiæ apostolum non errare in doctrina, sed adferre cælestem doctrinam. Hanc sublimem & peculiarem apostolorum vocationem passim inculcat scriptura: & in hoc capite Paulus grauiter eam vrget. Pseudoapostoli enim eleuabant Pauli authoritatem, quòd non esset immediatè vocatus, sed per apostolos: & quòd ab ipsis accepisset doctrinam. Sed Paulus refellit hanc calumniam, & ostendit se parem esse alijs apostolis, qui immediatè à Christo sunt vocati. Vocatus quidem est Paulus ad munus apostoli post alios apostolos, & quidem post ascensionem Christi in cælum: sed tamen immediatè per filium Dei, qui in itinere, cùm Damascum tenderet Paulus, de cælo eum vocauit. Aliquando vocabulum apostoli generatim vsurpatur pro doctore Euangelij: sed hîc speciatim ponitur pro eo, qui est immediatè à Christo vocatus & doctrinam accepit.

Hoc enim maximè vrget hic Paulus, vt de-

monſtret apoſtolicam ſuam vocationem, vt probet Euangelij ſui certitudinem.

Non ab hominibus) Oſtendit ſe non cucurriſſe ſine legitima vocatione diuina. Nec ſua ſponte temere inuaſit munus docendi Eccleſiam: nec perſuaſus vel inſtigatus ab hominibus. Docet hoc loco apoſtolus, non eſſe currendum ſine legitima vocatione diuina. Triſte enim fulmen eſt, quod in propheta Ieremia extat: Currebant & non mittebam eos, Labores & ſtudia et conſilia felicia non ſunt, niſi mens ſit certa de legitima vocatione & mandato Dei. Qui ſponte currunt, nec gloriam Dei nec Eccleſiæ quærunt ſalutem. Quod ſi ingruat aliqua tempeſtas, & pericula incidant & difficultates, non legitimè vocatus, ſed qui temere munus inuaſit, nec à Deo petere audet auxilium, nec erigere ſe poteſt conſolatione, nec perſiſtit in tentatione. Abſalom, Seba, et alij triſtes ſuæ temeritatis pœnas dederunt. Noſtra ætate Ioannes à Leiden rex Monaſterienſis, Thomas Muntzerus & alij ſuo exemplo orbem commonefecerunt, non eſſe inuadenda publica officia ſine legitima vocatione. Contrà verò ingentem adfert conſcientiæ conſolationem in omnibus periculis & difficultatibus, quando mens ſcit, ſe legitimè à Deo vocatũ eſſe, niti audet verbo Chriſti: Sicut me miſit pater, ſic ego mitto vos. Omnes ergo

ergo pij dent operam, vt de ſua vocatione ſint certi: nec ipſi temere perrumpant, nec patiantur ſe ab hominibus inſtigari ſine legitima vocatione aliquid audendi. Pium & honeſtum eſt operam ſuam deferre Eccleſiæ & reipub. ſed ita vt iudicium de nobis permittamus alijs, & vocationem expectemus.

Neq; per homines) Docet hoc loco apoſtolus Paulus duplicem eſſe in Eccleſia vocationem. Mediatam & immediatam. Mediata vocatio eſt, quando Deus non de cælo, ſed per homines, vel per epiſcopos & paſtores, vel per magiſtratum, vel per cætum Eccleſiæ vocat nos ad docendum Euangelion et adminiſtranda ſacramenta. Etſi autem hæc mediata vocatio non eſt in pari gradu authoritatis collocanda, quo immediata à Deo eſt poſita: tamen ſtatuendum eſt, eam eſſe legitimam & diuinam, & conſcientiam noſtram in difficultatibus ea non minus firmiter niti poſſe atq; apoſtoli immediata. Deus enim hoc ius contulit Eccleſiæ, & facultatem ei dedit vocandi paſtores & miniſtros. Teſtimonia ſcripturæ nota ſint pijs mentibus, vt firmiùs in conſcientia de vocationis certitudine ſtatuere poſſint. Chriſtus claues regni cælorum tradidit Eccleſiæ. Matt. 16. Claues regni cælorum ſignificant poteſtatem & authoritatem vocandi miniſtros, adminiſtrandi

sacramenta, et distribuendi beneficia mediatoris. Tit.1. inquit Paulus: Huius rei gratia reliqui te in Creta, vt reliqua ordinares, et constitueres passim per oppida presbyteros, quemadmodum tibi mandaui. 1.Corint.14. Duo aut tres constituantur prophetæ, cæteri dijudicent. Act.20. Attendite vobis ipsis & vniuerso gregi, in quo spiritus sanctus constituit vos Episcopos, vt pascatis Ecclesiam Dei, quam proprio suo sanguine acquisiuit. Presbyteri Ephesinæ ecclesiæ non erant immediatè vocati, sed per apostolos & apostolorum discipulos & suffragio Ecclesiæ: Et tamen Paulus dicit, constitutos illos esse episcopos per spiritum sanctum. Diuina igitur vocatio etiam est mediata, modò sit legitima, vel per pios episcopos, & pastores, vel per pium magistratum, vel per Ecclesiæ suffragia.

Sed per Iesum Christum) Hic innuit immediatam suam vocationem, nimirum Apostolicam: huius vocationis longè est sublimior authoritas, quàm mediatæ. Apostolica vocatio hoc proprium habet, quòd ipsum filium Dei Iesum Christum immediatè habet authorem. Apostolus non est alligatus certo loco, vt episcopus vel pastor. Ephesino episcopo non licet passim docere, sed in sua paræcia. Apostolicæ etiam vocatio ornata est visibili donatione spiritus sancti, & facultate

cultate edendi miracula, quæ Ecclesiæ Dei propria sunt: Vnde constat apostolorum doctrinam esse æternam veritatem, cui tutò debemus adsentiri.

At Episcopus, pastor, doctor Ecclesiæ nec immediatè est vocatus à filio Dei, sed per homines: nec habet ius vbiuis locorum docendi, sine speciali mandato: nec est instructus facultate edendi miracula. Vnde & necesse est in ipsius doctrinam inquiri, & iuxta normam Propheticorum & apostolicorum scriptorum examinari. Hoc ergo vrget apostolus Paulus, se non habere mediatam sed immediatam vocationem: ideoq; doctrinæ ipsius obediendum esse, tanquam voci de cælo sonanti. Calumniabantur pseudoapostoli, Paulum non accepisse doctrinam Euangelij ab ipso Iesu Christo, sed ab hominibus, apostolis nimirum: & eos non satis adsecutum esse, non esse verum apostolum, sed eum corrumpere Euangelion Iesu Christi: quia legem & circumcisionem aboleat. Huic ergo calumniæ opponit Paulus, se ab ipso filio Dei Iesu Christo, & à Deo patre esse vocatum ad munus apostolicum, & se non minoris authoritatis esse quàm sint reliqui Apostoli: se doctrinam suam ab ipso filio Dei accepisse. Quamobrem, qui se opponit doctrinæ Pauli, is se opponi voci

æterni Dei, patris domini nostri Iesu Christi, qui Paulo demandauit hoc genus doctrinæ.

Et Deum patrem, qui excitauit ipsum ex mortuis.) Mentionem facit & Dei patris. primùm vt ostendat quis sit verus Deus, videlicet, qui se misso suo vnigenito filio patefecit in Ecclesia, & Euangelion suum reuelauit. Hic solus est verus Deus conditor cæli & terræ. Deinde & patris allegat authoritatem, vt doceat, se totius diuinitatis consilio & mandato suscepisse munus apostolicum. Quomodo per Iesum Christum vocatus sit, Act. 9. scribitur. Quòd pater æternus Paulum vocauerit in apostolũ in hoc primo capite ad Gal: describitur. Deo placuit, qui me segregauit ex vtero matris, in me reuelare filiũ suum. Quòd etiam spiritus sanctus Paulũ constituerit apostolũ gentium Actor. 13. recensetur. Dixit spiritus sanctus: Separate mihi Paulum & Barnabam. Diligens lector obseruet phrasin Pauli apostoli: διὰ Ἰησοῦ πατρός. Friuola igitur fuit Eunomÿ cauillatio, qui contendit præpositionem, per, tantùm filio competere, & inde inæqualitatem patris & filÿ astruere conatus est. Basilius de spiritu sancto grauiter refellit sycophantam.

Grauibus de causis adiunxit hanc sententiam; Qui suscitauit Iesum à mortuis: Primùm demon-

demonstrauit hoc πικμηρίῳ, hunc patrem Iesu Christi esse solum & verum Deum, cuius sit infinita sapientia & immensa potestas. Nam hominem mortuum, qui ad tertium vsq; diem iacuit in sepulchro, reuocare in vitam, est solius omnipotentis naturæ. Atq; hoc euidenti, illustri et infallibili testimonio, comprobata est & vniuersa doctrina Iesu Christi, & totũ officium redemptoris.

Deinde voluit apostolus Paulus semper nobis in conspectu esse hunc articulum de resurrectione Iesu Christi à mortuis, vt qui est summa vniuersæ nostræ religionis & scopus fidei nostræ. Iesus Christus enim traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustitiam nostram.

Adhæc prophanam pseudoapostolorum doctrinam vel vnica hac sententia refellere & iugulare voluit. Quia enim Deus Iesum Christum filium suum excitauit à mortuis, necesse est circumcisionem & totam legis obseruationem ad iustitiam & salutem consequendam non esse necessariam. Frustra enim Christus esset mortuus & resuscitatus, si legis obseruatio ad salutem esset necessaria, & per legem contingeret nobis iustitia. Ita validum causæ suæ fundamentum statim in initio ponit, & monet, vt semper in conspectu habeamus summam hanc consolationem, quòd Deus Iesum suscitauit à mortuis: hinc enim sequitur & nos

qui in Christum credimus, per ipsum resurrecturos ad vitam æternam.

Et omnes qui mecum sunt fratres) Etsi Paulus pro apostolica sua authoritate grauiter poterat & refellere apostolos, & corripere suos Galatas: tamen vt ostendat consensum docentium in Ecclesia, allegat & fratrum authoritatem. Non enim ferendum est in Ecclesia, vt quilibet peculiare genus doctrinæ profiteatur & spargat, & nemini consentiat. Vna est vera religio, vna fides, vnus mediator, vnum baptisma, vnus spiritus: Quotquot ergo salutem expetunt, eos necesse est, de articulis fidei consentire & vno spiritu duci. Et quantauis authoritate quis polleat in Ecclesia, tamen magni facere debet consensum piorum, licet infimæ sortis. Nam & in illis, qui in inferiori gradu authoritatis positi sunt, spiritus sanctus operatur, & magnam lucem accendit.

Ecclesiis Galatiæ) Etsi pseudoapostolorum dolis seducti erant Galatæ, & à Pauli salutari doctrina defecerant: non tamen detrahit illis apostolus titulum Ecclesiæ. Haud dubiè enim aliqui retinuerant fundamentum doctrinæ Pauli, etiamsi multi nimis faciles aures præbuerant falsæ doctrinæ pseudoapostolorum, & corruptelas ap-

las approbauerant. Firmum est enim fundamentum habens hoc signaculum: Dominus nouit suos. Nec est talis Ecclesia fingenda in terra, quæ careat omni errore & labe: sed in ipso Ecclesiæ sinu sæpe sparguntur pestifera dogmata, & tolerantur blasphemi hæretici: & tamen seruat sibi Deus sanctum semen. Magna etiam in ipsis pijs est infirmitas, vt facilè admittant peregrinas sententias: sed vbi admonentur, & verbo Dei conuincuntur, abijciunt errores, & corrigunt lapsus. Corinthi falsi doctores corrumpebant doctrinam de cæna domini: alij negabant resurrectionem mortuorum: & tamen Paulus vocat Corinthiorum Ecclesiam sanctam. Non sunt igitur totæ damnandæ Ecclesiæ; etiamsi quidam in iis erroneas spargant sententias, vel tristia scandala ponant.

Gratia vobis et pax à Deo patre, & domino nostro Iesu Christo, qui dedit seipsum pro peccatis nostris, vt eriperet nos ex præsenti seculo malo, iuxta voluntatem Dei et patris nostri, cui sit gloria in secula seculorum, Amen.

In sa-

IN salutatione optat Paulus Ecclesiæ omnia beneficia mediatoris, & rursus summam totius religionis proponit, vt semper scopus fidei nostræ sit in conspectu.

Gratia Paulo significat gratuitum Dei fauorem, misericordiam & clementiam, qua pater æternus propter filium mediatorem, iuxta promissionem Euangelij credentibus in mediatorem gratis remittit peccata, imputat iustitiam, donat spiritum sanctum, & liberatis à morte & potestate Satanæ, tribuit hæreditatem vitæ æternæ. Soli enim clementiæ & misericordiæ diuinæ debemus, quòd ex morte eripimur, & à peccato liberamur, & salutem æternam consequimur. Aliquando Paulo & alijs apostolis vocabulum gratiæ significat donum à Deo collatum credenti ex mera misericordia & bonitate. Vt in hoc capite: Apostoli cognoscentes gratiam, quæ data est mihi, dexteras mihi dederunt. Hic gratiam rectè intelligimus insignem intellectum sacrarum literarum, excellens donum prædicandi Christum, facultatem edendi miracula, & alia apostolica dona spiritus sancti gratis collata Paulo. Sic 1. Pet. 4. Tanquam boni dispensatores variæ gratiæ Dei. Hic gratia nihil aliud quàm donũ Dei notat. Varijs et multiplicibus donis exornauit Deus suos fideles per spiritum sanctũ, alium cognitione variarum

rum linguarũ, alium intelligentia sacrarum literarum, aliũ dono vaticinandi, aliũ sapientia, aliũ robore fidei, alium dexteritate instituendi iuuentutem &c. quæ varia spiritus sancti dona ad Dei gloriam & Ecclesiæ salutem transferri debent. Hoc verò sensu vocabulum gratiæ non est accipiendum, cum Paulus loquitur de iustificatione hominis coram Deo: tum enim causam efficientem monstrare conatur nostræ iustificationis: quæ nulla est alia quàm gratia Dei, hoc est, misericordia, clementia, fauor, bonitas, & ardentissima dilectio Dei erga miserum genus humanum. teste Christo filio Dei: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Et Paulus Eph. 2. exponit, quid vocabulo gratiæ intelligat, cum inquit: At Deus diues in misericordia, iuxta multam dilectionem suam, qua dilexit nos existentes mortuos in peccatis cũ Christo viuificauit: Gratia enim saluati estis. Item, Rom. 11. Si ex gratia, non ex operibus, alioquin gratia non est gratia.

Hallucinatur ergo Augustinus, licet vir magnus in Ecclesia, quòd de iustificatione disputans, plerunq; gratiam exponit, non de gratuita remissione peccatorum, sed de donatione spiritus sancti, quem Deus effundit in corda nostra. Non enim

enim satis circumspectè distinxit beneficia Christi duplicia: remissionem peccatorum, quæ est iustificatio: et renouationem per spiritum sanctum, qui est effectus & fructus prioris beneficij.

At Pelagius scelerate deprauauit vocem gratiæ, qui eam interpretatus est ipsam legē promulgatam in monte Sinai. Item naturæ possibilitatem & arbitrij humani libertatem. Omnium verò ingratissimi hostes sunt gratiæ Dei pontificij, qui in Tridentina synodo blasphemum ediderunt Canonem: Si quis dixerit gratiam, qua iustificamur, esse solum fauorem Dei, anathema sit. Ipsi enim infusos habitus & qualitates, vt dilectionem Dei volunt intelligi. Hoc verò est apostolo Paulo & ipsi spiritui sancto anathema dicere. Obseruet igitur pius lector veram & natiuam significationem vocabuli gratiæ, præsertim in disputatione de iustificatione.

Pax significat alterum beneficium Christi, nimirum donationem spiritus sancti, viuificationem, pacem & consolationem conscientiæ, collationem donorum spiritus, gubernationem, defensionem & hæreditatem vitæ æternæ. Christus enim per fidem reconciliatis vniuersa beneficia & opes sui regni offert, & largitur cum corporalia tum spiritualia; cum temporalia, tum æterna bona. quæ omnia Paulus vna voce pacis com-

complectitur. Christus inquit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Nihil ergo excipit: omnia bona sui regni cælestis promittit pijs. Hæc ergo omnia hic Paulus suis Galatis optat.

A Deo patre & domino nostro Iesu Christo) Docet quis sit verus Deus, à quo cælestia & terrena bona petenda sint, & quomodo verus Deus agnoscendus & inuocandus sit. Gentes varia finxerunt numina: & omnes impij multiplicia sculpunt idola, à quibus petunt vitæ præsidia & defensionem, sed turpiter omnes errant, qui extra verbum cogitant de Deo. Deum enim nemo vidit vnquam, nec quisquam audiuit vocem eius. Nemo nouit patrem nisi filius, & cui filius voluerit reuelare. Ex Christi igitur reuelatione, & scriptis prophetarum & apostolorum vera Dei agnitio petenda est. Vt hoc loco Paulus docet: non esse multa & varia numina, vt Ethnici finxerunt. Vnum esse æternum, viuum & omnipotentem Deum, conditorem cæli & terræ: à quo sunt omnia, qui omnia habet in sua manu, & omnia bona largiri potest. Audi Israel, inquit propheta Moyses, dominus Deus tuus Deus vnus est. Hic autem Deus ita sese patefecit, cum aliàs, tum in baptismo Christi, quòd

quòd sit pater æternus, qui filium suum genuit ab æterno, & filius æternus, coæternus, & æqualis patri; & spiritus sanctus, qui ab æterno à patre & filio procedit: tres distinctæ & coæternæ personæ & vna atq; eadem diuinitas. Ideo hoc loco Paulus dicit: A Deo patre & domino nostro Iesu Christo: vt ostendat distinctas esse personas Diuinitatis patrem et filium: simul autem intelligitur & spiritus sanctus, qui nunquam à patre & filio separatur. Vnde Christus iubet nos baptizari in nomine patris & filij & spiritus sancti. Et in hac epistola inquit Paulus: Deus misit spiritum filij sui, clamantem Abba pater. Integra igitur doctrina de agnitione veri Dei & tribus distinctis personis diuinis hic repetenda est, & inuocatio nostra iuxta apostoli Pauli doctrinam sic separanda est ab inani murmure aliarum gentium, vt alloquamur verum Deum, qui se misso filio suo vnigenito in hunc mundum manifestauit, & clementem suam erga nos voluntatem exposuit. Ac sciendum est, quòd pater æternus tantùm in filio suo domino nostro Iesu Christo, & propter eum velit nobis esse propicius, remittere peccata, eripere nos ex tyrannide Satanæ & potestate mortis, largiri spiritum sanctum, nos docere, fouere, defendere, gubernare, consolari, præbere omnia ad vitam sustentandam necessaria,

ria, & tandem ad cælestem transferre vitam. Quicquid petieritis patrem (inquit Christus) in nomine meo dabit vobis. Idcirco addit hic Paulus, & domino nostro Iesu Christo: Vt non solùm efficientem, sed & impulsiuam & meritoriam eausam omnium bonorum nobis monstret, & doceat, nos fiducia mediatoris Iesu Christi, qui est thronus gratiæ nobis datus, ad patrem in omni necessitate accurrere.

Qui dedit se ipsum pro peccatis nostris) Non solùm aurea est hæc sententia plena consolationis, sed vniuersum fundamentum est totius doctrinæ & controuersiæ de iustificatione hominis coram Deo. Optimè igitur statim in exordio posuit hanc lucidam gemmam, vt lectori semper in conspectu esset, vtq; statim in initio & viam amplam sibi sterneret ad gratiæ Dei & iustitiæ fidei prædicationem. Singula verba diligenter ponderanda sunt. Non Prophetа vel apostolus, non angelus aliquis, non cælum aut terra; sed dominus noster Iesus Christus vnigenitus Dei filius & conditor cæli et terræ dedit seipsum pro nobis: thesauro igitur omnium carissimo & preciosissimo redempti sumus. Pluris est enim filius Dei, quàm cælum & terra, & omnia mundi imperia, & quàm omnes creaturæ. Necesse est

C igitur

WUP
Cnole

igitur iudicium Dei aduersus peccatum sublime & seuerissimum esse, quia pro peccato satisfieri iustitiæ Dei non potuit; nisi vnigenitus filius Dei sua morte λύτρον persolueret: necesse est etiam amorem Dei erga genus humanum immensum esse, siquidem non pepercit proprio filio, sed dedit eum pro nobis in mortem: Si autem vnigenito suo filio non pepercit, quomodo non omnia daret, quæ sunt in cælo & in terra, cum Christo & propter ipsum? Semper ergo immensa magnitudo precij, quo redempti sumus, sit nobis in conspectu.

Tradidit seipsum) hac voce ostendit vniuersam suam obedientiam, quam Deo patri præstitit iuxta legem, & totam suam passionem & mortem, qua pœnam nostris debitam peccatis persoluit: factus est enim obediens patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Sponte sua se ipsum tradidit Iudæis et gentibus, vt crucifigeretur, ac ita nostro loco supplicium pro peccato lueret.

Pro peccatis nostris.) Non pro iustitia nostra, quam nullam habebamus, sed pro peccatis nostris, quibus contra Dei legem contaminati eramus. Non pro peccato originali; non pro peccatis ante baptisma commissis: sed pro vniuersis

uersis omnium hominum peccatis, tam originali quàm actualibus, tam internis quàm externis. Deus enim totius mundi peccata posuit in eum Iesa. 53. Vt causam & finem huius admirandi consilij Dei intelligamus, doctrina de creatione hominis, & sententia legis, & promissio Euangelij repetenda est.

Condiderat Deus hominem ad imaginem suam, absq; peccato & errore, in iustitia & sanctitate vera: ac postulauit ab eo obedientiam perfectam, cum promissione vitæ æternæ, & proposita comminatione mortis æternæ, si contra Dei voluntatem peccaret. Quacunque die comederis de arbore ista, morte morieris. Hoc ergo præceptum cùm Adam transgressus sit, morti & iræ Dei factus est obnoxius. Nec mutat Deus iudicium suæ voluntatis, qua postulat perfectam iustitiam à creatura ratione prædita. Aeterna & immota sententia est diuinæ voluntatis: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & totis viribus tuis, & proximum tuum sicut teipsum. Comminatio quoq; annexa immota est: Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius, vt faciat ea. Cùm ergo genus humanum lapsum sit, & non præstet perfectam obedientiam, in omni æternitate pereundum ei fuisset.

Aeterna est enim veritas Dei, & immota iustitia eius: nec debuit genus humanum in gratiam recipi cum detrimento gloriæ Dei. Itaque nullius creaturæ sapientia remedium potuisset inueniri ad restituendum genus humanum, et eripiendos homines ex morte. At Deus dives in misericordia, & cuius est immensa sapientia, hoc inuenit consilium. Vnigenitum suum filium misit in carnem, & eum constituit mediatorem & saluatorem mundi. Totius generis humani peccata transtulit in eum, perinde ac si ille omnia contra legem commisisset, & iubet eum satisfacere pro peccato. Filius Dei suscipit in se totius mundi peccata, & submittit se sententiæ legis: vt constet Dei veritas, & iustitia eius æterna conspiciatur. Pater ergo vniuersam iram suam mundi peccatis accensam effundit in filium suum, vt legis debitorem, sinit eum obrui maledictione, & mergit eum in mortem acerbissimam & probrosissimam loco totius generis humani. Hoc modo legis iudicio & iustitiæ diuinæ plenè satisfit pro peccatis totius mundi. Quia precium pro nobis datum immensum est, nimirum vnigenitus filius Dei dominus noster Iesus Christus.

Hanc nostri redemptionem per filium Dei factam testantur prophetæ. Iesa. 53. Posuit Deus in eum peccata omnium nostrum: Disciplina pacis no-

eis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Iesai. 43. Feciſti me seruire in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Item, cap. 63. Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum: aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. Ioh. 1. Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Et Christus ipse inquit: Filius hominis venit in mundum, non vt ipsi ministretur, sed vt ministret, & ponat animam suam λυτρον pro multis. 2. Cor. 5. Eum qui non nouit peccatum, fecit Deus peccatum, vt nos fieremus iustitia Dei in ipso. Rom. 5. Commendat suã erga nos dilectionem, quòd Christus pro nobis mortuus est, cùm adhuc peccatores essemus. Postquam ergo per mortem filij Dei satisfactum est legi pro peccatis mundi, atq; etiam integra obedientia præstita est legi; aperit iam DEVS nouum thesaurum immensæ suæ bonitatis, & offert propter mediatorem omnibus vera fide ad ipsum confugientibus remissionem omnium peccatorum, imputationem iustitiæ, spiritum sanctum, exauditionem in omni necessitate, consolationem & vitam æternam. Ioan. 3. Vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Ad hunc consolationis vberrimum fontem accurramus, quoties peccati conspectus

nos turbat, sensus iræ diuinæ nos premit, & æternam metuimus damnationem, iuxta legis comminationem. Christus enim filius Dei, qui semetipsum tradidit pro peccatis nostris, mox dispellit omnium tentationum nebulas; & luce meridiana clariùs ostendit nobis legi satisfactum, nos redemptos & patri reconciliatos esse. Non est igitur quòd mortem vel peccatum metuamus. Iam enim per fidem noua iustitia & vita donati sumus. Hanc omnium efficacissimam & summè necessariam consolationem tollere conati sunt pseudoapostoli, qui contenderunt gentibus ad obtinendam iustitiam coram Deo opus esse circumcisione & totius legis impletione. Si enim per legis obseruationem iustificamur coram Deo: Christus semetipsum pro nostris peccatis non tradidit. Hoc est negare totum regnum Christi. At Christus seipsum tradidit pro peccatis nostris. Ergo per ipsum habemus iustitiam, & non indigemus lege iustificante. Ardenti zelo etiam detestamur blasphemias pontificiorũ, qui fingunt nostris operibus, vt vocant, indebitis satisfaciendum esse Deo pro peccatis nostris. Hoc sanè est Christi sanguinem, qui pro nostris peccatis effusus est, extrema ignominia adficere. Si enim nostris operibus Deo satisfacere possumus pro peccatis: ergo Christus frustra tradidit seipsum pro pecca-

peccatis nostris. Quanta verò insania est sordida hominum opera anteferre preciosissimo sanguini Iesu Christi effuso pro nostris peccatis. Auersemur ergò vniuersum regnum Antichristi, quod tam horrendas euomit blasphemias contra Christum redemptorem nostrum. In terroribus verò conscientiæ & sensu iræ diuinæ propter peccatum, hanc efficacissimam teneamus consolationem, quòd Iesus Christus filius Dei tradidit seipsum pro peccatis nostris, atq; sua morte & patris iram placauit, & æternam beatitudinem nobis promeruit.

Vt eriperet nos ex præsenti seculo malo) Causam finalem passionis Christi exponit: non propter sua scelera est passus Christus: neq; eo fine sustinuit contumelias & mortem, vt Monarcha mundi constitueretur, sed vt nos eriperet ex hoc seculo malo, hoc est, redimeret nos ab ira Dei, eriperet ex maledictione legis, liberaret ex potestate Satanæ, mortis, peccati, inferni, et ab omnibus hostibus nostris, & transferret nos in regnum lucis, vitæ et iustitiæ æternæ. Christus inquit: Ego sanctifico me pro eis, vt & ipsi sint sancti. Item, Filius hominis venit saluare quod perierat. Monet autem Paulus, nos non potuisse propriis viribus emergere ex hoc seculo malo: nemo nostrûm potuit superare

ìram Dei, tollere maledictionem legis, amouere omnes calamitates, destruere regnum Satanæ, abolere peccatum, tollere mortem, & conterere caput serpentis. Ad tantam victoriam diuina opus erat potentia: itaque filius Dei omnipotens hoc officium redemptionis in se recepit. Cùm seculum hoc nominat Paulus, tam spirituales quàm corporales hostes nostros, & vniuersam Satanæ tyrannidem intelligit. Filius enim Dei venit in mundum, vt destruat omnia opera diaboli. Præsens seculum dicit esse malum, vt doceat, totum genus humanum esse peccato corruptum, & tyrannidi Satanæ & mortis obnoxium. Non loquitur de rebus politicis & externis: non damnat Paulus Dei ereaturas, & res in orbe bonas: non damnat artes, linguas, leges imperatorum, politicam gubernationem, iudicia, supplicia, Oeconomiam, medicinam, coniugium, liberorum educationem, scholas, agriculturam, cibum, potum, remedia, quæ omnia in hoc præsenti seculo sunt, & tamen sunt res bonæ & vtiles. Quia verò tantum huic vitæ seruiunt, non illustrant Dei gloriam, non promouent hominum salutem, imò multis hominum peccatis contaminantur, et plerunq; earum rerum vsus vergit in contumeliam Dei, rectà à Paulo seculum præsens dicitur malum. Pleraq; imperia opponunt se gloriæ Dei, et oppu-

pugnant Ecclesiam Christi. Artibus & linguis magna ex parte læditur gloria Christi, eò quòd multi illis abutuntur ad obscurandam & euertendam veritatem. In primis verò de rebus loquitur spiritualibus, & de corruptione totius generis humani: quòd in mundo non luceat agnitio Dei, nec vigeat iustitia: sed omnes sint auersi à Deo, mersi in peccatum, & subiecti tyrannidi Satanæ. Corrupti sunt, inquit psalmus, & abominabiles facti sunt. Non est qui faciat bonum, ne vnus quidem. Imò sensus carnis est inimicitia aduersus Deum: hoc est, homines à natura omnes sunt hostes Dei, qui eum contumelia adficiunt. Qui in mundo habentur sapientissimi & doctissimi, sunt fœdissimi idolatræ, qui teterrima fingunt numina, vt gentium docet historia. Qui volunt haberi sanctissimi, mentes gerunt pollutissimæ, plenas hypocrisi, & odio Christi ardentes. Pharao, Sennacherib, Decius, Diocletianus, ingenijs valebant & sapientia sua fidebant, sed hostes Christi fuerunt acerrimi. Achitophel, Lucianus, Erasmus, eruditissimi & sapientissimi videri volebant: & irrisores veritatis fuerunt virulenti. Core & Dathan singularem tribuerunt sibi sanctitatem, sed euentus edocuit fuisse homines impurissimos & à Deo alienos. Et quidem vniuersus mundus alienus est à Deo & iu-

stitia eius, seruit Satanæ & peccato, magis delectatur mendacio & sceleribus, quàm veritate & iustitia: in primis verò ardet odio regni Christi. Rectè ergo Paulus totum hoc seculum vocat malum. Quæ verò bona sunt in Ecclesia, à Christo sunt, qui per Euangelij prædicationem eripit nos ex hoc seculo malo, & transfert in regnum lucis.

Secundum voluntatem Dei & patris nostri) Causam primam & principalem nostræ salutis monstrat nobis apostolus, videlicet clementissimam Dei voluntatem & sanctum eius beneplacitum. Nostris meritis non impetrauimus, vt filius Dei nos eriperet ex hoc seculo: neque consilijs nostris inuenimus aut constituimus liberatorem: sed Deus diues in misericordia, sine omni nostro merito, ante mundi constitutionem elegit nos in Christo, & dedit nobis filium redemptorem. Immota est igitur hæc consolatio, quæ nobis in Christo redemptore ac liberatore mundi monstratur: siquidem pater æternus pro suo beneplacito hunc mundi saluatorem nobis dedit. Hinc Christus inquit: Hæc est voluntas eius, qui me misit, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Obluctantur ergo sanctissimæ voluntati DEI omnes,

omnes, qui per opera legis quærunt iustitiam neglecto mediatore: obsistant diuinæ voluntati, qui vel alios quærunt mediatores, vel abiecta fide in Christum præcipitant sese in desperationem. Opponunt se voluntati diuinæ, qui suis meritis vel dignitati liberationem ex hoc seculo adscribunt. Sola enim Dei voluntas est nostræ salutis causa. Miserebor, inquit, cuius miserebor, & clemens ero, cui clemens fuero. Hanc clementissimam voluntatem suam cùm Deus patefecerit in verbo suo, non adsingamus ei, nec quæramus aliam extra verbum, vel ex cerebro nostro, vel ex instinctu Satanæ: sed oculos defixos semper habeamus in hanc reuelatam voluntatem, quam etiam iureiurando stabiliuit: Viuo ego (inquiens) nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.

Cui sit gloria in secula seculorum, Amen) Summa sunt beneficia, quæ pater æternus ex immensa bonitate & misericordia in nos confert. Vnigenitum enim filium dedit pro nobis: offert remissionem omnium peccatorum: liberat nos ex præsenti seculo malo, transfert nos in regnum filij sui, effundit spiritum sanctum: accendit in nobis nouam lucem, iustitiam, vitam, læticiam, & constituit nos hæredes

omnium

omnium æternorum bonorum, gratis sine omni nostro merito. Quid igitur est æquius quàm vt gloriam tam clementis Dei, totis viribus, omnibus modis & omni tempore celebremus. Vniuersum regnum Iesu Christi ideo instituit pater æternus, vt orbis vniuersus ipsius gloria impleretur. demus ergo operam, vt omnia ad gloriam Dei referamus, & eius laudes in omni æternitate celebremus.

Miror quòd tam citò transferimini ab eo, qui vocauit vos in gratia Christi: in aliud Euangelion, quod non est aliud: nisi quòd quidam perturbant vos, & conantur peruertere Euangelium Christi.

ACris hæc est increpatio Galatarum, qua perstringit eorum leuitatem, quòd tam citò defecerint ab agnita veritate, & aures præbuerint pseudoapostolis. Summum beneficium est intellectus beneficiorum Christi, & agnitio veritatis Euangelij, vt qua salus nostra æterna continetur. Hoc tantum bonum accuratissimè, & insigni constantia custodire & conseruare, & falsos doctores, vt pestem animarum præsentissimam, summo stu-

mio studio cauere debebant pij homines. Non ergo sine causa Paulus ad stuporem vsq; miratur inconstantiam & negligentiam Galatarum, quòd passi sint tam leui momento abduci se à salutari doctrina Euangelij, quam ab apostolo perceperant, ad corruptelas pseudoapostolorum. Admonet nos Paulus de ingenti imbecillitate sanctorum in hac vita: licet pij conuersi ad Deum donati sint spiritu sancto, à quo ducuntur & illuminantur: tamen tanta est eorum infirmitas, vt leui momento, si Deus manum subtrahat, in errorem induci possint. Magna est oscitantia, magna securitas in pijs. Non tanto studio quanto debebant, scrutantur sacras literas: non tanto ardore inuocant Deum, vt ducantur à spiritu sancto in omnem veritatem, & contra præstigias falsorum doctorum muniantur. Admonet etiam de insidijs & atroci potentia Satanæ, qui non solùm gentes & impios detinet in erroribus, sed pios quoque à spiritu Dei illuminatos nouo dogmate facilè turbare, & in errorem præcipitare potest. Quamobrem vigilandum est nobis, vt solida fundamenta veræ sententiæ ex verbo Dei discamus, contra Satanam armis spiritus nos muniamus, spiritus sancti gratiam adsiduè imploremus, & fanaticos doctores singulari diligentia & pio zelo vitemus.

Ab eo,

Ab eo, qui vocauit vos in gratia Christi) Magnitudinem lapsus ostendit Galatis commemoratione beneficij, quod ex Pauli doctrina perceperant. Gentes antea fuerant ignari Dei, & alieni à vita & iustitia, oppressi morte & peccato: Per Pauli verò doctrinam à Deo vocati erant in gratia Christi. Hoc est, Deus seipsum patefecerat Galatis, & reuelauerat eis promissionem Euangelij, donauerat eis remissionem omnium peccatorum, receperat eos in gratiam propter Christum, redemerat eos à maledictione legis, & potestate Satanæ, & collocauerat in regnum lucis & vitæ. Quæ posset homini maior contingere felicitas? Tale lumen deserere, & aures præbere errori, hoc sanè est fontem aquæ viuæ relinquere, & fodere cisternas, quæ aquam continere non valent. Valde igitur grauis est hæc castigatio Galatarum. Cum gratiam Christi dicit, omnia beneficia regni Christi intelligit. Hæc deseruntur & relinquuntur horrendo stupore, cùm applauditur errori de iustitia legis & operum coram Deo. Excluſi ergo sunt à gratia Christi, carent remissione peccatorum, sunt sub ira Dei & maledictione legis, sunt obnoxij morti, seruiunt Tyrannidi Satanæ, destituuntur spiritu sancto, vita & iustitia, non sunt

sunt hæredes vitæ æternæ, quotquot ex obseruatione legis & ex operibus coram Deo conantur iustificari. Passi enim sunt se abduci & transferri à gratia Christi, extra quam nulla salus homini contingere potest. Nihil posset durius vel asperius dici in pseudoapostolos, & omnes qui vrgent iustitiam operum. Non ergo putemus ludum vel iocum esse, quoties veritas Euangelij aliquo errore corrumpitur, sed sciamus, totam nostram salutem tum periclitari. Imò Paulus dicit, eos prorsus à Deo deficere, qui adsentiuntur pseudoapostolis, contendentibus, ad impetrandam iustitiam, legis obseruationem esse necessariam. Simul autem exemplo suo docet nos Paulus, qua arte & modo restituendæ sint Ecclesiæ, quæ falso aliquo dogmate perturbatæ sunt: non dissimulatione vel approbatione errorum, non conciliatione pugnantium dogmatum, non oppressione vel expulsione vtriusque partis, non palliatione corruptelarum; sed acri correptione eorum, qui à veritate defecerunt, perspicua errorum refutatione, & euidenti demonstratione immotorũ fundamentorum. Paulus non parcit suis auditoribus: multò minus parcit pseudoapostolis, quantumuis arroganter de se sentiant; sed vocat eos turbatores conscientiarũ, & peruersores Euangelij Christi. Plura enim & gloria Dei, et veritas Chri-

Christi, & salus Ecclesiæ facienda est, quàm quorumcunq; hominum authoritas. Sic alibi iubet Paulus οὐκ ὑποτίθεσθαι μηδὲ ἐλέγχειν τοὺς αὐθαδεύοντας: non vult nos conniuere ad errores, nec silentio nostro fenestram aperire ad spargendas corruptelas in Ecclesia. Attendite vobis, inquit Paulus, & vniuerso gregi. Semper enim insidias struit Satan veritati, & cuniculis actis eam subruere conatur. Hic hostis aliter repelli non potest, quàm gladio verbi diuini. Qui vel silentio viam erroribus faciunt, vel cothurnis & conciliationibus corruptelas excusant & colorilus pingunt; dici non potest, quantum detrimenti adferant Ecclesiæ.

In aliud Euangelion) Etsi falsi doctores pestilentissimum genus doctrinæ adferant, quod Deum contumelia extrema adficiat, & vniuersam hominis salutem impediat: speciosissimo tamen titulo semper id ornant, vt incautas & rudes mentes in eam securitatem inducant, nihil subesse periculi: imò rectius tradi viam salutis per ipsos, quàm per apostolos. Pseudoapostoli Euangelion Iesu Christi, quod Paulus prædicauerat, impugnabant, tanquam blasphemiam, quæ Deum contumelia adficeret & legem Mosaicam penitus euerteret. Ipsi verò legem vrgebant & con-

tendebant circumcisionem & totius legis obseruationem adeò necessariam esse, vt absq; ea nemo salutem & iustitiam obtinere possit. Nihilominus tanta fuit eorum impudentia, vt doctrinam suam Euangelij titulo insigniuerint. Idem fecerunt Marcion, Manichæus, Valentiniani, qui prodigiosos suos errores vocarunt Euangelion Christi. Sic Arrius & Pelagius immanes hostes veritatis Euangelicæ, superbè iactitarunt, se ipsissimum Iesu Christi Euangelion tradere. Nostro tempore nouum genus doctrinæ attulit Andreas Osiander, & blasphemo ore negauit remissionem peccatorum esse nostram iustitiam coram Deo: negauit passionem & obedientiam Christi, qua legi satisfecit, nostram esse coram Deo iustitiam: Nihilominus tamen videri voluit, se idem genus doctrinæ tradere, quod Martinus Lutherus docuisset. Caluiniani errorem suum de cœna domini venditant speciosо & augusto titulo Augustanæ confessionis. Non ergo patiamur nobis imponi arrogantia & impudentia fanaticorum doctorum, sed examinemus prius, ipsum doctrinæ genus, iuxta amussim verbi diuini, priusquam titulis fidem habeamus.

Quod non est aliud, nisi quòd aliqui sunt, qui vos perturbant & peruertere

volunt Euangelion Christi.) Viuis coloribus depingit hic apostolus fanaticos doctores & præstigiatores. Inanes, inquit, titulos ferunt et fumos vendunt, promittunt magnam lucem, cùm meras inducant tenebras: vitam pollicentur, cùm auditores suos mergant in mortẽ: iustitiæ præcones haberi volunt, cùm sint impietatis & scelerũ magistri: A fide abducunt homines, & instillant omnium animis meram hypocrisin: nullam ostendunt conscientijs solidam consolationem, sed eam in perpetua dubitatione relinquunt, & tandem in desperationem præcipitant. Non enim est aliud genus doctrinæ sub sole, quod conscientiam sensu iræ diuinæ grauatam leuare, iustitiam & vitam peccatori conferre possit, quàm Euangelion de Iesu Christo, quod à me accepistis. Nec angeli in cælo, nec homines in terra vllam possunt inuenire rationem vincendi peccatum, mortem, iram Dei, terrores conscientiæ, Satanam & infernum, præter eam, quæ vobis in Euangelio Iesu Christi reuelata est. Inanes igitur verborum ampullæ sunt, quòd pseudoapostoli aliud promittunt Euangelion, cùm in tota rerum vniuersitate non sit aliud, quàm quod Christus reuelauit, & Paulus prædicauit.

Perturbant, inquit, vos) Est et hæc propria

pria nota fanaticorum doctorum. Non erudiunt Ecclesias, non explicant dogmata, non monstrant conscientijs solida fundamenta fidei, non muniunt piorum animos contra verbi diuini coruptelas: sed tantùm turbant auditorum mentes, vt magis incerti reddantur quàm vnquam fuerunt. Quam tandem doctrinæ partem explicauit Ostander? Quem fidei articulum illustrant Caluinistæ? Quid emolumenti cæpit Ecclesia ex prophano Illyrici dogmate, de essentiali peccato, & Satana creatore, & peccato originis rationali? Nihil sanè. Plurimorum animos vehementer turbauit Illyricus hoc suo dogmate nouo: pauci ex istis vepribus se extricare potuerunt: multos ita dementauit suo fascino, vt nullis scripturæ testimonijs in viam reduci possint. Et tamen illi ipsi, qui προσωπολη\psiια Illyrici fascinati sunt, quem fructum adferat portentosum Illyrici dogma, de peccato rationali et cum deliberatione agente, ignorant: imò sic turbati sunt, vt sibiipsis sæpissime contradicant, nectunt modos quos soluere nequeunt, & in ipsa falsitate irretiti hærent. Hutusmodi perturbationem mentis et perplexitatẽ omnes corruptelæ adferunt. Nebulas enim offendũt veritati, et scrupulos inijciunt imbecillis animis: cùm aliàs difficile sit homini, veritati diuinitus patefactæ, &

quæ rationi nostræ consentanea non est, constanter adsentiri. Arrius suis sophismatibus vniuersam Ecclesiam in oriente turbauit. Pelagius suis commentis multos inuoluit. Quid aliud præstiterunt Monachi, Scotus, Aquinas & alij, quàm quòd conscientias perturbarunt, & in dubitationes perpetuas & pernicioſissimas præcipitarunt? Doctrina Monachorum de iustificatione, de merito congrui, de pœnitentia, de satisfactione, de authoritate Ecclesiæ & pontificis Romani, horrendæ fuerunt animorum perturbationes: adeò vt multos ad desperationem adegerint. Maioris dogma de necessitate bonorum operum ad salutem, & quòd nemo vnquam sine bonis operibus saluatus sit, adeò perturbat piorum mentes, vt certò statuere non possint, se Deo propter Christum reconciliatos esse, eò quòd meras sordes in sese deprehendant, & omni bono opere vacent. Adeoq; euertit hoc dogma fidem, & derogat beneficijs mediatoris, & incertam reddit Dei veritatem. Diuersa planè ratio est salutaris doctrinæ. hæc enim erudit conscientias: adfert lucem rebus: monstrat indubitatam veritatem: munit nostras mentes aduersus præstigias: erigit animos certa consolatione: & deducit nos ad solida fundamenta, quibus tutò inniti possumus. In Pauli apostoli doctrina de gratuita iustificatione propter

pter Christum, licet nobis tutò acquiescere: nec mens pia quicquam desiderat amplius. In Christo enim Iesu omnes thesauri sapientiæ sunt reconditi, & cum Christo omnia donata sunt nobis. Nihil hic est perplexitatis, nihil obscuritatis, nullum inuolucrum, nulla incertitudo. A corruptelis ergo caueant sibi pij, & muniant se veritate, ne perturbentur, & à spe salutis æternæ deijciantur.

Et peruertere volunt Euangelion Iesu Christi) Monet nos seriò spiritus sanctus de conatu Satanæ in fanaticis doctoribus. Magnis encomijs sese prædicant, & sanctè obtestantur, se ardenti studio flagare propagandi doctrinam Euangelij: simulant se valde cruciari animo, quòd ignorent homines veritatem Christi: promittunt se longè meliora tradituros, quàm reliqui pastores docuerunt: Reliquos pastores vix gustum doctrinæ cælestis impertiuisse, se verò allaturos solidum, eumq; saluberrimum animarum cibum, & omnium famem abunde expleturos. Interea verò nihil agunt, nisi quòd peruertunt Euangelion Iesu Christi, sinceram de Deo veritatem subducunt ex oculis & auribus auditorum: & meras corruptelas & dogmatum peruersiones substituunt. Salutarem de Iesu Christo

doctrinam exposuerat Paulus Galatis, quòd homines absque operibus legis, gratia Dei per fidem propter mortem filij Dei mediatoris acciperent peccatorum remissionem, & iustificarentur coram Deo. Verùm pseudoapostoli ex alto hanc simplicem doctrinam despiciebant: vrgebant circumcisionem & legis Mosaicæ obseruationem ad salutem necessariam esse: quo nouo dogmate totam Pauli doctrinam peruertebant. Si enim legis obseruatio necessaria erat: ex passione & morte Christi iustitia & salus sperari non potuit. Sic omnes sectarij & corruptelarum architecti vel patroni peruertunt semper Euangelion Iesu Christi. Primùm verba audacissimè contorquent & inuertunt. Manifestissimum est quo sensu Paulus dicat: Credenti fidem imputari à Deo ad iusticiam. Græca enim vox notissima λογίζεσθαι omnem aufert dubitationem. Et tamen Osiander & Andradius Hispanus eò impudentiæ abrepti sunt, vt ille imputare interpretatus sit, inserere seu implantare: hic verò infundere. Licet apostolus Paulus multis modis vocabulũ gratiæ interpretetur pro gratuita Dei misericordia & fauore, quo gratis remittit peccata: tamen pertinacissimè & audacissimè contendit Tridentina synodus, Gratiam in articulo iustificationis significare Paulo infusam charitatem. Samosatenus

nus nefariè contorsit appellationem filij Dei, dum adseruit, λόγον in Iohanne non significare personam, sed tantùm cogitationem & propositum in Deo patre, de mittendo Messia, et liberando genere humano. Pelagius vocabulum gratiæ contorsit, & de reuelatione legis & donatione liberi arbitrij in creatione fraudulenter exposuit. Nec verò tantùm verba spiritus sancti calumniantur & peruertunt, sed ipsos etiam infringunt articulos fidei, et totum nobis auferre conantur Christum, cum omnibus beneficijs ipsius. Arrius conuulsit articulum de æterna Christi diuinitate: negauit eum esse ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον patri. Hac blasphemia vniuersam Christianorum religionem ex fundamentis euertit. Nulla enim pijs mentibus satis firma relinquitur consolatio, amissa hac luce, quòd Iesus Christus sit verus homo et omnipotens Deus. Pelagius & Monachi dum contra sacram scripturam humano arbitrio libertatem adscripserunt, totum Christi Euangelion peruerterunt: beneficia mediatoris sepeliuerunt: consolationem de gratuita remissione peccatorũ extinxerunt: legis diuinæ iudicium in philosophiam transtulerunt: & innumeris erroribus Ecclesiam impleuerunt. Osiander & Maior noua dogmata in Ecclesiã inuexerunt. Ille contendit nos essentiali iustitia Dei iustificari: hic verò vrsit

bona opera ad salutem adeò esse necessaria, vt nemo vnquam sine operibus saluatus sit. Vterque corrupit & peruertit Euangelion Iesu Christi: Vterq; sustulit discrimen legis & Euangelij. Vterq; obscurauit summè necessariam consolationem de gratuita reconciliatione cum Deo, & imputatione iustitiæ per fidem. Idem agit Satan in omnibus sectarijs. Vigilandum est igitur & diligenter attendendum, ne sinamus nobis doctrinam Euangelij peruerti fanaticis opinionibus. Carnis sapientia parui facit, si quis noui aliquid adferat in Ecclesiam, nouas vsurpet phrases, & suarum opinionum commenta spargat. Existimat pacis causa multa etiam palàm falsa dissimulanda & commodè interpretanda esse. Inprimis detestatur Theologorum rixas, & acres contentiones de dogmatibus, quibus metuit turbatum iri pacem, & statum Reipub. in graue periculum venturum. Idcirco secundum carnem sapientes gubernatores plerunq; oderunt doctores, pio zelo erroribus contradicentes, & de veritatis simplicitate præliantes cum sectarijs. Constantinus magnus acerbè succenset Alexandro Episcopo, quòd tanta vehementia sese opponat Arrio. Aula Theodosii iunioris grauiter persequitur Cyrillum Alexandrinum Episcopum, & Memnonem Ephesinum, quòd Nestorij deliria tanta alacritate infrin-

infringerent. Politici enim nec intelligunt nec considerant, quantum subsit periculi, quando falsa doctrina gliscere cœpit in Ecclesia: At Paulus monet fanaticis opinionibus Euangelion Iesu Christi, quo omnis nostra continetur salus, peruerti. Maior ergo Euangelij, vt constet nobis salus nostra æterna, habenda est ratio, quàm pacis vel omnium aliarum rerum humanarum. Errores gliscentes vel grassantes in Ecclesia taxandi sunt, etiamsi fractus illabatur orbis. Nullius personæ, nullius authoritati hîc parcendum est. Plus Christo debemus, quàm non solùm præceptoribus, verùm etiam parentibus, prophetis & apostolis: & Ecclesiæ saluti potius est consulendum, quàm inani existimationi seducti hominis. Semper igitur in conspectu sit nobis: Si patiamur peruerti Euangelium Iesu Christi, actum esse de nostra salute.

Sed si nos aut angelus de cælo annunciaret vobis Euangelium præter id, quod annunciauimus vobis, sit anathema. Quemadmodum dixi, iterum dico, si quis annunciat vobis aliud Euangelium præter id, quod accepistis, sit anathema.

HAec admodum insignis est sententia apostolica, magno & ardenti zelo prolata: cuius magnus est vsus in Ecclesia, & quæ nos de summis rebus admonet. *Vox* anathema *significat excommunicatum, à Deo & tota Ecclesia damnatum atq; execrationi destinatum, cui cum regno Christi nihil est commune, sed qui horrendæ Dei iræ est obnoxius. Magno ergo zelo detestatur eos Paulus & diris deuouet, qui nouum genus doctrinæ, præter apostolicam religionem, inuehunt in Ecclesiam: non parcit Angelis è cælo, nec sibiipsi parci vult.* Euangelion *hic totam Christi doctrinam significat, legem & Euangelion, & omnes articulos fidei. Qui corrumpit aliquem fidei articulum, is adfert nouum Euangelion. Iam verò consideret pia mens amplitudinem doctrinæ, quam in hac sententia spiritus sanctus Ecclesiæ proponit.*

1. *Primùm ostendit nobis Paulus certitudinem suæ doctrinæ, quam circumfert & in orbe spargit. Adeò enim non dubitat de æterna veritate sui Euangelij, vt angelo è cælis audeat dicere anathema, si diuersum doceat. Acceperat apostolus suam doctrinam non ab hominibus, nec ab angelis, sed ab ipso Deo, per reuelationem Iesu Christi. Tutius ergo fuit Deo fidem habere, quàm*

quàm vlli creaturæ. A domino, accepi, inquit, quod & tradidi vobis. Nec verò tantùm Paulus viuam acceperat consolationẽ ex hac doctrina Euangelij, quam Galatæ didicerant: verùm etiã plurimi ex Iudæis et gentibus per eam ad veram Dei agnitionẽ peruenerant, & salutem adepti erant. Ipsa piorum experientia testiabatur, doctrinam Pauli, Dei esse veritatẽ, quæ homines ex morte retraheret, et in cælum transferret. Effusus erat in Paulum spiritus sanctus, qui et conscientiã eius reddebat de veritate cælesti certissimam, et donis eũ ornabat excellentissimis. Edebat et signa et miracula vt apostolus Iesu Christi, quib. et Dei præsentiam et suæ doctrinæ certitudinẽ demõstrabat. Certò igitur statuit, non esse aliud doctrinæ genus sub cælo, in quo monstretur hominib. via perueniendi ad vitam æternam, quàm quod Paulus docuit Galatas. In hunc modũ singulis pijs opera danda est, vt de sua in Deum fide certi & fundati sint, vt nullis sophismatum vel tentationum procellis ab ea dimoueri possint. Summo studio cauendũ est ne omni vento doctrinæ circumferamur, ne conscientia nostra hæreat in dubitatione de Deo & eius voluntate. Varijs enim artificijs infestat Satanas piorum fidẽ: Et sophismatũ et præstigiarũ, quibus Satanas Euangelij doctrinam euertere conatur, nullus est finis. Fundamentum ergo nostræ religio-

religionis immotum ponendum est, & arx fidei nostræ vndiq; munienda, vt omnes aduersarij insultus sustinere & superare possit. Non sunt autem nobis nouæ reuelationes de cælo expectandæ, quales habuit apostolus Paulus: nec vel visibilis donatio spiritus sancti, vel noua miracula nobis expetenda sunt: sed fundamentum fidei nostræ certissimum est sacra scriptura ab ipso Deo inspirata, & Ecclesiæ Christi, veluti thesaurus summus, commendata. In Propheticis & Apostolicis scriptis pater æternus consilium & voluntatem suam de nostra salute planissimè exposuit. His testibus cùm fidem habemus, ipsi Deo de se testanti credimus. Ad sacram scripturam ipse Deus nos remittit: Scrutamini scripturas. Ioh. 5. Ad legem & testimonium. Iesa. 8. Pontificij fingunt scripturam sacram esse litis materiam, & Lesbiæ regulæ similem: certissimum verò esse fundamentum fidei, vt Lindanus apertissimè loquitur, traditiones apostolicus non comprehensas in Biblijs. Nihil posset dici futilius nec furiosius. Planissima enim ipsius Dei verba Lesbiæ regulæ, & Sibyllæ foliis conferre, an non est extrema & impudentissima blasphemia? Præclarè Lactantius inquit: Num Deus et mentis & linguæ artifex, disertè loqui non poterit: imò verò summa prouidentia carere fuco voluit quæ

quæ diuina sunt, & vt omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur. Aliunde certè apostolicæ traditiones peti non possunt, nisi ex scriptoribus Ecclesiasticis, quæ extant. An ergo plus deferemus humanæ authoritati, quàm diuinæ? An non in mentem venit: Omnis homo mendax; Solus autem Deus verax? Ad consuetudinem vel Romanæ vel alterius Ecclesiæ, quæ toties est mutata, aucta, inuersa, sine certo authore magna ex parte introducta, nos remittere, stultissimum est: ad pontificis verò, qui omnia iura in scrinio pectoris sui habet, declarationem decurrere, & furiosum & blasphemum est. Maneat ergo hoc firmum in Ecclesia, quod & euerti nullo modo potest: Indubitatum & certissimum fidei nostræ fundamentum esse, perspicua inscriptis Propheticis & apostolicis testimonia.

2. Secundò tribuit apostolus Paulus singulis pijs ius & authoritatem iudicandi de omni genere doctrinarum & religionum. Cùm enim dicit: Sit anathema, quicunq; aliud Euangelion docuerit, vult vt nos quoq; & singuli auditores pro anathemate habeant eos, qui nouum genus doctrinæ adferunt. Tam grauis sententia sine iudicio ferenda non est in quenquam: sed examen præmittendum est. Singulis ergo pijs licet iudicium facere, non solùm de suorum pastorum concionibus,

bus, sed & de conciliorum decretis, & pontificis statutis, imò et de angelorum reuelationibus. Vnde & Christus inquit. Cauete vobis à falsis prophetis. Et 1. Ioan. 4. Probate spiritus, vtrum ex Deo sunt. Si quis hic obijciat: Neminem posse de eo iudicium facere, quod non didicit. Respondendum est: Doctrina Christi non tantùm ad doctos & sapientes, sed ad omnes ecclesiæ ciues pertinere. Quilibet tenere debet articulos fidei: cuilibet salutem expetenti nota esse debent fidei suæ fundamenta. Et regula, iuxta quam omnis generis doctrinæ sunt examinandæ, in conspectu est omnibus. Non igitur necesse est adsentiri magnorum conciliorum decretis, aut magnorum præceptorum sententijs: nisi eas nobis ex perspicuis sacræ scripturæ testimonijs comprobauerint. Non loquor de difficilium locorum scripturæ explicatione, nec de controuersiarum dilucida declaratione, nec de Euangelij ad populum prædicatione, ad quam & vera eruditio & singularia dona spiritus requiruntur: sed de authoritate iudicandi de doctrina nostram salutem concernente. Ea ad omnes pertinet, vt omnibus parta sit salus, & omnium interest, vt certi sint de sua in Deum fide.

3. Tertiò conuincitur ex hoc loco eos in graui errore esse, qui contendunt Ecclesiæ maiorem authoritatem esse quàm Euangelij. Paulus enim nec angelis nec apostolis parci vult, si mutent Euangelij doctrinam. Quomodo ergo Ecclesiæ, quæ supra fundamentum prophetarum & apostolorum ædificata, & ad scripta Prophetica & Apostolica alligata est, plus tribueret authoritatis quàm ipsi Dei verbo? An non Ecclesia ex ipso Dei verbo generatur? Num tutius Ecclesiæ quàm ipsi Deo credimus? Euangelion in scriptis propheticis & apostolicis comprehensum, ipsius Dei verbum & à spiritu sancto profectum esse, non est dubium: Ecclesia verò, si ab hoc discedat Euangelio, tantùm abest vt spiritu Dei regatur, vt ne quidem Ecclesia haberi possit. Oues enim meæ, inquit Christus, vocem meam audiunt. Non est igitur supra Dei verbum: quin potius ad pedes Christi & Apostolorum sedeat Ecclesia, & quam ab his didicerit doctoribus veritatem, eam & firmiter amplectatur & constanter tueatur.

4. Quartò Paulus insigni exemplo nos docet, quàm ardenti zelo & errores, & eorum doctores auersari debeamus. Anathemate nihil potest dici atrocius vel tristius. Excludit enim hominem à toto Christi regno, obruit eum horrenda Dei ira, & in perpetuam conijcit damnationem. Hoc tristi fulmine ferit apostolus omnes, qui falsam adferunt doctrinam, & Euangelion Iesu Christi

Christi corrumpunt. Non parcit apostolus angelis in cælo, nec sibi, nec vlli apostolorum: nec verò tantùm errores ipsos damnat, sed etiam falsos doctores, qualescunq; illi fuerint. Hic zelus nobis imitandus, vt testemur & seriò nos amare Christum, & salutem æternam omnibus rebus humanis anteferre. Mundus parui pendet errores & corruptelas, existimat perinde esse, siue hoc siue illo modo doceatur. Ideoq; indignissimè fert, si corruptelarum instituatur confutatio, & quis contendat pro veritate. Metuit enim tranquillitatem Reipub. quàm longè pluris facit, quàm Christi gloriam & hominum salutem, turbatuum iri: seuerè itaq; vetat taxari errores & patrocinium suscipi veritatis: ac omnino vult parci magni nominis personis, etiamsi à tramite veritatis deuiarunt. Prædicat illorum merita in Ecclesiã: extenuat lapsus: & magis de honore miserorum hominum, quàm de conseruatione veritatis est sollicitus. Ab hac prophanitate omnes pios decet esse alienissimos: Nihili enim facit gloriam Christi & Ecclesiæ salutem. Ideoq; certum est hanc prudentiam non à spiritu, sed à carne proficisci. Aaron & Salomon summi viri fuerunt in Ecclesia, de ea præclarè meriti: cùm verò vterque in idolatriam laberetur, nequaquam pepercit eis Ecclesia, sed vtriusq; peccatum taxauit grauissimè.

Idem et nobis in Ecclesia Christi faciendum. Nihil refert, quales fuerint, quid præstiterint, quibus donis ornati fuerint, quòd si qui Euangelij veritatem corruperint, anathematis fulmine feriendi sunt, etiamsi præceptores, parentes vel fratres fuerint. Mascule Hieronymus: Ego si patrem, si matrem, si germanum, aduersus Christum meum audiuissem ista dicentes, quasi rabidi canis blasphemantia ora lacerassem, & fuisset inprimis manus mea super eos. Constanter etiam & rectè statuit Constantinopolitana synodus: Si quis non dicit anathema Arrio, Macedonio, Nestorio, Eutycheti, Origeni & similibus, sit anathema.

Num enim homines suadeo, an Deum? aut quæro placere hominibus? Etenim si hominibus placerem, Christi minister non essem.

HOmines suadere vel prædicare est magnorum virorum laudes decantare coram populo, & virtutes illorum encomijs in cælum extollere. Apud Ethnicos vsitatissimum fuit hominum laudes magnis verborũ ampullis decantare. Hæc eoncionandi ratio non parit inuidiam aut periculã. Est enim pars κολακευτικῆς. Quia homi-

WBP Oolo

num natura superba est, semper laudari cupit, etiam cùm non meretur. Satan verò clam ridet in sinu, cùm audit stultorum hominum laudes: intelligit enim ijs dementari homines, vt non agnoscant suam infirmitatem, non agant pœnitentiam, non petant spiritus sancti auxilium, sed induant securitatem, erigant cristas, & superbia inflati alios præ se contemnant: non ergo molestè fert tales conciones, neq; eiusmodi doctoribus creat pericula. At Deum suadere seu prædicare, est solius Dei iustitiam, veritatem, misericordiam & omnipotentiam celebrare, & hominibus annunciare: quæ latus Deo, vt par est, tribui non potest, nisi econtra omnium hominum laudes sileant; totum genus humanum de peccato accusetur, infirmitas, indignitas, stultitia, inopia, iniustitia, & impuritas omnium hominum palàm demonstretur. detrahitur enim gloriæ diuinæ, quicquid meritis humanis adscribitur. Cùm hominis iustitia prædicatur, obscuratur Dei misericordia, quæ hominem iustificat: cùm homini liberum tribuitur arbitrium, non conspicitur virtus spiritus sancti operantis salutem. Deum ergo suadere, est totum mundum damnare, & nullam relinquere laudem homini: vt Deo suus constet honor.

Hæc verò docendi ratio summam incurrit inui-

uidiam, odia & pericula: homines enim sunt superbi, stultitiam & peccata sua accusari nolunt. Satan verò intelligit, hoc genere doctrinæ Dei gloriam rectè illustrari, homines ad seriam inuitari pœnitentiam, ac beneficiorum mediatoris capaces fieri: suum verò regnum destrui. Itaque omnis generis pericula huiusmodi prædicatoribus Dei creare solet, vt eos ab instituto deterreat. Hoc cùm animaduertant pseudoapostoli, non multùm laborant in adserenda gloria Dei, vt pericula declinent: toti verò sunt in decantandis hominum virtutibus, vt hominum fauorem aucupentur. Perstringit ergo hic Paulus pseudoapostolos: Galatas verò admonet, vnde iudicium de doctrina Pauli facere possint & debeant. cùm Paulus solius Dei gloriam prædicet, non quærat placere hominibus, sed exponat se propter gloriam Dei varijs conuicijs, odijs, calumnijs et periculis in mundo, non obscurè indecolligi potest, cælestem eum adferre doctrinam, & fideliter eum fungi suo ministerio. Hîc nobis discendum est, quæ sit conditio fidelium pastorum Ecclesiæ & ministrorum Euangelij. Si doctrinam Iesu Christi fideliter proposituri sumus mundo, vt sacra scriptura iniungit nobis, fieri non potest, vt hominibus placeamus, & eorum fauorem retineamus: sed subeunda sunt nobis odia potentũ, sustinendæ

calumniæ superborum, & perferendæ multorum hominum persecutiones. Veritas enim Dei ingrata est mundo, & nemo est, qui non succenseat suo accusatori. Hinc est quòd mundus Patriarchas, Prophetas, Christum, Apostolos & Episcopos tam fœdis excepit conuicijs, & tam acerbis persecutus est odijs. Obfirmet ergo pius minister Euangelij animum, & pectus suum præparet ad perferendas omnis generis iniurias. Nihil moueatur mundi vel iudicio vel fauore. Abundè satis sit ei, quòd Deo sanctissimo gratam spargit in ministerio famam: & labores suos ei consecrat, qui omnium liberalissimè eos vult & potest compensare.

Si enim hominibus placerem, Christi minister non essem.) Grauis planè sententia. miretur aliquis, quomodo hæc inter se pugnent, hominibus placere & Christi seruum esse. An non pastor aliquis & Christi seruus esse & hominibus simul gratificari potest? Ratio quidem imaginatur, prudenter illa coniungi posse. Verùm Paulus à spiritu sancto illustratus propiùs aspicit ministerium Euangelij, & rectiùs nouit mundi ingenium. Seruo Christi fideli incumbit, gloriam & maiestatem Christi vindicare: quæ est, quòd solus sit mediator, vita, salus & redemptor mun-

mundi: quòd ipse omnem nobis conferat lucem, sapientiam, iustitiam, virtutem, consolationem, & quicquid ad hanc & futuram vitam pertinet. Omnes enim promissiones tantùm in Christo sunt ratæ. Quòd si vel tantillum tribuas homini vel sapientiæ, vel iustitiæ, vel virium, vel vitæ extra Christum, totum hoc, quantum est, derogas et surripis gloriæ & maiestati Christi. Deest enim gratiæ, quod meritis tribuitur. Indignissimè autem ferunt homines, se omni prorsus laude iustitiæ & sapientiæ spoliari: atq; adeò nihil sibi relinqui, vt totum detur Christo. Etiam sanctorum carni molestum est quodammodo, nihil prorsus ei adscribi. Necesse est igitur offendere homines, si constituisti Christi seruus esse, & ipsius gloriam sincerè prædicare. Quòd apostoli & fideles pastores sanctis placent, cum soli Christo seruiunt, & nemini parcunt voce legis, hoc spiritu tribuendum est, qui luctatur aduersus carnem.

Notum autem vobis facio fratres, quòd Euangelion, quod à me prædicatum est vobis, non est secundum hominem: neq; enim ab homine accepi illud, neq; edoctus sum: sed per reuelationem Iesu Christi. Audiui-

stis enim meam conuersationem quondam in Iudaismo, quòd vehementer supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & vastabam eam, & proficiebam in Iudaismo supra meos coætaneos in genere meo: cum ardenti zelo patrocinium suscipiens paternarum mearum traditionum.

QVia pseudoapostoli suspectam reddiderant Pauli doctrinam & apostolicum munus: & apud Galatas cauillati fuerant, neque Paulum reliquis Apostolis munere parem esse, neq; cum Christo vixisse, neque doctrinam Christi rectè percepisse, instituit defensionem & suæ doctrinæ & apostolici muneris, refellit cauillos pseudoapostolorum, & ostendit, se munere non esse inferiorem reliquis apostolis: Necessaria planè erat hæc apologia Pauli. Non satis est Satanæ apostolorum & fidelium ministrorum authoritatem infringere, & personas ipsorum deformare: sed hoc agit, vt doctrinam eorum vocet in dubium: auditorum mentes ab ea alienet:

net: vt paulatim falsorum doctorum admirationem & errores ipsos eis instillet. Adferenda igitur fuit apostolici muneris authoritas: idq; præstat hic Paulus septem insignibus argumentis.

Primum argumentum ab authore doctrinæ.

Qui doctrinam suam non ab hominibus, sed ab ipso Deo immediatè per reuelationem Iesu Christi accepit, is Apostolico munere fungitur, nec ei minor fides habenda est, quàm ipsi Deo.

Paulus doctrinam suam non ab hominibus, sed ab ipso Deo accepit immediatè per reuelationem Iesu Christi, qui eum conuertit ad fidem, cùm hostis Ecclesiæ fuisset.

Ergo Paulus apostolico munere fungitur, nec ei minor est adhibenda fides, quàm si ipsum Deum concionantem audiremus.

HOC grauissimi ponderis est argumentum: ostendit Paulus, se immediatè à Deo vocatum esse, & ex ipsius ore Dei Euangelij doctrinam accepisse: Qui ergo de Pauli doctrina dubitant, ipsius Dei veritatem vocant in dubium. Immensum & ineffabile DEI beneficium est, quòd primùm ipse vnigenitus Dei filius promissio

nem salutis ex sinu patris protulit & mundo reuelauit. Deinde quòd spiritu suo excitauit patres, prophetas, & apostolos, per quorum vocem exposuit mundo suam voluntatem, & viam salutis monstrauit. Quodq; omnibus temporibus conseruat publicum ministerium, et promittit se illud defensurum vsque ad finem mundi. Cùm enim ignota sint beneficia mediatoris menti humanæ à natura, nemo hominum salutem æternam adipisci posset absq; ministerio. Vt autem Ecclesiarum pastores certum haberent verbum, nec omni vento doctrinæ circumferrentur; Ecclesia etiam de veritate cœlesti certa esset, eamq; ex certa regula examinaret: Prophetas & apostolos immediatè vocauit ad munus docendi Ecclesiam, de cœlo cum illis locutus est: dedit illis certa mandata: eminentioribus donis illos ornauit: & potestatem edendi miracula illis attribuit: ne quis iure de ipsorum doctrina dubitare posset. Nam et ipsæ reuelationes & excellentia spiritus sancti dona, & maiestas miraculorum, et certitudo vaticiniorum conuincunt apostolorum & prophetarum doctrinam ipsius Dei esse veritatem. Hæc cùm in Paulo conspicua essent, magnæ fuit impudentiæ, quòd pseudoapostoli conati fuerunt Pauli doctrinam & authoritatem in dubium vocare. Nos verò hic obseruemus, quòd sit discrimen inter apostolicam & mediatam vocationem. Apostolorum scriptis non aliter adsentiendum est, quàm manifestissimæ voci spiritus sancti: Reliquorum verò Episcoporum & pastorum scripta & conciones in tantum apud nos valere debent, quantum cum Apostolorum doctrina consentiunt, & solidis scripturæ testimonijs demonstrantur.

Reuelatio Iesu Christi, cuius hîc meminit Paulus; describitur Act. 9. vbi Lucas refert, Christum Paulo Damascum proficiscenti in via apparuisse. Magna res & beneficium ingens est, quòd Deus patefecit se hominibus, loquitur nobiscum de cœlo, mittit filium, compellat nos per angelos. Ostendit enim se de nostra salute sollicitum esse, & se velle nobis iustitiam, lucem, & vitam communicare. Verùm cauendæ sunt præstigiæ Satanæ, qui se transformat in angelum lucis; et multis imponit reuelationibus. Pepusiani, Priscilla, Montanus, Prophetæ cœlestes, Pelargus, Anabaptistæ, Ioannes à Leiden, Doct. Velsius, & innumeri homines fanatici iactitarunt reuelationes & ἐνθουσιασμὸς, sed meræ fuerunt præstigiæ, & ludibria Satanæ. A verbo enim Dei discesserunt, & errorum figmenta attulerunt. Examinandæ igitur sunt reuelationes, num congruant cum verbo Dei: nec sunt expetendæ reuelationes, cùm de omnibus fidei articu-

lis certam & explicatam habemus in verbo Dei voluntatem. Pauli reuelatio manifesta fuit, atq; etiam propter munus apostolicum necessaria. Monet autem ipse Deus, ne cuiuis spiritui credamus: sed probemus spiritus, num sint ex Deo. Probatio autem ex verbo Dei sumenda est.

Conuersionis suæ historiam texit hîc Paulus, vt ad Timotheum, et alibi. Est enim insigne exemplum misericordiæ Dei immensæ erga peccatores. Hic verò adducit eam, vt demonstret, se non ab hominibus, sed ab ipso Christo Euangelij doctrinam accepisse. Diligenter igitur expendat hîc lector immensam Dei bonitatem & clementiam, quòd non velit mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, et quòd gratia Dei abundet supra peccatum. Paulus manifestus erat Iesu Christi hostis: horribili odio veritatis ardebat: fascinatus erat blasphemis opinionibus de iustitia operum: immani furore persequebatur cœtus sanctorum: et polluebat sese innoxio sanguine filiorũ Dei. Hunc tantum veritatis & Ecclesiæ hostem adeò clementer respicit æternus pater, vt non solùm remittat illi omnia peccata: sed etiam constituat eum insignem Apostolum sui filij, et exornet eum excellentissimis spiritus sancti donis. Nemo ergo desperet in suis sceleribus de Dei misericordia et bonitate: nemo imaginetur regnum peccati

cati potentius esse gratia Christi. Omnes potius qui terrentur conspectu suorum delictorum, et æternam metuunt abiectionẽ, in hoc insigne exemplum Pauli oculos figant, & ex eo discant, verissimè et dulcissimè à Dauide dictũ esse, psal. 103. Non secundũ peccata nostra fecit nobis: neq; secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniã sicut altius est cœlum supra terram: sic prævalere fecit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est dominus timentium se.

In exemplo conuersionis Pauli clarè conspicitur, Synergistas errore implicatos esse, eò quòd contendant, esse aliquam vim seu facultatulam in libero arbitrio hominis, quæ conferat aliquid ad conuersionem hominis ad Deum. Paulus non modò nihil intelligit de Euangelio, sed planè cœcus est, et Christi doctrinam habet pro blasphemia. Voluntas Pauli prorsus aduersatur Deo: Et tamen spiritus sanctus mentem eius illustrat, & voluntatem eius flectit ad obedientiam erga Deum. Rectè igitur Augustinus: Deus non solùm auersas sed etiã aduersas ad se conuertit voluntates. Adeò nihil est in homine: vt totum Deo detur, non solùm quòd per Christũ redempti sumus: sed etiã quòd per spiritum sanctum viuificamur. Spiritui

sancto

sancto suus derogatur honos, vniuerso Dei verbo contradicitur, & voluntas humana mortua in peccatis idolum statuitur, quando fingitur voluntatis adsensum esse συνεργον seu adiuuantẽ causam conuersionis hominis ad Deum. Ab eiusmodi igitur Satanæ præstigijs caueant sibi piæ mentes.

Euidenter ostendit Paulus suo hoc exemplo, quid hominis non renati valeat arbitrium in negocio salutis: nimirum, quòd aduersetur spiritui: & quò maiore studio & zelo conetur cultum præstare Deo, hoc furiosius impugnat gloriam Dei, et hostilius persequitur Ecclesiam Iesu Christi. Vt nimis verè dixerit de errore arbitrij Prosper: Quantò plus graditur, tanto longinquius errat. Sensus enim carnis est inimicitia aduersus Deum. Vnde fit, qui secundum carnem videri volunt sapientissimi, mitissimi, iustissimi, optimi: secundum spiritum sunt stultissimi, crudelissimi, iniquissimi & pessimi omnium hominum. Apostoli suos errores & lapsus ipsi commemorant, vt inde capiamus consolationem, nec abijciamus spem in Deum propter nostram imbecillitatem: tum vt meritis sanctorum nihil: omnia verò diuinæ misericordiæ & bonitati tribuamus. Zelo se flagrasse ait Paulus, cùm nondum ad Deum conuersus esset. Duplex ergo est zelus: Carnalis & spiritualis. Zelus carnis absq; scientia, est impetus humanus, qui non agitur certo Dei verbo, neque luce spiritus sancti ducitur: sed per errorem patrocinium suscipit impij cultus, aut falsæ religionis: vel in actione aliud respicit, quàm Dei gloriam & Ecclesiæ salutem. Quando Saul interfecit Gibeonitas, quibus Israëlitæ iurauerant, zelus eius non fuit secundum scientiam, nec ducebatur spiritu Dei. Totius enim populi iusiurandum religiosè erat seruandum. Et omnino os domini in tam graui causa prius consulere debuisset: sed suæ indulgens cupiditati, vel vanam aucupans gloriam, prætexuit conatui suo nomen Dei. Zelus Iudæorum quadraginta, qui conspirauerant contra Paulum, & iureiurando sese adstrinxerant, se non sumpturos cibum, nisi Paulum interfecissent, & stolidus & furiosus fuit: aduersabantur enim Dei mandato: Non occides. Crebri tumultus in populo Iudaico sunt excitati, in quibus aliquot hominum millia perierunt, prætextu saltem zeli, quem religionis adserendæ causa susciperent. Ideo videndum est, vt zelo scientia adhibeatur. Est autem Zelus spiritualis & secundum scientiam, ardens Dei dilectio, accensa à spiritu sancto, cui prælucet veri Dei agnitio & solida fiducia mediatoris: quæ certa est de voluntate Dei, & tantùm spectat Dei gloriam, non indulget adfectui carnis: qua quis spretis omnibus vi-

bus vitæ periculis, adserit Dei gloriam, tuetur veritatem, & delet idola & blasphemias. Elias propheta plenus spiritu sancto, & rectè agnoscens Deum et eius voluntatem, falsos prophetas in manifesta idolomania deprehensos interfici iubet. Mathatias pater Maccabeorum rectè Deum inuocans, & ex animo dolens Ecclesiæ et religionis euersionem, ingenti motu accenditur, cum fanaticum sacrificulum videt offerre prohibitas hostias, & arrepto gladio trucidat eum. Nobilis vir in vrbe Nicomedia ardenter diligens Christum, blasphemum & crudele mandatum Imperatoris, de interficiendis Christianis, propositum, auellit & discerpit. Irene filia Licinij rectè inuocans filium Dei, magno spiritu frangit idola patris sui, vt vindicet gloriam Christi. Fundamentum ergo pij & veri zeli sit vera Dei agnitio, fiducia in mediatorem, seria inuocatio Christi, iudicium rectum de rebus spiritualibus, & sincera Dei dilectio.

Paternas traditiones vocat Paulus leges & ceremonias Mosaicas, quas à maioribus acceperat, & in quibus à puero institutus fuerat. Spirituale autem legis iudicium non intellexerat Paulus, priusquam ad Christum conuerteretur. Christus enim est finis legis.

Quando verò visum fuit Deo, qui me

me separauit ex vtero matris meæ, & me vocauit per gratiam suam in hoc, vt reuelaret suum filium in me, ut Euangelizarem eum inter gentes, non statim contuli cum carne & sanguine, neque redij Hierosolymam ad eos, qui ante me fuerunt Apostoli.

PErtexit historiam suæ conuersionis, quæ in actis copiosiùs describitur, & aliquoties repetitur. Non conuersus est Paulus ministerio Apostolorum: nec ab illis accepit suam doctrinam, sed Deus de cælo conuertit eum, & vocauit eum per gratiam, absq; omni præcedenti merito, vt esset apostolus Iesu Christi, qui annunciaret gentibus Euangelion æternæ salutis. Non ergo minor est apostoli Pauli authoritas, quàm reliquorum apostolorum, qui immediatè à Christo sunt vocati. Is, inquit, qui me separauit ex vtero matris, hoc est, qui me condidit, corpus & animam dedit, constituit me Apostolum. Dum vocationem suam ad Dei refert prouidentiam, monet nos Paulus, vt in omnibus ad Deum respiciamus. Non potest sibi homo sumere quidquam, nisi datum fuerit ei desuper: nemo potest sese constituere apostolum,

regem,

regem, principem, episcopum, doctorem, pastorem, artificem: sed omnia pendent à Deo. Insaniunt igitur, qui fraude & malis artibus emergere conantur: aut alienas inuadunt vocationes. Deus est qui nos condidit, & qui pro suo arbitrio collocat vnumquemq; in suam stationem. In hac vocatione quisque pareamus Deo, & nostrum ornemus locum.

Non contuli cum carne) Id est, non quæsiui humanæ authoritatis approbationem: non contuli cum alijs apostolis discendi & me confirmandi gratia. Iam enim certus eram de meo Euangelio & apostolico munere. Ipse enim dominus Iesus apparuerat Paulo in itinere, & Damasci, Anania imponente manus, repletus fuerat spiritu sancto Act. 9. Fatetur alios apostolos ante se fuisse: sed nihil se ab his didicisse. Nam, vt Lucas refert: Mox vbi conuersus & baptizatus fuit, & suam intellexit vocationem apostolicam; Damasci ingressus Synagogam demonstrauit Iesum esse Christum, filium Dei viuentis.

Sed abiui in Arabiam, & denuo reuersus sum Damascum. Deinde post annos tres redy Hierosolymam, ut viderem Petrum, & mansi apud eum dies quindecim. Quòd

QVòd munus suum apostolicum ab alijs apostolis, vt cauillabantur pseudoapostoli, non acceperit Paulus, neque Euangelij doctrinam ab illis didicerit: ita perspicuè demonstrat, quòd antè, priusquam vllum viderit ex apostolis, eo sit functus, & Euangelion Iesu Christi docuerit. Statim enim postquam dominus illi apparuerat, per impositionem manuum Ananiæ visum receperat, & baptizatus fuerat, ingressus Synagogam Damasci publicè annunciauit Euangelion de remissione peccatorum per Christum, & ex scripturis demonstrauit Iesum esse Christum filium Dei viuentis. vt Lucas refert in actis. cap. 9. Est ergo hoc

Secundum Argumentum.

Qui functus est munere apostolico, & Euangelion Iesu Christi docuit publicè, priusquam vllum vidit ex apostolis; is nec authoritatem sui officij ab apostolis habet, nec Euangelion ab illis didicit.

Paulus functus est munere apostolico: & Damasci & in Arabia sparsit lucem Euangelij.

Ergo Paulus nec authoritatem sui muneris apostolici accepit ab apostolis, nec doctrinam Christi ab ipsis didicit.

HOc vrget apostolus Paulus, se immediatè vocatum esse per reuelationem Iesu Christi de cælo, non per homines, vt Galatæ tantò maiorem fidem ipsius doctrinæ habeant. Lucas Euangelista in Actis omittit profectionem Pauli in Arabiam, & reditum eius in Damascum: Præcipua enim in historia Pauli annotare voluit, & referre in primis, quomodo Paulus post conuersionem & apostolis et Ecclesiis innotuerit, & quàm latè Euangelion prædicauerit. Pauli verò profectio in Arabiam, antequam viderat apostolos, argumentum euidens suppeditabat, quòd ab apostolis non esset ad docendum vocatus. Non ergo discrepat narratio Lucæ ab historia Pauli: nisi quòd Lucas quædam omisit, Vterq; verò refert reditum Hierosolymam. Temporum distinctio in cursu Pauli diligenter obseruetur: quia non parùm lucis adfert Epistolis Pauli & historiæ Lucæ.

Cursus Pauli Apostoli.

Anno Christi 37. Paulus Tarsensis conuersus est ad Deum: & statim prædicauit Euangelion Iesu Christi. Acto. 9.

Anno

1. Prædicationis Pauli.
   Tribus annis in Arabia & Damasco docuit Euangelion. Gala. 1.

4. Profectus est Hierosolymam, vt videret Petrum. Gala. 1.

5. Profectus est Cæsaream & Tarsum in patriam suam. A Barnaba deinde reuocatus est ex patria, & ductus Antiochiam Syriæ, vbi annum degit. Act. 11.

7. Reuersus est Hierosolymam, & reddidit eleemosynam, Antiochiæ à fidelibus collectam, senioribus in Ecclesia. Act. 12.

8. Ab anno octauo vsq; ad annum 17. docuit & constituit Ecclesias Syriæ, Asiæ, Ciliciæ, Pamphiliæ in Cypro. Acto. 13. & 14.

17. Anno conuersionis Pauli ex reuelatione spiritus sancti, profectus est Hierosolymam.

18. Paulus rediit Antiochiam, vbi in faciem restitit Petro apostolo. Act. 15. & Gal. 2.

19. Contentio fuit inter Paulum & Barnabam. Paulus venit in Derben & Lystram, vbi Timotheum sibi adiunxit. Deinde transiit Galatiam et venit in Macedoniã. Act. 16

20. Athenis fuit: concionem habuit in Ariopago. Acto. 17.

21. Corinthi commoratus est sesquiannum. Act. 18. Deinde
   Rediit in Asiam: venit Ephesum, peragrauit Galatiam & Phrygiam, Properauit ad festum Hierosolymam Act. 18.

22. *Paulus denuo rediit in Asiam: & biennium commoratus est Ephesi. Act. 19.*

24. *Troade prolixam habet concionem noctu: & Eutychum è fenestra lapsum resuscitauit à morte. Act. 20.*

Mileti valedixit Episcopis Ephesinis Acto. 20.

Venit postremò Hierosolymam, & captus fuit in templo. Act. 21.

25. *Cæsareæ biennium detentus fuit captiuus sub Felice præside. Act. 24.*

27. *Romam missus fuit à Festo præside successore Felicis. Act. 25.*

28. *Romæ biennium mansit in domo sua conducta cum milite. Act. 28.*

Hactenus historia Lucæ.

30. *Liberatus fuit ex ore Leonis. 2. Timoth. 4.*

Post hoc tempus dicitur docuisse Euangelion Christi in Italia, in Hispania et occidente.

36. *Vltimo Neronis anno interfectus est cum apostolo Petro, eodem die, vt scribunt.*

Hic fuit cursus apostoli Pauli plenus laboribus, periculis, & certaminibus. Etsi singulorum annorum exacta supputatio haberi non potest: tamen ex historia Lucæ aliquo modo distingui possunt profectionum tempora. Hoc in loco Paulus ea tan-

ea tantùm attingit, quæ ad causam præsentem faciunt. Vult enim demonstrare, se non accepisse doctrinam Euangelij ab apostolis: nec ab illis constitutum esse apostolum. Quia annis aliquot antè quàm vidit vllum ex apostolis; et docuit Euangelion, & apostolico munere functus est.

Alium verò ex apostolis non vidi, nisi Iacobum fratrem domini.

CVm Paulus anno quarto post suam conuersionem venisset Hierosolymam Petri videndi gratia, non fuerunt tum apostoli omnes præsentes, vt de communi consensu potuissent Paulo demandare apostolicum munus: sed tantùm Iacobum fratrem domini conuenit Paulus. Falsum igitur est, quòd pseudoapostoli cauillantur, Paulum suum Euangelion ab apostolis didicisse. Duo fuerunt Iacobi inter apostolos, alter Alphæi filius, qui & frater domini dictus fuit: quia fuit frater consobrinus ex matertera Christi, nimirum Maria sorore matris domini genitus: quæ prius Alphæo: hoc mortuo Cleophæ nupta fuit.

| | | |

α	ϐ	γ
Ex his natus	Ex hac natus	Ex his nati
Iacobus Alphæi, frater domini consobrinus: dictus minor.	CHRISTVS Dei filius.	Ioannes Euangelista.	Iacobus maior interfectus ab Herode. Act. 12.

Scribunt Iacobum fratrem domini post Christi resurrectionem præfuisse Ecclesiæ Hierosolymitanæ 30. annis, & tandem fullonis fuste interfectum esse. Euseb. lib. 2. cap. 23. Consentaneum est reliquos apostolos per Iudæam dispersos fuisse, & Euangelion prædicasse.

Quæ autem scribo, ecce coram Deo, non mentior.

PLurimum referebat Galatas esse certos de Pauli apostolica vocatione, quam pseudoapostoli cauillabantur: ne igitur de hac Pauli narratione vllam admitterent dubitationem, ipsum Deum allegat testem. Licitum est enim Christianis iurare: imò, cùm non ex leuitate fit, sed ad Dei gloriam illustrandam, ad confirmandam Ecclesiam in veritate, ad stabiliendam iustitiam, iuramentum præstatur: est cultus Deo placens. Iuramentum enim est adseueratio rei alicuius nobis

nobis perspectæ, cum inuocatione veri Dei, vt is clementer defendat innocentem & veracem, puniat verò fallentem.

Deinde veni in regiones Syriæ & Ciliciæ. Eram ignotus facie Ecclesijs Iudææ, quæ sunt in Christo: tantùm audiuerant, quòd qui persequebatur nos aliquando, nunc prædicat fidem, quam quondam vastabat. Et glorificabant in me Deum.

LVcas Act. 9. idem refert: apostolorum discipulos abhorruisse à consortio Pauli: nec facilè credere potuisse, quòd Paulus Christi doctrinam esset amplexus: eò quòd sæuus Ecclesiæ persecutor antea extitisset. Donec Barnabas notus in Ecclesia doctor aditum ei fecit ad piorum cœtum, & de eius conuersione, doctrina, zelo & pietate in Christum testatus est. Subinde fatetur Paulus se persecutũ fuisse Ecclesiam Christi: vt prædicet immensam Dei misericordiam, et suo insigni exẽplo nos consoletur: neminẽ adeò grauiter lapsum esse, quin recipiatur à Deo in gratiam, modò seriam in fide agat pœnitentiam. Ideoq; dicit Ecclesiam in Paulo glorificasse Deum, hoc est, immensam

Deī misericordiam in conuersione Pauli demonstratam celebrasse, & perterrefactis conscientijs hanc consolationem proposuisse, quòd Deus vniuersa peccata clementissimè remittat.

LOCI DOCTRINAE.

1. *Doctrina de vera Dei agnitione ex hoc capite petatur. Apostolus docet hunc esse verum Deum, qui est pater domini nostri Iesu Christi, & qui filium suum à morte resuscitauit.*

2. *Quod sit officium mediatoris, & in quem finem filius Dei in hunc mundum sit missus, explicat apostolus: Vt daret seipsum pro peccatis nostris, & eriperet nos ex præsenti seculo malo.*

3. *Quæ beneficia filius Dei Iesus Christus nobis pepererit, & in suo regno conferat, ostendit, cùm optat Galatis gratiam & pacem à Deo patre & domino nostro Iesu Christo.*

4. *Doctrina hic traditur de duplici vocatione, mediata & immediata: & quæ sit eminentia et prærogatiua apostolicæ vocationis.*

5. *Cùm Paulus totum seculum de malitia accusset: cumq; fateatur se tantò furiosius contra Christum insaniuisse, quantò ardentiore zelo flagrabat tuendæ legis, & adserendi cultus Dei: palàm conuincit nos, virtutem liberi arbitrij prorsus extinctam & emortuam esse in rebus spiri-*

tualibus: & totam hominum naturam penitus esse corruptam.

6. *Galatarum lapsus monet nos de imbecillitate Ecclesiæ, quòd facilè à Deo abduci, & in errorem præcipitari possit, fanaticorum hominum præstigijs, nisi vigilantes pastores lupos ab ouili domini arceant.*

7. *Infallibilem certitudinem doctrinæ Christi & Pauli, quam nec angelo in cælis mutare licet; conuincit nos dictum sublime: Si angelus de cælo aliud docuerit Euangelion, sit anathema.*

8. *Eadem sententia singulis pijs potestatem facit & ius tribuit, examinandi omnium hominum doctrinas, de Deo & eius voluntate ex verbo Dei, & fugiendi falsa dogmata.*

9. *Nec tantùm errores, sed & errorum authores & patronos damnandos & pro anathemate habendos esse.*

10. *Pauli conuersio, & ad munus apostolicum vocatio, immensam Dei misericordiam nobis demonstrat, quòd gratia Dei abundet supra peccatum: & Christi regnum multò sit potentius, quàm tyrannis peccati & Satanæ.*

11. *De prouidentia Dei, singulos homines formantis & ex vtero matrum educentis, & ad certum aliquod vitæ genus & munus destinantis: admonemur, cùm Paulus dicit, se ab eo voca-*

tam esse, qui ipsum ex vtero matris segregauit.
12. Gentes quoq; ad regnum Messiæ pertinere, adfirmat Paulus, cum dicit se vocatum esse, vt gentibus euangelizaret Christum.
13. Quòd liceat Christianis iurare, exemplo Pauli apostoli liquet.

CAPVT SECVNDVM.

DEinde post annos quatuordecim rursum ascendi Hierosolymam: vnà cum Barnaba, adsumpto simul & Tito: ascendi autem iuxta reuelationem, & contuli cum illis Euangelion, quod prædico inter gentes: seorsim autem ijs, qui videbantur esse aliquid: ne quo modo in vanum currerem aut cucurrissem.

Persistit adhuc Paulus in commendatione apostolici sui muneris: & refutatione cauillationum pseudoapostolorum. Estq; hoc

Argu-

ARGVMENTVM TERtium à consensu apostolorum.

Si Apostoli aliquid desiderassent in meo Euangelio aut Apostolica functione, non mihi pepercissent, quando Hierosolymis cum eis contuli de Euangelio meo, sed me refutassent.

At apostoli, quando eis meum exposui Euangelion, nihil desiderarunt:

Ipso igitur apostolorum consensu constat, meum Euangelion esse æternam Dei veritatem: & me Apostolico munere rectè fungi.

PSeudoapostoli prægrauabant Paulum aliorum Apostolorum authoritate, quòd illi veriores essent Euangelij præcones, vt qui cũ Christo fuerint, et ex ipsius ore Euangelion didicerint, quiq; legem Moysis obseruent: Paulus retundit aduersarios ipsorum apostolorum testimonio: siquidẽ ad eos accesserit anno 14. post conuersionem. Si quatuordecim enim anni ab initio prædicationis Pauli numerandi sunt, nõ post illos tres annos priores, quorũ antea meminit: Et Euangelion suũ exposuerit, non solùm cœtui fideliũ, sed et seorsim ipsis apostolis: Nec tamen quisq; fuerit, qui in Paulo quicquã desiderauerit, eius Euangelion vel munus im-

impu-

pugnauerit. Falsò igitur pseudoapostoli authoritatem reliquorum apostolorum opponebant Paulo. Cùm dicit, se ex reuelatione ascendisse Hierosolymam, innuit immediatè se vocatum esse, & ab ipso Deo accepisse mandata in Apostolico suo munere.

Quæstio non tenuis hic oritur, num Paulus hic loquatur de eo congressu suo cum Apostolis, qui describitur à Luca Act. 15. quando Synodus apostolica & Hierosolymitana decreto facto abrogauit legem Mosaicam. Et quidem non pauci interpretes in ea sunt opinione. Multa verò obstant, quò minus in hanc sententiam Pauli narratio accipi possit. Ac fateor me eorum sententiæ accedere, qui existimant non solùm hunc Pauli congressum cum apostolis ante synodum Hierosolymitanam, quæ Act. 15. describitur, verùm etiam Petri simulationem, quam Paulus Antiochiæ grauiter reprehendit, accidisse: atq; etiam hanc epistolam ad Galatas scriptam fuisse, grauia in hanc sententiam argumenta occurrunt. Cùm pseudoapostoli vrserint circumcisionis & totius legis obseruationem ad salutem esse necessariam, & apostolorum prætendebant authoritatem, expeditissima fuisset ratio refellendi istam calumniam, si Paulus & historiam synodi apostolicæ pertexuisset, Certamen quod fuit Hierosoly-

solymis de legis obseruatione indicasset, & decretum ab apostolis factum, & Ecclesiæ Antiochenæ missum pseudoapostolorũ vociferationi opposuisset. Non venisse Paulo tam validũ et ad retundendos pseudoapostolos commodissimũ argumentum in mentẽ, credibile non est, præsertim conquirenti ex alijs historijs apostolorum consensum. Quid opus fuisset tantopere prædicare libertatis vsum in non circumcidendo Tito: si iam publico apostolorum decreto statutum erat, legis obseruatione gentes non esse onerandas. Quis etiam audeat Petrum apostolum tam grauis lapsus insimulare, quòd consuetudini gentium se subtraxerit in Iudæorum gratiam, easq; Iudaizare coëgerit, cùm iam in publica synodo grauissimam tulisset & promulgasset sententiam: legis obseruationem non esse imponendam gentibus: & Apostolorum commune decretum Antiochenæ Ecclesiæ innotuisset? Rectè ergo colligitur Paulum hic de alio congressu cum Apostolis loqui: non de eo, qui Act. 15. describitur: & epistolam hanc, ante decretum factum in synodo Hierosolymitana, ad Galatas scriptam fuisse. Quòd Græci existimant, epistolam hanc Roma missam esse, coniectura est.

Ne quo modo in vanum curram)

In vanum currit, qui sine fructu magnos sustinet labores & pericula. Non autem hoc dicit Paulus quasi

quasi incertus ipse fuerit de suo Euangelio, aut de fructu suæ prædicationis dubitarit: supra enim testatus est, eum fuisse certissimum de suo Euangelio ex reuelatione Iesu Christi: Neq; vnquam vera Euangelij prædicatio sine fructu abire potest. Non enim labor noster inanis est in domino: verùm apostolorum & Hierosolymitanæ Ecclesiæ respectu hoc dicit. Ne vel apostoli suspicarentur, vel etiam pseudoapostoli calumniarentur Paulum frustra currere: ne pij in Iudæa de Pauli ministerio dubitarent, quasi sine fructu prædicaret Christum: Vt tandem pij in Iudæa, quibus non adeò notus erat, dubitare de ipsius cursu desinerent; exposuit illis suum Euangelion & munus Apostolicum, in quo Apostoli nihil desiderarunt. Falsò igitur aliorum apostolorum authoritas Paulo fuit obiecta.

Frustra currunt, qui nec legitimè sunt vocati, nec de doctrina sua sunt certi, aut qui falsa spargunt dogmata, & propriam in mundo gloriam quærunt. Hi enim non illustrant Dei gloriam, nec ædificant Ecclesiam; non consolantur anxias conscientias, nec laborum suorum fructum percipiunt: potius & se et alios post multa certamina, contentiones, miserias & pericula præcipitant in summas calamitates & perpetuum exitium. Vt Arrius, Macedonius, Pelagius, Nestorius,

rius, Donatistæ, qui magnos sæpe cruciatus sustinuerunt. Anabaptistæ, Ioannes à Leiden rex Monasterienſis, Munzerus & innumeri alij. Sinceri verò doctores Ecclesiæ & legitimè vocati, & de doctrina Christi certi, nunquam suorũ laborum fructu fraudantur. Sunt enim similes arbori plãtatæ secus decursus aquarum, quæ dat fructum suum tempore suo: & cuius folium non defluit. Huno verò fructum non oportet nos metiri vel applausu hominum, vel prosperitate successuum in vita, vel frequentia auditorum: Sæpe enim fidelissimi & saluberrimi præcones Euangelij, omniũ sunt in mundo calamitosissimi: Et veritas Euangelij plerunq; apud multitudinem est in odio. Nobis ergo satis esse debet, quòd certi sumus de doctrina Christi: & quòd bona fide Dei templum ædificamus. Deo, qui semper nouit, qui sint ipsius, curæ erit, ne labor noster inanis sit in domino. In illo glorioso Christi aduentu in nubibus, cum multis angelorum millibus, fructum nostrorum laborum cum admiratione videbimus.

Sed neq; Titus, qui mecum fuit, licet Græcus esset, coactus fuit circumcidi: maximè propter introductos falsos fratres, qui subintroierant ad explo-

explorandam nostram libertatem, quam habemus in Christo Iesu: ut nos in seruitutem redigerent; quibus ne ad horam quidem cessimus obtemperando: vt veritas Euangelij constaret apud vos.

Exemplo Titi non circumcisi, quem secum Hierosolymam duxerat, probat se nihil ab Apostolis didicisse, neque etiam reprehensum fuisse, etiamsi obseruationem legis in conuersatione Titi negligeret. Estq; in hac causa hoc

Quartum argumentum.

Quòd si Apostoli iudicassent circumcisionem & legis obseruationem necessariam esse ad iustificationem, aut munus meum Apostolicum impugnassent; omnino me coëgissent circumcidere Titum Græcum hominem, quem in meo comitatu habui.

At apostoli non fuerunt ausi me cogere ad circumcidendum Titum: nec me reprehenderunt conuersantem cum homine incircumciso: Imò cùm falsi fratres hoc vrgerent, vt nostræ libertati insidiarentur, non cessi illis ad horam.

Constat ergo munus meum Apostolicum, neq; differt

differt meum Euangelion à doctrina reliquorum Apostolorum: neq; necessaria est circumcisio, & legis obseruatio ad consequendam salutem, vt pseudoapostoli falsò contendebant.

GRauissimi ponderis est hoc argumentum: ostendit enim Paulum non pependisse ab authoritate apostolorum, neq; passum esse sibi ab alijs præscribi legis obseruationem. Imò quia Paulus præclarè intelligebat beneficia mediatoris Iesu Christi, qui nos à legis onere & maledictione liberauerat: Et sciebat Moysen iam defunctum esse suo munere: palàm in conspectu apostolorum exemplum illustre voluit edere: neq; legis obseruationem amplius necessariam esse: neq; gentes in Christum credentes, vel circumcisione vel vlla legis obseruatione egere. Magna hæc fuit lux in Paulo & excelsus spiritus. Ipse Petrus & alij apostoli adhuc trepidabant, non audebant legis obseruationem negligere. Ex Iudæis conuersa Ecclesia molestissimè ferebat, euerti hoc decus politiæ Mosaicæ, & patrias abrogari leges. Paulus verò accensus & confirmatus spiritu sancto, in conspectu Apostolorum Hierosolymis edit exemplum illustre in Tito: circumcisionem ad salutem non esse necessariam: Imò demonstrat legem Moysis nunc abrogatam esse. Non

hoc consilio legem dederat Deus per Moysen, vt homines per eam iustificarentur, vitam æternam consequerentur: sed potiùs vt per legem ad peccatorum agnitionem compellerentur, atque ita intelligerent, se mediatore promisso indigere: eumq; tanto maiore desiderio expeterent. Ideoq; omnes ceremoniæ & sacrificia Mosaica erant typi figurantes Christum cum toto suo regno. Sed subinde Satan per sua organa hanc opinionem adfingere legi conatus est, quasi obseruatio eius salutem nobis conferret. Hoc per pseudoapostolos egit, etiam exhibito Christo: et contendit circumcisionem & legis obseruationem esse necessariam ad consequendam vitam æternam: nec sufficere fidem in Christum. Hoc erat abolere totum Iesu Christi Euangelion, & omnia mediatoris beneficia sepelire. Si enim legis obseruatio ad salutem est necessaria, frustra Christus est mortuus, nec Christus nos à legis maledictione liberauit: neq; conscientia in solo mediatore acquiescere potest. Summè igitur necessarium fuit hoc certamen, quod Paulus suscepit, & instinctu spiritus sancti hoc illustri exemplo Titi demonstrauit, legis obseruationem nequaquam ad salutem esse necessariam: neq; in hoc legem esse datam: imò Christo exhibito omnes legis typos impletos esse, & per Christum à legis imperio & maledictione nos redemptos esse. Sola verò nos fide in Christum mediatorem coram Deo iustificari & saluari: conscientiam nostram in conspectu Dei tutissimè in solo Iesu Christo pro nobis crucifixo & resuscitato acquiescere. Hæc Paulus haud dubiè copiosè & ex scripturæ fundamentis exposuit apud apostolos: ideoq; eum refutare non potuerunt, sed adsensi sunt.

In hoc exemplo Titi, doctrina de abrogatione legis est repetenda: quòd nimirum per Christum vniuersa lex sit abrogata, quod ad maledictionem & imperium eius attinet. Nulla enim lex, nos, qui in Christo Iesu sumus, accusare & damnare potest. Christus enim & pœnam pro nobis persoluit, & omnem præstitit obedientiam. Iudiciales verò & ceremoniales leges etiam, quo ad obedientiam & obligationem, sunt abrogatæ: eò quòd figuræ fuerint Messiæ regnum adumbrantes: quo exhibito vmbris nullis amplius est locus. Hanc doctrinam fusiùs exponit Paulus in tertio membro huius Epistolæ.

Propter introductos falsos fratres, qui subintroierunt, vt nostram explorarent libertatem, quam habemus in Christo Iesu.) Iudæos notat, qui Christi doctrinam

amplexi fuerant, sed in fide non erant sinceri: simul enim vrgebant circumcisionem, & legis obseruationem ad consequendam vitam æternam esse necessariam: non immeritò igitur falsos fratres eos appellat apostolus. Nam in Iesum Christum filium Dei spem suam non ponebant, sed in legis obseruationem: spiritu Dei non ducebantur, sed tantùm simulabant nomen Christianum, cùm meri essent hypocritæ. Vbi fides in Christum non est pura, ibi nec dilectio fratrum est sincera: sed omnia simulata sunt & insidijs plena. Ex hoc loco facilè colligitur, certamen hoc, de legis obseruatione, annos aliquot durasse, & multas Ecclesias turbasse. Difficile erat Iudæis, qui doctrinam Christi amplectebantur, patrias leges & ceremonias abijcere, Iudaici populi decus & gloriam, quasi coronam de capite deponere, adeo sese demittere, vt sub legis grauissimo onere nihil haberentur meliores gentibus. Cùm ergo fanatici doctores surgerent, qui norunt alludere ad affectus hominum; leui momento persuaserunt Iudæis ad Christum conuersis, etiam circumcisionem & totam legem obseruandam esse cum fide in Christum. Cumq; hi ausi fuerint publicè in Ecclesia Antiochena id contendere, vt Lucas Act. 15. refert, & Apostolis sese opponere; facile est conijcere magni nominis viros eius sententiæ adsertores

tores fuisse. Tandem verò conuenit Apostolica synodus, &, decreto facto, de legis abrogatione pacem in Ecclesia composuit. Libertas, quam habemus in Christo Iesu, salus illa est per filium Dei nobis parta, quòd à legis accusatione, maledictione & imperio prorsus liberati sumus: cum Deo reconciliati, et coram ipso per fidem in Christum iustificati: quòd ex tyrannide Satanæ & seruitute peccati erepti, & in regnum filij Dei translati: spiritu sancto donati: à ceremonijs & statutis Moysis exempti: in filios Dei adoptati, & hæredes regni Christi adscripti sumus: quæ libertas, gloria, & felicitas omnibus regnis huius mundi potior est. Hæc constituit nos dominos vniuersæ creaturæ: Nulla res conscientiam nostram aggrauare potest, quamdiu in Christo manemus: Nulli legi obstricti sumus, nisi vt in Christum sincero pectore credamus: Nulla res nostram impedire salutem potest, dum verè spem nostram in Christum ponimus. Pro hoc summo igitur thesauro pugnandum est nobis, & nullum genus certaminis fugiendum. Huic autem libertati & saluti insidias semper struit Satan, per sua organa varijs modis & artificijs. Videndum igitur, ne eam nobis eripi patiamur.

Vt nos in seruitutem adigerent.)

Hoc sanè non præ se ferunt aduersarij: imò longè

aliud prætendunt, magno zelo se hoc agere, vt lux Euangelij quàm latissimè spargatur: vt plurimi cœtus in vnam religionem coalescant: vt certamina & contentiones auferantur è mundo, vt lex diuina in honore apud omnes habeatur: vna Ecclesiæ forma passim constituatur: vtq; adsidua illa docentium & discentium pericula prudenter auertantur. Hic si quis sese opponat duriùs: cœlum & terram implent clamoribus insidiatores isti: impedire eum Euangelij cursum ad alias nationes: sine causa accersere eum sibi & alijs ingentes calamitates: tyrannis gladium tradere in manus, quo miseram cædant Ecclesiam: delere eum scholas & Ecclesias, & inducere horrendam vastitatem & barbariem: esse eum scandalo multis infirmis conscientijs, quæ ardorem persecutionis ferre non possint, & à professione Euangelij prorsus deficiant: Obstare eum solum, quo minus suauis in Ecclesia concordia componatur, & in perpetuum firmetur. Et id genus sexcentis. Quibus calumnijs & accusationibus virulentissimis, sæpe fortissimi heroës franguntur, & ad cessionem permouentur. Monet ergo Paulus, vt nobis caueamus, & nihil moueamur talibus clamoribus, neq; speciosæ illorum orationi fidem habeamus. Non enim hoc agunt, vt gloriam Dei amplificent, concordiam in Ecclesia stabiliant,

ant, & piorum conscientijs consulant: sed vt nos in seruitutem redigant vt dominentur nostris conscientijs, & intolerabilia imponant onera. Vt nos veluti mancipia ducant, quò velint, & in omne genus errorum præcipitent.

Huc respicit Satanas in suis organis. inuidet enim nobis libertatem, quam in Christo possidemus. Totis ergo viribus illis resistendum: & nullum non periculum pro Christi gloria, nostra & Ecclesiæ salute suscipiendum est.

Quibus ne ad horam quidem cessimus obtemperando.) Moderatio, facilitas & obsequium, quo nos accommodamus aliorum studijs & voluntatibus: & de nostro quandoq; iure cedimus, magnam habent laudem in gubernatione & tota hominum societate: causas enim & occasiones multarum contentionum & dissidiorum præscindit: & veluti nutrix suauissimam concordiam & animorum coniunctionem, quam omnes expetimus, fouet. Hanc moderationem & facilitatem sapientes huius mundi requirunt, etiam in certaminibus Ecclesiæ de religione. Verùm vt in negocijs ciuilibus, quæ nostro arbitrio subiecta sunt, excellens est decus & ornamentum: ita pestis est præsentissima in controuersijs de religione: gloriam enim Christi

postponit exigui temporis quieti: libertatem sanguine Christi partam emittit è manibus. Veritatem prodit, & nocet vniuersæ Ecclesiæ Dei. Hoc ergo Pauli exemplum, qui falsis fratribus ne ad horam quidem cessit, imitari discamus. In alijs rebus, quæ nostri iuris sunt, simus faciles, obsequamur, cedamus. Vbi de nostra agitur libertate, quam in Christo possidemus, simus durissimi & obstinatissimi, hîc ne pilum quidem cedamus. Cùm rex Sodomæ offerret Abrahæ omnem substantiam, quam hostibus cæsis reduxerat: sublata manu iurat Abraham, sè ne filum quidem, vel calceamenti corrigiam accepturum ex omnibus quæ illius erant. Pharaone permittente, vt populus Israël sacrificatum proficiscatur, poscente autem, vt iumenta in Aegypto relinquantur; Moyses durissimè respondet, se ne vngulam post se relicturum esse. Daniel ne vnum quidem diem in gratiam regis inuocationem suã ad Deum omittere voluit. Paulus ne horulam quidem cedere vult falsis fratribus. Præclarè etiam Basilius ad præfectum inquit: In diuinis sermonibus enutriti, ne syllabam quidem concedunt in controuersiis de religione. Theodore. lib. 4. cap. 19. Cùm Arriani insidias struerent veritati orthodoxæ, ne vnum quidem iota in voce ὁμοούσιῳ concedere voluerunt. Et valde laudanda

danda fuit hæc illorum non duricies vel morositas: sed pia constantia & sapiens fortitudo. Si enim vel tantillum cedamus aduersarijs, mox in seruitutem nos adigunt, & veritas Euangelij labrat. Ante annos quindecim, cùm Heidelbergæ per Cleuuicium excitatum esset certamen de præsentia corporis Christi in sacra cœna: Erasmus à Minquitz Cancellarius Electoris Palatini, vir sapiens & pius, diligentissimè mecum egit, vt abstinerem ab illis particulis IN vel SVB PANE datur Christi corpus. Abhorrebat ille ab errore Caluini: & Lutheri sententiam constanter probabat. Sed quia Antagonistæ mei illas particulas odiosissimè exagitabant, & Electorem illis offendi animaduerteret, rogabat, vt largirer tantum Ecclesiæ & cederem: si fortè contentio sopiri posset. Equidem fraudem Satanæ olfaciebam: Ne tamen vir eximius & veræ sententiæ addictus suspicaretur, me de voculis magis quàm de rebus contendere, recepi in me, posse me abstinere ab istis voculis IN & SVB pane: verùm hac lege, vt aduersarij prius faterentur iuxta filij Dei phrasin, Panem benedictum esse verum Iesu Christi corpus. Minquitius lætabatur mea facilitate, & sperabat iam posse dirimi certamen. At Antagonistæ nullo modo acquiescebant. Phrasin Euangelistarum & Pauli: Panis est cor-

pus Christi: magis auersabantur, quàm particulas In vel sub pane. Ita cum sese aperirent, quod Zuinglij & Caluini sententiam fouerent in pectore, detestatus est eos, nec postulauit à me amplius, vt vel tantillum cederem. Neque ego IN syllabam illis largiri volui, etiamsi sine ea potuissem veram sententiam exponere & tueri. Me enim in seruitutem adigere volebant, & sciebim non quieturos, donec confessionis Augustinæ sententiam euertissent. Obseruent ergo pij conatus Satanæ, & spiritu obfirment animos, ne ad horam quidem cedant impugnantibus veritatem.

Dicat aliquis, quomodo congruit hæc curicies cum illa gloriatione Pauli 1. Corinth. 9. Omnibus omnia factus sum. Respondeo. Istic agit Paulus de rebus indifferentibus: hic verò de Euangelij veritate, qua salus nostra continetur. Istic agit de infirmis, quorum semper est habenda ratio: hîc verò de falsis fratribus, libertati nostræ insidias struentibus. Pia igitur prudentia adhibenda est, & videndum accuratè, quando requiratur constantia, & obfirmatus animus nulli cedens: vbi verò locum habeat facilitas & obsequium.

1. Ante omnia considerandum, num veritati Euangelij periculum immineat: quod si animaduerterimus: nec angelis nec hominibus cedendum est, vel tantillum. Veritate enim Euangelij vel obscurata vel deprauata, salutis detrimentum patimur: pro hac ad sanguinem vsque pugnandum est, & ne iota quidem largiendum. Humanæ sapientiæ persuasiones & calumnias nihili facere oportet: illa enim turpissimè errat, dum gloriam Christi & animarum nostrarum æternam salutem exigui temporis quieti & mortalium hominum fauori postponit. Mundus quidem vociferatur nos esse duros, præfractos, morosos, intractabiles, inhumanos, & id genus multa. Verùm nos sciamus Deo gratum esse cultum, illam constantiam: quæ cedit nulli. Est enim euidens argumentum sinceræ & probatæ fidei.

Cùm Augustanum Interim obtruderet Papisticas ceremonias Ecclesiis: constanter fecerunt, qui in gratiam Idolatrarum, ne lineam quidem vestem induere voluerunt: Libertati enim Ecclesiæ & veritati Euangelij insidiabantur Pontificij.

2. Deinde videndum est, num vel hostes veritatis à nobis quid petant: an verò infirmorum ratio sit habenda. Infirmis omnino parcendum & obsequendum est, præsertim in rebus adiaphoris: hic de nostro iure piè cedimus; vt Paulus nos docet: Bonum est non edere carnem, nec bibere

bibere vinum, nec omne in quo frater offenditur aut infirmatur. Rom.14. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. 1.Corinth.10. Si esus meus offendiculo est fratri, non comedam carnẽ. 1. Corinth. 8. Omnibus omnia factus sum. 1.Corin.9. Hostibus verò & falsis fratribus non est gratificandum, non enim redduntur meliores aut mitiores: sed abutuntur nostra facilitate, fiunt obstinatiores in errore: arripiunt ansam nouas texendi calumnias: cessionem nostram interpretantur pro approbatione suorum errorum: Non quiescunt donec nos & veritatem oppresserunt. Nec difficile est Christiano militi statuere, vtrum ipsi negocium sit cum manifestis hostibus, aut falsis fratribus: an verò cum infirmis & veritatem sitientibus.

3. Præterea si spectatores nostrarum actionum sint dissimiles, partim hostes indurati, partim infirmi in fide: pars melior præferatur peiori: Etiamsi impio salutem offeras, tamen eam respuit. fratribus verò infirmis, pro quibus Christus est mortuus, omnino est parcendum. Dauid inquit Psal.14. In cuius conspectu malignus contemptus est: timentes autem dominum glorificat. Vnus infirmus sitiens veritatem & salutis cupidus, pluris est faciendus, quàm athei, hypocritæ, falsi fratres & hostes. Christus plerunq; sanat ægro-

ægrotos die Sabbatho, nihili faciens, quòd Pharisæi offendebantur: occasionem enim quærebat refutandi illorum falsam opinionem de Sabbatho & illorum hypocrisin detegendi. Sic qui feria sexta carne vescitur, etiamsi Monachi & sacrificuli offenduntur, rectè facit. Illorum enim vana fiducia in operibus electitijs est refellenda.

Vt veritas Euangelij constaret apud vos.) Humanæ sapientiæ nequaquam hoc persuaderi potest. Quid periculi inde immineret veritati (inquit) etiamsi Paulus concordiæ causa ad horam cessisset? Imò, inquit Paulus, periculi plurimum: Si enim concederem circumcisionem & ceremonias Mosaicas ad acquirendam vitam æternam esse necessarias, iam ipsam proderem Euangelij veritatem: quæ tradit sola fide in Christum mediatorem nos saluari sine operibus legis. Ita totum regnum Christi proderem: omnia beneficia mediatoris sepelirem, omnibus conscientijs firmas eriperem consolationes, nec quidquam reliquum facerem de Euangelio. Impossibile est enim legem & Euangelion simul in conscientia dominari: impossibile est fidem simul niti Christo & nostris operibus. Si circumcisio & alia opera necessaria sunt ad iustificationem, tum Christus frustra est mortuus. Si à nostra obedientia vel

tia vel dignitate pendet salus, prorsus nihil nos iuuat totum Euangelion. Præclarè Augustinus inquit: Gratia non erit gratia vllo modo, nisi fuerit gratuita omni modo. Ex diametro inter se pugnant debitæ mercedis pro labore persolutio: & gratuiti beneficij ex mera bonitate donatio. Vnde manifestum est, quod pseudoapostoli ipsam Euangelij veritatem euertere conarentur, dum contenderent, legis obseruationem adeò necessariam esse, vt sine circumcisione & alijs ceremonijs salus nobis per Christum contingere non posset. Grauissimas ergo causas habuit Apostolus, totis viribus sese opponendi, & ne ad horam quidem cedendi illis.

Ab ijs verò, qui erant in existimatione (nihil accepi.)

Ecliptica est oratio. deest enim nihil accepi: non didici meum Euangelion. Persistit adhuc in commendatione muneris sui Apostolici, quòd immediatè à Christo didicerit Euangelion, & ad officium Apostolicum vocatus: non per apostolos.

Quales aliquando fuerint, nihil mea refert. Deus enim personam non accipit.

Pseudoapostoli multis nominibus præferebant

bant reliquos apostolos Paulo, vt eius deprimerent authoritatem. Paulus verò dicit ista omnia nihil ad rem facere: sit sanè, vult dicere: fuerint illi ante me vocati & constituti apostoli: vixerint totum triennium cum Christo: viderint sanè Christum in carne: audierint eius conciones: fuerint spectatores miraculorum, passionis, mortis, resurrectionis, conuersati fuerint cum ipso resuscitato. Ego verò etiam post Christi resuscitationem persecutor Ecclesiæ extiterim. Non propterea aut melius docent Euangelion, aut maiori authoritate præditi sunt in munere apostolico, quàm ego. Deus enim personam non accipit. Momento omnia conferre potest: ex primis nouissimos, ex nouissimis primos, ex infimis summos, ex summis infimos facere potest. Non ergo considerandum, qualis quis antea fuerit: sed quid Deus homini contulerit, & ad quid vocauerit. Omnia enim ex mera Dei & bonitate & gratia pendent. Insigne admodum est dictum: Deus non accipit personam. Nos homunciones in plerisq; rebus ab externis personarum laruis pendemus: respicimus singularia dona, opera edita in Ecclesia, dignitatis eminentiã, temporis diuturnitatem, euentuum prosperitatem, applaudentium multitudinem, & similia multa: ex quibus deinde doctrinæ veritatem

& Dei

& Dei voluntatem metimur. Itaq; falli nos ne-
necesse est: ita enim omnia incerta sunt. Ad Deum
& ipsius verbum respicere oportebat: qui non si-
nit se alligari personis, meritis, locis, temporibus,
dignitatibus: sed pro suo arbitrio confert quæ
vult. Tam per infantem efficax potest esse Deus,
quàm per summum pontificem. Tam per latro-
nem in cruce pendentem ædificare potest suam
Ecclesiam, quàm per sanctissimum prophetam
Eliam vel alium. Verbum Dei accipiendum est,
siue id sonet sapientissimus propheta Moyses, siue
sceleratissimus pontifex Caiphas, siue bardissi-
mus asinus Bileam. Deus enim personam non
respicit. Quando vult Deus, sinit ex Apostolo
fieri proditorem: Rursus ex blasphemo persecu-
tore facit insignem Apostolum. Non ergo tem-
pus, vel donorum eminentia, vel conuersatio cum
Christo facit apostolum; sed immensa Dei gra-
tia, benigna voluntas & mandatum expressum,
de quibus Paulus non minus gloriari poterat,
quàm reliqui Apostoli.

Prosopolepsiam aliqui ita definiunt, quòd sit
dare inæqualia æqualibus: & æqualia inæquali-
bus. Verum hæc definitio, parabola Euangelica,
de laborantibus in vinea domini, manifestè re-
fellitur. Qui tulerant diei æstum non erant æ-
quales alijs, qui vnam tantùm laborauerant ho-
ram:

ram: Et tamen, licet æqualem acceperint mer-
cedem omnes, dominum vineæ Prosopolepsios in-
simulare, magnæ esset impietatis. Aequaliter fi-
lij iræ erant Alexander & Irus: & tamen ille
constituitur Monarcha mundi: hunc verò extre-
ma paupertas in mundo nobilitauit. Ac infinita
sunt huiusmodi exempla. Augustini ergo definiti-
tio est elegantior & verior. Prosopolepsia seu
acceptatio personarum, est cum ille qui iudicat,
relinquens causæ meritum, de qua iudicat, alteri
contra alterum suffragatur: quia inuenit aliquid
in persona, quod honore vel miseratione sit di-
gnum: vt cùm Iudex respicit eorum, de quibus
sententiam ferre debet, potentiam, vel opes, vel
munera, vel amicitiam, vel sanguinis coniunctio-
nem, vel præterita beneficia: & propter has res
externas & alienas à controuersia inflectit iu-
dicium. Huiusmodi respectus personarum non
est apud Deum: non mouetur vllius vel potentia
vel donis: sed omnia confert pro suo beneplacito
& infinita sapientia: ex nouissimis primos, ex
primis nouissimos, & leui momento & iustissimo
iudicio & sapientissimo consilio facere potest.

*Mihi enim qui erant in existima-
tione nihil contulerunt: sed contra
videntes quòd creditum mihi esset*

Euangelium præputij, quemadmodum Petro circumcisionis.

PEndet adhuc oratio. interponit enim argumentum ab effectu sui apostolatus. sequens verò oratio attexenda est hoc modo: Videntes quòd creditum mihi esset Euangelion præputij, & cognoscentes gratiam, quæ data est mihi; dexteras dederunt mihi & Barnabæ coniunctionis. Subinde autem inculcat, nihil sibi ab apostolis collatum esse, quo ad doctrinam: ne existimetur per homines accepisse doctrinam: sed vt constet in Ecclesia Paulum diuinitùs ad munus apostolicum esse vocatum, & plenè cognouisse Euangelion ab ipso Iesu Christo. Qui erant in existimatione, qui pro summis Christi apostolis habebantur, nihil mihi contulerunt. non docuerunt me nouos fidei articulos: non opposuerunt suum Euangelion, tanquam perfectius meo: sed contrà statim adsensi sunt, & animaduerterunt mihi Euangelion Iesu Christi creditum esse ad gentes. Euangelium præputij, vocat ministerium docendi Euangelium inter gentes: Euangelion circumcisionis, vocat apostolicam functionem prædicandi Euangelion inter Iudæos. Spiritus sanctus dixerat: Separate mihi Barnabam & Saulum ad opus, ad quod ego vocaui eos. Act. 13. Hoc diuinum

uinum oraculum cùm audirent apostoli, & in Pauli doctrina nihil desiderarent, intellexerunt apostolicum munus docendi Euangelion inter gentes concreditum esse: & Deum latè velle inter gentes spargere lucem Euangelij: confert se Paulus apostolo Petro, nec vult sibi minorem tribui authoritatem, non superbia mentis, nec æmulationis studio; sed vt certos nos reddat de sua doctrina, & vt concionibus eius tanquam voci de cælo sonanti adsentiamur. Hunc finem semper tuetur Paulus: non adeò de sua existimatione est sollicitus; atq; de salute contendit Ecclesiæ.

Qui enim per Petrum efficax fuit ad Apostolatum Circumcisionis; is et in me efficax fuit erga gentes.

QVINTVM ARGVMENTVM.

Per quem Deus non minora opera Apostolica edidit ad conuertendas gentes, quàm per Petrum in conuertendis Iudæis, iure habetur Apostolus, & in pari gradu dignitatis cum Petro censendus est.

Per me Paulum Deus non minus fuit efficax in conuertendis gentibus: quòd historia mei cursus demonstrat, quàm multis in locis constituerim

Ecclesias Christi: quàm per Petrum fuit efficax ad apostolatum inter Iudæos.

Ergo iure mihi vendico Apostolicam authoritatem.

Lucas in actis Apostolorum testis est, Paulum lucem Euangelij latissimè sparsisse inter gentes, & passim in Syria, Pisidia, Cilicia, Galatia, Asia, Cypro, Thracia, Macedonia, Achaia & Illyria laudabiliter constituisse Ecclesias Christi: & ingentem numerum fidelium adduxisse Christo. Et ad Rom. 15. inquit Paulus: Non ausim loqui aliquid eorum, quæ non effecit Christus per me in obedientiam gentium, verbo & facto, per potentiam signorum & miraculorum, per potentiam spiritus Dei: vt ab Hierusalem & circumiacentibus vsq; ad Illyricum impleuerim Euangelion Christi. Verè igitur gloriari potuit Paulus, Deum non minus efficacem fuisse per suum munus apostolicum ad conuertendas gentes, quàm fuit efficax per ministerium Petri ad conuertendos Iudæos. Docet Paulus in hoc argumento efficaciam verbi non pendere à dignitate vel gradu, vel donis ministrorum. Solus enim Deus est, qui dat incrementum: Paulus plantat, tantùm Apollo rigat. Imò nec pietate ministrorum augetur efficacia Euangelij, nec impietate minuitur. Sicuti eadem imago sigilli imprimitur ceræ, siue ea auro, siue plumbo, siue gemmæ fuerit insculpta: sic eadem est vis Euangelij, à quocunq; illud prædicatum fuerit. Hoc ergo curandum est, vt verbum sit purum & certum: Et vt quis legitimè vocatus sit, & vocationis suæ euidentia testimonia habeat.

Et cognoscentes gratiam, quæ data est mihi, Iacobus & Cephas & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras mihi dederunt & Barnabæ societatis, vt nos ad gentes, ipsi verò in circumcisione (munere fungeremur Apostolico) tantùm vt Paupe-rum memores essemus. In quo & diligens fui, vt hoc ipsum facerem.

SEXTVM ARGVMENTVM.

A consensu & testimonio reliquorum apostolorum præsertim Iacobi, Petri, & Ioannis, euincit se purè docere Euangelion Christi, & vero munere Apostoli fungi. hoc modo:

Cui præcipui Apostoli dexteras dederunt societatis, in hoc ipsum, vt Euangelion Christi

Apostolica authoritate spargeret inter gentes, quemadmodum illi inter Iudæos: eum certum esti rectè docere Christi Euangelion, & ab ipso filio Dei Apostolum gentium constitutum esse.

At mihi Paulo Iacobus, Petrus, & Ioannes columnæ Ecclesiæ, dexteras societatis dederunt, posteaquam cognouissent, quanta Dei misericordia conuersus essem, quòd filius Dei mihi locutus esset, qualia mandata mihi ad gentes dedisset, & quibus spiritus sancti donis me instruxisset. Atq; hoc modo inter nos conuenit, vt ego & Barnabas inter gentes Christi noticiam spargeremus, illi inter Iudæos.

Certum est ergo me rectè prædicare Euangelion Christi, & vera apostoli authoritate munitum esse: etiam Apostolorum testimonio. Admodum igitur intempestiuè aliorum Apostolorum authoritas mihi opponitur.

SVprà dixit Paulus, apostolos animaduertisse, quòd ipsi concreditum esset Euangelion ad gentes: hic addit, cognouisse eos, quæ gratia data esset Paulo: Exposuit haud dubiè Paulus reliquis Apostolis historiam admirandæ suæ conuersionis: quòd Christus ei in itinere apparuisset: quòd per impositionem manuum Ananiæ visum recepisset: Quòd Christus in visione ad Ananiam

niam dixerat de Paulo: Hic est mihi vas electum, vt portet nomen meum ad gentes. Ex ipsa relatione Pauli intellexerunt magnam spiritus sancti lucem in eo accensam esse. Non ergo decuit apostolos Christi, quos spiritus Dei ducebat, refragari authoritati Christi, qui de cælo constituerat Paulum apostolum: quin potiùs immensa lætitia adfecti sunt, postquam cognouerunt, habere se socios laborum in munere difficilimo, diuina authoritate confirmatos.

Gratia hoc in loco non significat gratuitam Dei misericordiam, vt aliàs sæpe: sed per Metonymiam effectui causæ appellatio tribuitur. Significat enim lucem spiritus, munus docendi, apostolicam authoritatem, facultatem edendi miracula & constituendi Ecclesias, ex mera Dei gratia, absq; meritis Paulo collata: aliàs vocat ea Paulus χαρίσματα.

Iacobum, Cephan & Ioannem vocat columnas Ecclesiæ. Christus in Ecclesia sublimi authoritate ornauit apostolos suos: Qui vos audit, (inquit) me audit. Instruxit eos facultate edendi miracula, ne de ipsorum testimonio dubitare possemus. Quasi fundamentum Ecclesiæ suæ posuit apostolos. Ergo ratione ministerij & muneris apostolici; non meriti vel efficaciæ, veluti columnæ gestant Ecclesiam, quæ per

vocem eorum credit in Christum. Tres Apostolos pariter vocat columnas, & Iacobum præponit Cephæ. Figmentum ergo est impudens, quod pontificij adstruunt Petrum à Christo constitutum esse apostolorum principem.

Dexteras societatis vel communionis dederunt) Fuit hæc Apostolica grauitas & constantia, vt prius inter eos conueniret de doctrina, deinde iungerent dexteras. Nunc leuitas magna est in Ecclesia in excipiendis hospitibus & doctoribus, & iungendis dextris, cuiuscunq; sint religionis. Multi in hoc volunt haberi humani, hospitales, adfabiles, officiosi & studiosi concordiæ: verùm grauiter in eo peccamus sæpe. Qui in doctrina sinceri non sunt, nec hospitio excipere, nec manus eis præbere, neque salutationem impertiri debebamus: ne eos in errore confirmaremus, neq; alienis peccatis communicaremur, sed potiùs ad seriam pœnitentiam illos inuitaremus, & certitudinem nostræ doctrinæ ipsa separatione & fuga fanaticorum demonstraremus. Optarim equidem me adeò vel durum vel constantem, atq; etiam circumspectum esse: vt ei, qui puram Euangelij doctrinam non adfert, nec consensum tuetur in Ecclesia, sed vel patrocinatur corruptelis, vel colludit cum aduersarijs: nec manum

manum præberem, nec salutationem impertirem. Sed labimur omnes sæpe, dum laudem humanitatis captamus intempestiuè: in leuitatis vicium incurrimus. Christus vmbraculo tegat nostras infirmitates: & roboret pectora nostra suo spiritu, vt in edenda confessione duriora sint adamante.

Non propria authoritate apostoli partiti sunt prouincias, vt ipsi in Palæstina, Paulus inter gentes doceret Euangelion: sed ipse filius Dei constituerat Paulum Apostolum gentium, et spiritus sanctus dixerat: Segregate mihi Paulum et Barnabam. Reliquis apostolis iiunctum erat, vt prius ciuitates Israel obirent, deinde in vniuersum terrarum orbem Euangelion propagarent. Ex hoc loco patet curam pauperum in Ecclesia ad Apostolos, Episcopos & pastores pertinere: nimirum vt hortentur auditores ad conferendas eleemosynas.

Quando verò Petrus venit Antiochiam, in faciem restiti ei, eò quòd reprehensione dignus esset. Priusquam enim venirent quidam à Iacobo, comedit cum gentibus. Vbi verò aduenerunt, subtraxit & separauit sese, me-

tuens eos, qui erant ex circumcisione. Et simul cum ipso simulabant & reliqui Iudæi: ita vt & Barnabas adduceretur in ipsorum simulationem: Sed quando vidi quod non recto pede incederent ad veritatem Euangelij, dixi Petro coram omnibus: Si tu Iudæus existens gentili more viuis, & non Iudaico: cur gentes cogis Iudaizare.

SEPTIMVM ARGVMENTVM.

Septimum est hoc argumentum in hac causa, sumptum ab exemplo suo, quo Apostolum Petrum cogentem gentes Iudaizare, in faciem refutauit.

Qui errantem Apostolum in libertatis vsu authoritate Apostolica redarguere, & verbo Dei reuincere audet coram Ecclesia, is non est ab Apostolis vocatus, neque is incertam circumfert doctrinam.

Ego Paulus magno spiritu Petrum Apostolum non recto pede ad veritatem Euangelij incedentem publicè redargui, eum refutaui.

Ergo

Ergo non accepi authoritatem mei muneris ab alijs apostolis, nec incertum circumfero Euangelion, nec minor est mea authoritas, quàm apostoli Petri vel aliorum apostolorum.

HOc sanè magni ponderis est argumentum. Hic enim palàm apparet, Paulum rectius intellexisse, atq; maiore constantia vsurpasse doctrinam de vsu libertatis, quàm Apostolum Petrum. Ac nisi Apostolica fuisset instructus authoritate, non ausus fuisset Petro in faciem resistere. Reuincit etiam hoc ipso exemplo, cui apostolus Petrus cedere coactus fuit, obseruationem legum Mosaicarum ad salutem non esse necessariam.

Grauis de hoc loco contentio exorta fuit inter Hieronymum & Augustinum, & sequentes scriptores Ecclesiasticos, quorum alij Hieronymi sententiæ subscribunt, alij Augustini.

Occasio hæc fuit, Porphyrius, Celsus & alij sophistæ calumniati sunt Pauli locum. Accusarũt Paulum superbiæ & petulantiæ, quòd ausus fuerit principem Apostolorum palàm arguere, et contumelia adficere. Contenderunt tales contentiones indignas esse Christianis, nedum Apostolis in tanto authoritatis fastigio collocatis. Vt hanc Ethnicorum calumniam refutarent Origenes, Apollinaris

naris & Chrysostomus, prætenderunt Paulum non verè neq; ex animo reprehendisse Petrum, sed per dispositionem simulationis, vt suæ doctrinæ apud Galatas conciliaret authoritatem. Hæc valde intempestiua fuit refutatio: siquidem Paulum potiùs de mendacio accusauit, & Euangelij veritatem in dubium vocauit, quàm quòd Apostolum arrogantiæ culpa liberauit. Hieronymus tamen Græcos interpretes est secutus, & inane nomen Oeconomias admiratus est. Augustinus verò Latinos expositores Ambrosium & alios maiore iudicio secutus est, & admonuit, magnum inesse periculum in hac sententiæ fictione. Sic enim certitudo doctrinæ Pauli labefactabitur. Hieronymus tamen pertinacior & arrogantior perstitit in sententia, defendere conatus est Græcorum interpretationem, hoc vsus argumento: Paulus non potuit in alio reprehendere, quod ipse fecit. Iudæis factus est Iudæus; gentibus gentilis. Non ergo potuit id reprehendere in Petro. Augustinus verò grauiter respondit. Intempestiuè adduci istum Pauli locum. Longè enim aliud est. Iudæis Iudæum fieri, aliud gentes cogere Iudaizare. Infirmorum Iudæorum causa circumcidit Timotheum, & Mosaicas obseruauit ceremonias. Sed vbi periculum non fuit, ne gentibus instillaretur opinio de necessitate legis Mosai-

Mosaicæ: In vsu enim libertatis videndum est, ne ita gratificemur vni parti, vt alteram grauiùs lædamus: Paulus nusquam gentes coëgit Iudaizare, ne in gratiam quidem Iudæorum. Falsò igitur obijcit Hieronymus, quòd Paulus idem fecerit. Augustinus verò valido vtitur argumento: seponit scriptorum authoritatem & Pauli iuramentum. Ecce, inquit Paulus, coram Deo testor, quòd non mentior. Qua ergo conscientia potuisset Paulus per simulationem fingere fuisse à se reprehensum Petrum? Num Apostolum Paulum periurij accusabimus? Et si apostoli quædam in suis scriptis finxerunt per simulationem, quæ reuera aliter se habent, quomodo eorum voci, tanquam de cælo sonanti, & spiritus sancti oraculis fidem habebimus? Explodenda est igitur intempestiua excusatio Petri, & figmentum græcorum de Pauli simulatione. Verè enim & ex animo & graui de causa Paulus redarguit Apostolum Petrum, quòd contra Euangelij veritatem gentes coëgit Iudaizare. Porphyrio et Celso multò grauius responderi potest. Gloriam Dei, Euangelij veritatem, & Ecclesiæ salutem longè pluris faciendam esse, quàm vel Apostoli alicuius vel vllius hominis honorem. Neq; vlli vel hominum vel angelorum parcendum esse, veritate Euangelij periclitante. Neque superbiæ vicio, sed timori

timori domini adscribendum esse, cùm frater fratrem errantem reuocat in viam.

Pontificij scriptores Hieronymi sententiam præferunt Augustini: haud dubiè hoc fine, vt Petrum, cuius successores esse volunt Pontifices, in summo collocent gradu, cui nefas sit contradicere, & qui errare non potuerit. Verùm Petri primatum nullo scripturæ fundamento niti, satis constat. Mirum est Erasmum, virum alioquin & magni ingenij, & non vulgaris eruditionis adstipulatum esse Hieronymo contra Augustinum. Hoc lapsu declarauit, se ignorasse amplitudinem & maiestatem muneris Apostolici, & certitudinem infallibilem scriptorum Pauli. Nos verba Pauli, vt spiritus sancti oracula, indubitata habemus, & sequimur Augustinum & Lutherum, grauissimos sacræ scripturæ interpretes.

Disputatur hîc de tempore, quo Paulus redarguerit Petrum. Verisimile est accidisse id ante Synodum Hierosolymitanam. Non enim credibile est Petrum tam grauiter lapsurum fuisse in libertatis vsu, si à tota Apostolorum & seniorum Ecclesiæ synodo decretum iam factum & publicatum fuisset: gentibus onus legis non esse imponendum. Neq; Paulus illustrem nactus occasionem silentio præteriisset, & omnium Apostolorum

lorum authoritate factum decretum, & ipsius Petri suffragio comprobatum. Ipsa etiam Antiochena Ecclesia ex gentibus collecta Apostolorum confirmata decreto, Petri simulationi se opposuisset. Præcessit ergo hæc reprehensio Apostolicam synodum.

Amplius quæritur, num Apostolus errare possit post acceptum spiritum sanctum. Certè hoc loco exemplum graue occurrit, non leuis lapsus Petri: Ecclesiam enim gentium grauiter offendit: Et magni ponderis verba sunt, Petrum non incedere recto pede ad veritatem Euangelij: hoc certè est in doctrina hallucinari. Aliqui respondent, Petrum non in doctrina, sed in applicatione lapsum esse. Verùm qui in vsu peccat, is & in doctrina errat. Hæc enim vera est doctrina, quæ in omni vsu & applicatione sibi constat. Lutherus disertè adfirmat Apostolos etiam post acceptum spiritum sanctum errare potuisse: quam sententiam multa insignia scripturæ exempla comprobant. Non solùm Dauid per errorem statuit ædificare templum, nondum mandante Deo, sed et Nathan propheta errorem Dauidis laudat, donec Deus vtriusq; errorem corrigit: et iubet hoc opus relinqui Salomoni. Elias certò sibi persuadebat, se solùm in Israël relictum esse, qui Deum verè coleret, sed audit Deum sibi septem millia

millia reseruasse, qui non curuauerint genua ante Baal. Magnus erat Propheta Aaron, & spiritus Dei per eum locutus erat, & miracula ediderat, & tamen grauissimè labitur, cum in doctrina, tum in vita. Vitulum enim idolum contra expressa Dei mandata iubet adorari. Propheta qui venit ex Iuda, ex spiritu Dei vaticinatus erat, & portentum dederat; patitur tamen se seduci ab alio Propheta in Bethel. Acceperat Petrus spiritum sanctum in festo Pentecostes, ediderat etiam miracula: in eo tamen errabat, quod putaret, non licere sibi cum gentibus conuersari, & obseruationem legum Mosaicarum etiam post exhibitum Christum esse necessariam. Et hoc loco grauis est Petri lapsus. Infitiari ergo non possumus, etiam apostolos & prophetas post acceptum spiritum sanctum errare & labi potuisse, et quosdam lapsos esse. Hinc autem colligendum non est, incerta esse scripta Prophetica & Apostolica. Hæc enim scripta omnium apostolorum consensu comprobata sunt: & doctrina illa miraculis diuinæ naturæ proprijs stabilita est. Apostoli & Prophetæ, si alicubi lapsi sunt: ipsi suos correxerunt lapsus, & ab alijs apostolis refutati sunt. Non suam sed filij Dei doctrinam in scriptis suis nobis reliquerunt: atq; ea spiritus sanctus in Ecclesia confirmauit. Humana ergo infirmitas ab apostolica

apostolica authoritate distinguatur. Habet Apostolus & Propheta testimonium quòd non erret in his, quæ ab ipso Deo accepit, & quæ apostolica authoritate docet, & miraculis confirmat. Cùm in Apostolis conspecta fuerit infirmitas, quos Deus in Ecclesia & luce doctrinæ, & robore spiritus toti Ecclesiæ exemplo esse voluit, facilè colligi potest, neminem ex sanctis in terra perfectum esse, neminem vicijs carere. Vnde est & Salomonis confessio: Non est vir in terris, qui cum benefaciat non etiam peccet. Et Dauid Psal. 32. Pro hac (scilicet peccatorum remissione) orabit ad te omnis sanctus. Semper admoneat nos Petri lapsus ingentis nostræ infirmitatis, & quàm facilè sit errare in vsu & applicatione doctrinæ. Doctrinam de abrogatione legis Mosaicæ et libertate Christiana audierat Petrus ex ore Christi, Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem. Viderat oculis suis morte & resurrectione Iesu Christi impletam esse legem: visibili specie infusus erat in ipsum spiritus sanctus: De cælo in visione admonitus erat, ne quid commune haberet, & ne consortium gentium vitaret: Mandatum acceperat à spiritu sancto, vt gentes accederet & erudiret: Ipse vsurpauerat libertatem & gentes in societatem Ecclesiæ acceperat, easq; baptizauerat; Et hoc factum suum coram Ec-

clesia Iudæorum defenderat: Et tamen adeo grauiter labitur Antiochiæ, cùm aliqui mitterentur à Iacobo. Nemo ergo suis confidat donis, sed quisque timeat dominum: Et qui stat, videat ne cadat.

Hîc etiam discendum est, quomodo vtendum sit libertate, cum vtrinq; est periculum, ne vel hos vel illos offendamus nostro exemplo. Semper piorum maior est habenda ratio quàm impiorum. Dauid inquit: In cuius conspectu malignus contemptus est: timentes autem dominum honorat. Impij omnia rapiunt in calumniam: & quò moderatiùs illis cedimus, hoc imperiosiùs conantur nos in seruitutem redigere. Pij verò & doctrina indigent & erudiri cupiunt. Dicat aliquis: Sed & Iudæi haberi volebant pij. Respondeo: Fuerint sanè, tamen Petrus maiorem debuit habere rationem gentium quàm Iudæorum. Iudæi etiam conuersi superbia & morositate peccabant, quòd se præferebant gentibus in regno Christi; Et legis necessitatem errore vrgebant. Gentes verò omnino confirmandæ erant, quòd essent pars Ecclesiæ, quòd circumcisio non esset necessaria, quòd sola fide in Christum saluaremur. Hanc ergo regulam hic discamus; cùm vtrinque est periculum, ne vel hos vel illos offendamus: seruiendum esse pijs & imbecillioribus, qui

qui confirmatione egent: Ferociores vel insidiantes vsu libertatis compescendos & refutandos esse.

Paulus exemplo suo nos docet, quando periclitantur veritas Christi & salus Ecclesiæ, tum nemini parcendum esse, neque apostolo, neq; angelo, neq; præceptori, neque parenti, neq; vlli homini: in quocunq; gradu authoritatis collocatus sit, qualiacunque eius sint in Ecclesiam merita. Moyses non parcit Aaroni fratri, & summo prophetæ. Iosias rex non parcit auo Manassi idolatræ. Paulus non parcit Petro apostolo. Nemo ergo nobis vicio vertat, si pio veritatis zelo non parcimus præceptoribus, qui Caluinismo & alijs erroribus patrocinati sunt. Nec verò semper necesse est prætermittere priuatam admonitionem, vt quidam contendunt. Paulus errantem Petrum è vestigio & coram Ecclesia redarguit, nec tamen contra Christi egit mandatum. Matth. 18. Cùm offensio est priuata, cùm scandalum non tangit Ecclesiam totam, cùm nullum imminet Ecclesiæ periculum ex dilatione refutationis, priuata admonitio præmittenda est. Vbi verò publicum est scandalum, & Gangræna depascitur membra Ecclesiæ, mox occurrendum est. Ilico vt Scorpius apparuerit conterendus est. Fides moram non patitur. Et quæ totam offendunt

Ecclesiam publicè coram Ecclesia redarguend
sunt, vt alij timorem habeant, inquit alibi Pa
lus. Obseruandum est, quòd Paulus dicit, e
non recto pede incedere ad Euangelij veritatem
qui legis & operum necessitatem vrgent in adip
scenda salute, & gentes cogunt Iudaizare. Ve
ritas Euangelij est, quòd sola fide in Christu
mediatorem salutem consequamur. Non ergo fi
des & operum necessitas in negocio iustificatio
nis coniungenda sunt. Hactenus Paulus e
suum commendauit ac demonstrauit Euangelion
& munus apostolicum: pseudoapostolorum cauil
los refutauit. Nunc verò accingit se ad cau-
sam principalem, videlicet repetitio-
nem doctrinæ de iustificatione
hominis coram
Deo.

SECVN

II.

SECVNDVM MEM-BRVM EPISTOLÆ.

Propositio & eius confirmatio.

NOs natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores, scientes, quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: & nos in Iesum Christum credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Quia non iustificabitur ex operibus legis vlla caro.

HAec principalis est totius huius epistolæ ad Galatas propositio: in qua repetit doctrinam Spiritus sancti de summo illo articulo, qua re homo iustificetur coram Deo. Ac valde significanter exprimit apostolus suam sententiam: siquidem primo negatiuam, deinde adfirmatiuam ponit. Illustrat sententiam proprio exemplo. Negatiuæ sententiæ vniuersalem

annectit particulam, vt omnes insidias, omnes elusiones excludat. In adfirmatiua exclusiuam ponit particulam, vt omnes rimas sophisticis ingenijs obstruat. Prorsus congruit hæc propositio cum illa ad Rom:3. in quâ doctrinam de iustificatione locuplete complectitur. Iustificati gratis gratia ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidē in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ ipsius, quæ est per remissionem præteritorum peccatorum in patientia Dei &c. Vt autem mentem apostoli in hac grauissima controuersia tantò propius aspiciamus, & contra omnes corruptelas nos muniamus: primùm natiuum verborum Pauli sensum expendamus: deinde causas iustificationis hominis coram Deo ordine ex verbo Dei inquiramus: tum Pauli exemplum attendamus, & quid valeat exclusiua particula, consideremus.

Iustificare.

MAnifestissimum est, neque vlla sophistica negari vel impugnari potest, vocabulum (Iustificare) Paulo idem esse quod absoluere, in iudicio iustum et innocentem pronunciare. Ex foro enim ad Ecclesiam translatum est. Iustificatur qui soluitur reatu & innocens decernitur: Damnatur verò qui pronunciatur reus. Hoc sensu sacra scriptura multis in locis vsurpat vocabulum iustificandi. Exod. 23. Impium non iustificabo. Iesa. 5. Væ his, qui impium ob munus iustificant; hoc est, qui sceleratum in iudicio pronunciant innocentem. Paulus Rom. 8. totum quasi iuris processum nobis ob oculos ponit. Quis accusabit electos Dei? Deus est, qui iustificat. Quis condemnabit? Christus est, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui etiam est in dextera Dei, & intercedit pro nobis. Nos miseri homines polluti peccatis, quibus legem Dei transgressi sumus, sistimur ante tribunal æterni Dei conditoris nostri: Satanas communis hostis generis humani noctes atq; dies nos accusat. Conscientia nostra contra nos mille dicit testimonia. Lex conatur ferre sententiam: Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sant in libro legis huius. Mors veluti carnifex expectat iudicis sententiā. Hic verò Paulus immensam monstrat consolationē. Deus est, inquit, qui iustificat. Non dicit nos carere peccato. Omnes enim sumus peccatores, et caremus gloria Dei: sed dicit à Deo nos iustificari: h. reatu nos absolui, innocentes pronunciari, pro iustis reputari. Neminē itaq; audere nobis intentare

accusationem. Ac quia Christus pro nobis sit mortuus, pro nostris satisfecerit peccatis, placuerit patrem, & intercedat pro nobis in dextera Dei, neque legis, neq; vllius creaturæ condemnationem nobis pertimescendam esse.

Impudenter ergo faciunt Pontificij, quòd vocabulum iustificare ex physica interpretantur. contendunt enim: Vt is dicitur calefacere aquam, qui igne admoto frigidam aquam calidam facit: ita Iustificare significare ex iniusto iustum facere: hoc est, ex eo qui vera iustitia caret, eum facere qui habeat motus & habitus iustitiæ. Quam corruptelam ideo finxerunt, vt iustitiam coram Deo in proprijs virtutibus constituant: sed phrasi scripturæ vsitatißima palám refelluntur. Psal. 82. Oppressum & pauperem iustificate. Id est, absoluite & innocentem pronunciate. Psal. 51. Vt iustificeris in sermonibus tuis: hoc est, vt tibi laus iustitiæ tribuatur. Et innumera sunt scripturæ loca, quæ hunc sensum & vsum vocabuli probent. Osiander ergo, Tapperus, Lindanus, Andradius & similes corruptelam adsingunt Paulinæ voci.

Opera legis.

OPera legis non tantùm sunt circumcisio, obseruatio Sabbathi, sacrificia & similia opera ce-

ra ceremonialia: sed cuiusq; generis opera, cum decalogo & tota Dei lege congruentia, moralia, ceremonialia, forensia, & cuiuscunque generis sunt. Totam enim legem, in qua Deus suam patefecit voluntatem, & certa dedit hominibus præcepta, intuetur Paulus. Circumcisio, obseruatio festorum, mactatio victimarum, aspersio lustralis aquæ, abstinentia à cibis in lege vetitis: persolutio dimidij sicli in annum, sunt quidem legis opera: sed et timor Dei, inuocatio, gratiarum actio, confessio, humilitas, patientia, fidelitas in docendo, obedientia erga magistratum, castitas, temperantia, iustitia, eleemosyna, veritas, hospitalitas, sunt etiam opera legis: sunt enim in lege mandata. A quocunq; etiam illa præstantur, & quocunq; tempore, si cum lege congruant, sunt opera legis. Aristidis iustitia, Camilli moderatio, Scipionis castitas, sunt opera legis: teste Paulo Rom. 2. Gentes cum ea, quæ legis sunt, faciunt, testantur opus legis scriptum esse in cordibus ipsorum. Sic Pharisæus Lucæ 18. de operibus legis gloriatur. Quòd bis iciunet in Sabbatho, & decimas pendat de omnibus bonis suis. Nec verò tantùm opera legis sunt, quæ fiunt ante conuersionem & regenerationem: sed quæ præstantur in fide & spiritu. Opus legis fuit, quòd Abraham obtemperans Deo, filium Isaac conatus est offerre. Pau-

lus enim de Abrahamo conuerso loquitur. Rom. 4. Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet quòd glorietur, sed non apud Deum. Qualiacunq; ergo sunt opera hominum, si congruant cum lege Dei, opera legis dicuntur, non solùm externa, sed et interna animi: non solùm virtute liberi arbitrij, sed et auxilio spiritus sancti in fide facta.

Fides.

Fides apostolo Paulo non significat tantùm noticiam historiæ de Christi morte & resurrectione: nec significat internam cordis pietatem, quæ sit expers simulationis, neq; significat fidelitatem inseruandis pactis vel promissis: seu candorem in communi societate hominum: vt aliqui ineptè imaginati sunt: Sed Fides significat Paulo Fiduciam accensam in corde à spiritu sancto per Euangelij promissionem, qua homo statuit sibi verè remitti peccata à Deo propter mediatorem Iesum Christum, se gratis recipi in gratiam, & constitui hæredem vitæ æternæ. Quemadmodum Paulus fidei vocabulum aliquot locis luculenter explicat Rom. 4. Abraham non infirmabatur fide: nec de promissione Dei dubitabat diffidentia, sed corroborabatur fide, dans gloriam Deo et certissimè statuens, quòd quæ promisit Deus, ea & præstare posset. Sic Rom. 5. Iustificati ex fide pacẽ habe-

habemus erga Deum, per dominum nostrum Iesum Christum. Hæc fides non est nuda noticia, sed est adsensus amplectens Euangelij promissionem & fiducia acquiescens in misericordia Dei, & merito domini nostri Iesu Christi.

CAVSÆ NOSTRÆ IV. STIFICATIONIS.

Et vt plenius intelligatur Pauli propositio, & vt penitius conspiciatur, qua in parte Pontificij aduersarij nostri à nobis dissentiant, causas ordine inquiramus.

Iustificatio nostra coram Deo est absolutio, acceptatio in gratiam, remissio peccatorum & reconciliatio, qua nobis pater æternus condonat omnia peccata, & imputat nobis filij sui mediatoris nostri obedientiam.

Prima efficiens causa huius nostræ iustificationis est ipse Deus, qui nos propter filiũ absoluit et iustificat Rom. 8. Deus est, qui nos iustificat.

Secunda causa impulsiua est immensa et gratuita Dei æterni misericordia & amor, quo totum genus humanum complectitur. iuxta dictum: Gratia saluati estis. &: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.

Tertia causa impulsiua & meritoria, est passio & mors, et tota obedientia Iesu Christi, qua legi pro no-

tro nobis satisfecit persoluendo λύτρον & præstando obedientiam. Liuore eius sanati sumus, inquit propheta.

Quarta formalis causa nostræ iustificationis est ipsa gratuita peccatorum remissio, acceptatio in gratiam, & imputatio iustitiæ filij. Non est enim aliqua in nobis vel qualitas, vel habitus, vel motus cum lege congruens: sed ipsa absolutio, qua pronunciamur iusti & innocentes, iusti sumus coram Deo. Paulus inquit: Rom 3. Ad ostensionem iustitiæ ipsius, quæ est per remissionem præteritorum peccatorum. Et cap. 4. Dauid dicit: Beatitudinem esse eius viri, cui Deus peccatum non imputauit. De hac causa potissimum digladiantur pontificij: contendunt enim ipsam nouitatem hominis, & infusos habitus esse formalem causam iustificationis, quod falsissimum est. Nostri enim habitus, motus, & infusa charitas nullo modo consistere potest in iudicio Dei seuero. Sola Christi obedientia nobis imputata opponi potest Dei iudicio.

Quinta causa instrumentalis respectu Dei, est Euangelij promissio & sacramenta: per hæc enim media Deus offert & porrigit nobis iustitiam & salutem. Euangelion est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Sexta causa instrumentalis respectu nostri, est fi-

des, quæ veluti mendica & hiante manu accipit beneficia mediatoris, remissionem peccatorum, & totum Christum cum omnibus suis beneficijs. Marci 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Hab. 2. Iustus fide sua viuet.

Septima causa finalis est gloria æterni Dei. Vt in vniuersa creatura Dei iustitia sanctissima & bonitas eius ineffabilis, & misericordia eius inexhausta conspiciatur. Dan. 9. Tibi domine iustitia, nobis autem confusio faciei. Rom. 3. Vt ipse sit iustus & iustificans eum, qui est ex fide Iesu.

Octaua & altera finalis causa est æterna Ecclesiæ salus & iustitia. Ioh. 3. Vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Hæ causæ nostræ iustificationis passim nobis inculcantur in scriptis Prophetarum & Apostolorum, & in his Pauli & omnium Prophetarum mens clarè conspicitur. Ad Rom. 3. omnes causas attigit Paulus & succinctè complexus est. hic omnia contraxit. Duæ autem sunt propositionis Paulinæ partes. Prior est negatiua, qua reijcit humanæ rationis figmentum, quòd operibus hominum tribuitur iustitia coram Deo. Scimus, inquit, quòd non iustificatur homo ex operibus legis. Hic verò nunc ordine expendamus, quibus operibus Paulus detrahat laudem iustitiæ coram

ram Deo. Ratio humana aliam iustitiam non intelligit quàm quæ consistit in obedientia, æquitate & bonis operibus hominum. Itaq; miratur, quid sibi velint prodigiosa illa verba Pauli.

Vtq; Paulinam sententiam ad suum inflectat captum, varias contorsiones & expositiones quærit, sed omnes illæ corruptelæ à Paulī doctrina remouendæ sunt.

Primùm certum est, quòd Paulus omnibus Ethnicorum virtutibus & factis heroicis detrahat iustitiæ laudem. Quæ enim cum lege naturæ congruunt, opera sunt legis. Sicuti Paulus clarè testatur, opus legis scriptum esse in cordibus gentium. Ergo iustitia Aristidis & Fabriciÿ, Camilli pietas in patriam, Scipionis castitas, Pomponiÿ temperantia, Reguli fides, & quæ sunt similia Ethnicorum opera, non sunt iustitia coram Deo, nec obscura est ratio: non enim sunt perfecta legis impletio. Insanit planè Andradius, Papua, qui contendit, Ethnicorum præclaras virtutes esse iustitiam congruentem legi, & Deo placentem. Quicquid enim non fit ex fide peccatum est: tantùm abest, vt sit iustitia.

Secundò negari non potest, quin Paulus excludat à iustificatione coram Deo ceremonias & ope-

& opera forensia secundum legem Mosaicam facta. vt, circumcisionem, sacrificia, obseruationem dierum festorum, solutionem decimarum, obedientiam erga leges Politicas. Hæc enim opera sunt legis ab ipso Deo promulgatæ. In manifesto errore sunt Pseudoapostoli, quòd circumcisioni & obseruationi Sabbathorum adscribunt iustitiam coram Deo. Externa enim sunt opera, non integra legis impletio. Non propterea iustus est Salomon coram Deo, quia ingentem numerum sacrificiorum offert Deo.

Tertiò neq; Pharisæorum aut aliorum Iudæorum obedientia erga Decem præcepta, iustificat eos coram Deo. Sunt enim opera legis. Prodigiosa videtur hæc esse oratio: quid enim iustificabit hominem, si obedientia, si legis opus eum non iustificat? Nihil verò nunc ad nos, quid ratio vel miretur vel improbet. Paulus disertè dicit. Operibus legis non iustificari hominem coram Deo. Legis autem opera sunt obedientia erga leges, iustitia in contractibus, veritas in iudicÿs, reuerentia erga magistratum, diligentia in vocatione, modestia in moribus, fides in præstandis promissis, castitas, temperantia, beneficentia, liberalitas, hospitalitas: & quæcunque alia est virtus mandata in lege. Hæc legis opera quantumuis fulgeant coram

mundo

mundo, etiam si hespero & Lucifero formosiora sint, non tamen iustificant hominem coram Deo. Quemadmodum exemplum Lucæ 18. clarè testatur. Fatetur Christus ipse Pharisæum non fuisse externis sceleribus pollutum, sed multis excelluisse virtutibus: nihilominus detrahit illi laudem iustitiæ coram Deo. Non est obscura ratio. Quantacunq; enim hæc est obedientia seu virtus, non tamen est integra legis impletio. Legis iudicio non satis fit, qualicunq; virtutis studio, & quibusdam laudatis operibus, & manifestorum scelerum abstinentia: sed integram & perfectam omnium mandatorum impletionem flagitat. Poscit dilectionem ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus: requirit vt homo sit exors omnis peccati & infirmitatis, vt omnes vires hominis sint purissimæ & integerrimæ. Ab hac perfectione & integritate omnium virium, motuum, & actionum, cùm procul absit Pharisæorum & Iudæorum iustitia, non potest ea homo coram Deo iustificari,

Quartò, propius accedimus ad arcem controversiæ. Neq; etiam sanctorum, & per spiritum sanctum renatorum opera facta in agnitione & fiducia mediatoris, & ab ipso spiritu Dei profecta, iustificant hominem coram Deo in iudicio conscientiæ. Facilè intelligi potest Ethnicorum opera,

opera, quæ agnitione veri Dei destituuntur, atq; etiam Pharisæorum & Iudæorum opera, quæ non sunt facta in fiducia mediatoris, neq; à spiritu Dei accenduntur, non iustificare hominem coram Deo. Hoc verò plus difficultatis habet. An non iustificetur homo coram Deo operibus & obedientia verè spirituali, quæ ex vera Dei agnitione & fiducia mediatoris proficiscitur, & ab ipso Dei spiritu proficiscitur, sit iustitia nostra coram Deo, propter quam accepti sumus. Apostolus clarè ac disertè pronunciat: Ex operibus legis non iustificari vllam carnem: siue quis renatus siue non renatus sit, siue fide sit præditus, siue ab ea alienus: Opera enim iustificare non possunt. Non enim vllis nostris operibus, sed passioni & merito Christi laus nostræ iustitiæ debetur. Ad Rom. cap. 4. Paulus illustre exemplum ponit de Abrahamo patre multarum gentium, quem adfirmat non ex operibus, sed ex fide iustificatum esse: Et quidem loquitur de Abrahamo iam dudum conuerso, & spiritui obtemperante. Migrauerat enim ex patria, Deo mandante: vero spiritu ambulauerat coram Deo: in fide trucidauerat reges, & benedictionem à Melchizedech acceperat: statuebat Deum esse scutum & protectionem ipsius: Et scriptura dicit: Abrahamum credidisse Deo, & reputatum illi esse ad iustitiam. Ac de hoc

conuerso & à spiritu Dei illuminato Abrahamo loquitur Paulus, & diserte negat eum ex operibus coram Deo iustificatum esse. Non ergo existimandum est, opera renatorum, quæ in fide & spiritu fiunt, esse iustitiam, quæ iudicio Dei opponi possit. Manifesta ratio est, quia sanctorum opera non sunt perfecta legis impletio: non carent sancti omni labe peccati. Semper sanctis necessaria est precatio: Dimitte nobis debita nostra. Pro hac orabit ad te omnis sanctus, inquit Dauid. Ne intres (inquit) in iudicium cum seruo tuo. Seruum se Dei esse gloriatur, qui in fide et spiritu inuocet Deum, & laudi eius seruiat: et tamen metuit Dei iudicium. Quia non iustificabitur in conspectu tuo vllus viuens. Et Paulus inquit: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus. Opera ergo legis in sanctis, vt pietas, dilectio, timor Dei, inuocatio, gratiarum actio, confessio nominis diuini, patientia, humilitas, zelus, dilectio proximi, castitas, beneficentia, misericordia, placabilitas, iustitia, & similes sanctorum virtutes in fide præstitæ, non iustificant hominem coram Deo.

Sexto. Iam verò, qui vel micam sani iudicij habet, ex his facilè ratiocinatur, nulla prorsus esse opera in genere humano, quibus laus iustitiæ meritò tribui possit vel debeat. Nulla enim lex

lex sanctior aut spiritualior ab vlla creatura excogitari potest, quàm quæ à Deo lata est. Ergo ἐθελοθρησκίαν, id est, electitij cultus hominum, opera imposita ex potestate clauium .i. authoritate ministerij: opera supererogationis, & si qua alia est species operum in toto mundo; nullo modo iustificant hominem coram Deo. Si enim opera à Deo mandata non iustificant, quomodo iustificarent hominum opera ab humano inuenta ingenio, præsertim Christo dicente: Frustra me colunt docentes doctrinam mandata hominum. Matth. 15. Hæc ergo est Pauli negatiua Propositio, quod prorsus nulla sint opera in genere humano, nullæ virtutum species, quibus homo in iudicio Dei iustificari queat. Vt enim omnes omnium operum species excludat, vniuersalem particulam addit: Non iustificabitur ex operibus legis vlla caro: quasi dicat, neminem excipio, qui caro est: nec Adamum, nec Noah, nec Abraham, nec Iacobum, nec Mosen, nec Dauidem, nec Eliam, nec Petrum, nec Mariam, nec vllum hominem. Neq; etiam renatos, quia caro adhuc sunt, non habent integram legis perfectionem spiritualem. Solus hic Christus excipitur, qui spiritus est, & legem impleuit. Nulla ergo sunt opera in toto mundo, quæ hominem iustificare possent coram Deo.

SEQVITVR ALTERA PARS *propositionis, quæ est adfirmatiua.*

Nisi per fidem Iesu Christi) Suprà dictum est quid Paulo significet fides: nimirum fiducia misericordiæ Dei propter Christum remittentis peccata, & donantis nobis vitam æternam. Est ergo sententia Pauli: Hominem SOLA FIDE in Iesum Christum iustificari coram Deo: quemadmodum & ad Rom. 3. inquit: Arbitramur hominem iustificari fide absq; operibus legis. Et Act. 13. Qui credit in hunc Iesum iustificatus est. Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus erga Deum, per dominum nostrum Iesum Christum.

De Exclusiua particula.

IN hac Adfirmatiua parte Propositionis Pauli diligentissimè obseruanda est exclusiua particula (*Nisi per fidem*) hæc enim omnes rimas elabendi sophistis obruit. Pontificij contentiosè impugnant, quòd adseueramus, sola fide nos iustificari coram Deo. Sentiunt enim figmentum ipsorum de fide formata dilectione, valido ariete hic deijci. Postulant ipsas syllabas, sola fide, sibi monstrari in sacris literis. Quin igitur oculos aperiunt, et animum aduertunt. Paulus hic clarè ponit

ponit: ἐαὰ μὴ διὰ τῆς πίστεως. id est, Nisi seu duntaxat per fidem. An horum verborum vlla alia sententia esse potest, quàm sola fide nos iustificari? Fœda igitur & detestanda calumniandi libido est, quòd cauillantur, Lutherum textum Pauli corrupisse, quia particulam (Sola) cap. 3. ad Romanos inseruerit. Imò ex spiritu Dei mentem Pauli expressit. Aequipollentes enim particulæ exclusiuæ passim sunt obuiæ, vt gratis Rom. 3. Gratia Dei Ephe. 2. absq; operibus Rom. 3. sine lege Rom. 3. Non habens meam iustitiam, quæ in lege est Phil. 3. non ex operibus Tit. 3. Isai. 46. Tantùm in domino sunt mihi iustitiæ & fortitudo. Hæ particulæ & phrases omnes nihil aliud volunt, quàm sola fide nos iustificari. Ac sciendum est, quid excludat particula exclusiua. Certum enim est non excludi à iustificatione nostri misericordiam Dei, hæc enim est causa impulsiua in Deo, & diserte exprimitur in Pauli propositione: Neq; excluditur passio, meritum & tota obedientia Iesu Christi: hæc enim est vnicum fundamentum nostræ iustitiæ & salutis: & hoc fulcro nititur fides. Neque excluditur promissio Euangelij, & huic annexa sacramenta. His enim medijs et fidem in nobis accendit Deus, & offert iustitiam & salutem. Opera verò nostra secundum legem facta excludit, ita vt laudem

dem iustificationis eis detrahat. Hoc est, urget nullis operibus nos iustificari coram Deo: sed sola fide; hoc est, sola Dei misericordia & solo merito Christi. Correlatiuè enim accipienda est propositio, fide iustificamur. Id est: Misericordia Dei & obedientia mediatoris, quam fides amplectitur, iustificamur coram Deo.

Adiaphoristæ & Maioris excusatores concedunt, exclusiua particula excludi à iustificatione, operum meritum, dignitatem, efficaciam, fiduciam, gloriationem, præsumptionem, causam: sed non præsentiæ operum necessitatem. Volunt enim opera esse causam, vt vocant, ἧς οὐκ ἄνευ id est, sine qua non. Verùm manifesta hæc est corruptela. Exclusiua particula etiam necessitatem præsentiæ bonorum operum excludit à iustificatione. Et bona opera non sunt causa sine qua non iustificationis. Paulus enim asserte dicit: Arbitramur hominem iustificari fide absq; operibus legis: etiamsi nulla adsint bona opera, tamen fide potest homo iustificari. Et Rom. 4. Non operanti, credenti autem in eum, qui iustificat impium, fides sua imputatur ad iustitiam. Ideóque Christus ait: Aut ponite prius arborem bonam, & fructu eius bonos: aut ponite arborem malam, & fructus eius malos. Si bona opera sunt fructus hominis iustificati, non sunt necessariò præsen-

præsentia in ipsa iustificatione. Vnde Augustinus: Bona opera non præcedunt iustificandum, sed sequuntur iustificatum. Non ergo sunt causa sine qua non: neq; necessariò præsentia sunt in iustificatione. Paulus non diceret: Sine operibus hominem iustificari & quidem impium, si bona opera necessario præsentia essent in iustificatione. Rectè Lutherus: Fides sine & ante bona opera iustificat.

Exclusiua particula tribus causis addi debet. Primùm impulsiuæ & efficienti, videlicet Misericordiæ Dei. Sola enim Dei misericordia seu gratia iustificamur. Ephe. 2. Gratia Dei saluati estis, per fidem, & hoc non ex vobis: Si autem ex gratia, iam non ex operibus. Rom. 11.

Secundò causæ meritoriæ. Solo mediatoris merito iustificamur. Act. 4. Non est in vllo alio salus, neq; aliud est nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.

Tertiò causæ instrumentali. Sola fide iustificamur. Gal. 2. Duntaxat per fidem.

CAVSAE, cur reuocanda & adserenda sit exclusiua particula in articulo iustificationis & graues & manifestæ sunt.

Prima. vt Deo patri, filio, & spiritui sancto suus honos tribuatur, quod tantùm Deo debeamus nostram iustitiam. Omnis lingua mihi

confitebitur & iurabit. Tantùm in domino sunt mihi iustitiæ Iesai. 46.

Secunda causa est, Vt conscientiæ firmam habeant consolationem. Promissio pendens ex conditione legis incerta est, inquit Paulus Rom. 4. Conscientia enim nostra testis est, quòd legi non satisfaciamus. Nunquam ergo firma esse potest consolatio, nisi solo mediatore nitatur nostra fides.

Tertia. Vt discrimen legis & Euangelij semper in Ecclesia sit conspicuum. Exclusiua ostendit tam procul inter se distare hæc doctrinarum genera, quantum cælum abest à terra. Lex nemini concedit vitam, nisi perfectam præstitert obedientiam. Euangelion verò gratis absq; omni dignitate & opere, credenti propter solum mediatorem offert iustitiam & vitam.

Hinc quarta surgit causa, vt videlicet inuocatio ad Deum solidæ & immotæ petræ innitatur. Nisi enim inuocatio fide erigatur, & tota in solum incumbat mediatorem, corruit statim et opprimitur terroribus.

Quinta causa est, ne alia quæramus applicationis iustitiæ media, quàm quod ipse Deus ordinauit, patefecit, constituit, donauit: videlicet quod est fides.

Et nos, inquit Paulus, in Christum Iesum

sum credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis)

Exemplo suo, in quo multa sunt insignia, illustrat propositionis vtramq; partem & negatiuam & affirmatiuam.

Vixerat Paulus iuxta legem magna diligentia, & vt suprà dixit, ardebat zelo tuendi legem & doctrinam à maioribus acceptam. Alibi etiam gloriatur se vixisse sine reprehensione, & nullius sceleris sibi conscium esse. Et tamen ex operibus legis non adeptus est iustitiam coram Deo. Vt inueniar (inquit) non habens meam iustitiam, quæ ex lege est. Phil. 3. Imò eam prosternere habet. Hoc sanè insigne est exemplum. Si Paulus, qui diligentissimè iuxta legem vixit, nullis fuit pollutus sceleribus, potiùs fulsit magnis virtutibus, non tamen iustificatus est coram Deo ex operibus: Quis ergo suis confidat operibus in iudicio Dei? Intellexit Paulus in lege accusari & concupiscentiam. vt Rom. 7. Indicat se verò non esse immunem à concupiscentia carnis, imò venundatum se esse sub peccatum. Ideoque se operibus legis coram Deo iustificari non posse. Etiam pars affirmatiua propositionis insigniter exemplo Pauli illustratur. Fuit enim Paulus persecutor Ecclesiæ, hostis veritatis, blasphemus in Chri-

stium: contaminatus erat innoxio sanguine Stephani martyris, conatus fuerat totis viribus vastare & delere Ecclesiam Dei: ipsum filium Dei persecutus fuerat zelo Iudaismi. Et tamen misericordiâ ab æterno patre consecutus est, et à Christo mediatore receptus in gratiam. Omnia peccata illi donata sunt: Dominus imputauit illi filij sui iustitiam: effudit in eum spiritum sanctum, & non solùm excellentibus donis sapientiæ, fortitudinis, eloquentiæ, patientiæ, miraculorum ipsum exornauit: verùm etiam apostolum insignem gentium constituit. In Paulo igitur statuit Deus immensæ suæ misericordiæ clarum exemplum, & toti mundo demonstrauit, quòd non delectetur morte peccatoris, sed per fidem in Christum iustificare & saluare velit omnes ad mediatorem confugientes.

Hactenus mediocri diligentia sententiam propositionis Paulinæ exposui, nunc argumenta, quibus eam confirmat, ordine expendemus.

CONFIRMATIO PAVLINAE PROPOSITIONIS.

Si verò quærentes iustificari in Christo, inuenimur etiam nos peccatores, Ergo Christus peccati minister est? Absit. Si enim quæ destruxi eadem rursus ædifico, transgressorem me ipsum constituo.

I.

PRIMVM ARGVMENTVM.

PRimum hoc est Pauli argumentum, quo propositionem suam de iustitia fidei probat, ductum ab officio mediatoris Christi, & à discrimine inter Mosen & Christum. Paulinæ phrases rectè intelligendæ & diligenter considerandæ sunt. Peccatorem hîc nominat Paulus eum, qui adhuc hæret sub ira Dei, & maledictione legis, & qui cum Deo in gratiam non redijt. Opponit enim inter se peccatorem, scilicet per legem conuictum & iustificatum, hoc est, absolutum à Deo & receptum in gratiam.

Minister peccati non significat hoc loco procuratorem vel promotorem sceleris, vt Latini solent loqui. Vt si dicas: Saulem habuisse multos scelerum suorum administros: Doeg, Idumeum & alios. Sed Paulo hîc significat peccati minister, seuerus iudex, qui seuerum Dei iudicium aduersus peccatum exponit, qui peccatum gene-

generis humani ex tenebris securitatis extractum profert in conspectum Dei, qui turbat conscientiæ quietem, & reuelatione iudicij diuini horrendos tumultus in conscientia mouet, ita vt nesciat homo, quò se vertere debeat. Peccatum enim absq; tali ministerio quiescit & dormit. Homo non videt suam immundiciem, non intelligit Dei iudicium, non metuit iræ eius magnitudinem, non extimescit damnationem æternam, quam peccato est meritus. Aaron cum scelus tristissimum commisisset statuendo idolum loco Dei, securus fuit, edit & bibit, & festum cum populo celebrauit. Vbi verò Moses reuersus de monte increpat eum, et demonstrat ei magnitudinem commissi sceleris, & testatur Deum voluisse conterere Aaronem, tum sanè Aaron horrendo tremore concutitur, tum incipit in eo euigilare peccatum, & onere intolerabili premit eius conscientiam: sentit tum iram Dei esse ignem consumentem: videt ante oculos æternam suam damnationem. Huiusmodi dolores, pauores, terrores & fugam in conscientia accendere, & facere supra modum peccans peccatum, vt Paulus loquitur Rom. 7. est proprium ministri peccati. Tum enim peccatum in conscientia viuit & regnat. Hoc verò regnum peccati, legislator & seuerus iudex, qui accusat peccatum, exponit legis sententiam, &

& ostendit iram Dei, promouit: itaq; legislator est peccati minister. Moses igitur, qui legem in monte Sinai accepit, & populo tradidit, qui passim flagitat à nobis perfectam et spiritualem obedientiam, cum hac tristissima appendice: Maledictus omnis, qui non permanet in his, quæ scripta sunt in libro legis huius, qui accusat nos de peccato, monstrat nobis iram Dei atrocem, et fert sententiam damnationis, est minister peccati, accusans, reuelans, & excitans peccatum, & faciens supra modum peccans peccatum. Sic Paulus 2. Corinth. 3. Legem vocat ministerium mortis & damnationis, prorsus simili phrasi. Lex enim dum adfert peccati cognitionem, et ostendit Dei iram, & condemnat nos, non solùm incutit metum, sed tradit nos morti, tanquam carnifici, & conijcit nos in damnationem sua maledictione. Hoc igitur est esse ministrum peccati, iræ, mortis & damnationis: Legislatorem & seuerum iudicem esse. Hinc apostolus Paulus tale contexit argumentum:

Si nos, qui quærimus iustitiam in Christo per fidem, non sumus iustificati, sed manemus peccatores lege damnati, tum Christus necessariò est peccati minister.

Sed absurdum & impium est, Christum statuere ministrum peccati.

Ergo

Ergo nos, qui quærimus iustitiam in Christo per fidem non, sumus peccatores, sed sumus iusti coram Deo.

Argumentum ducitur, vt dixi, à proprio Christi officio, & à discrimine inter Mosen & Christum. Prior propositio manifesta est. Vnigenitus filius Dei non frustra descendit de cælo, & adsumpsit carnem humanam: nec frustra submisit se legi, pro nobis passus & crucifixus est, subijt mortem, & tertia die resurrexit. Nihil vnquam à condito mundo admirabilius, nihil maius in terris gestum est, quàm quòd filius Dei de cælo in terris apparuit, & generi humano à patre datus est. Has tantas res frustra & sine causa accidisse, si quis fingeret, totus furiosus esset.

Sunt verò in Ecclesia tantùm duo officia seu munera. Vnum est Legislatoris, ministri peccati & iræ seu seueri iudicis, qui iuxta seueram legis sententiam tantùm nouit accusare peccatum, reuelare iram Dei, & condemnare peccatores. Alterum est Saluatoris mundi, mediatoris, redemptoris & iustificatoris hominum, qui saluos facit homines à peccatis eorum. Iam si quærentes in Christo iustitiam non sunt iusti, sed manent peccatores: sequitur Christum non esse iustificatorem nec saluatorem: quia relinquit homines ad ipsum fide confugientes in peccatis. Si iustificator non

tor non est: ergo erit peccati minister & alter Moses: quia frustra filius Dei de cælo non descendit. At nullo modo in Ecclesia concedendum est, quòd Christus sit peccati minister. Non enim est tortor aut carnifex conscientiarum. Christus non venit vt iudicet mundum, sed vt mundus per eum saluus fiat. Christus non est Moses, qui legibus torqueat conscientias, sed est medicus qui sanare vult conscientiæ nostræ vulnera, est mediator, liberator, iustificator & saluator, est Iehoua iustitia nostra. Itaq; qui per fidem iustitiam in Christo quærunt, nullo modo sunt peccatores lege conuicti & damnati, sed sunt iusti coram Deo, absoluti ab omni damnatione. In hoc grauissimo exemplo tradit Apostolus Paulus sublimem & summè necessariam doctrinam, de discrimine inter ministerium Moysis & officium mediatoris.

DE MINISTERIO MOYSIS.

Moses vt alius quispiam Ecclesiæ minister totam sonuit doctrinam spiritus sancti: non solùm legem docuit, sed et promissionẽ gratiæ exposuit. Neutra enim doctrina absq; altera cum fructu tradi in Ecclesia potest. Lex sine Euangelio vel hypocritas facit, vel ad desperationem impellit

pellit homines. Euangelion sine lege ne intelligi quidem potest, quem habeat vsum. Semper ita in Ecclesia vtrunq; doctrinæ genus vrgendum & repetendum est. Promissionem gratiæ Moyses dulcissimè tradidit cap. 33. & 34. Exodi. Miserebor cuius miserebor, & clemens ero, cui clemens fuero. Item: Dominus dominus misericors, miserator, clemens, beneficus, longanimis, & multæ bonitatis, condonans peccata, iniquitatem & transgressionem. Et aliæ multæ conciones Euangelicæ extant in lege Moysis. At præter hoc omnibus prophetis & apostolis commune officium docendi totam doctrinam spiritus, peculiare munus gessit Moses, quòd nimirum decalogum & totam legem adeò in monte Sinai accepit, & populo promulgauit, & constituit & rexit populum legis. In tantum corrupta est hominum natura & mens nostra excæcata, vt absque legis ministerio, nec immundiciem nostram, nec fœditatem peccati, nec magnitudinem iræ diuinæ, nec atrocitatem impendentium pœnarum intelligamus. Quin potius persuademus nobis vires naturæ nostræ eas esse, vt Deo obedire possimus: nec quicquam amplius à nobis flagitari, quàm natura nostra ex sese præstare queat, qui error facit, vt negligentius quæramus remedia, & languidius saluatorem & redemptorem expetamus. Instituit ergo Deus

Deus in mundo legis ministerium, & Moysen seuerum & asperum legislatorem, & ministrum peccati & veluti tortorem conscientiarum misit in mundum, vt per hunc adducat hominem ad agnitionem sui, excitet dormiens peccatum, reuelet iram Dei, & exponat seuerum eius iudicium aduersus peccatum. Promulgat per eum ingentem molem legum, & iubet eum subinde repetere & inculcare: Maledictus qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius. Atq; hunc ipsum ministrum peccati, & iræ præconem & legum doctorem in populo Dei constituit, qui erat semen Abrahæ, posteritas sanctorum patrum, & promissionem habebant de semine benedicturo gentes. Hic populus egebat ministro peccati & præcone iræ, ne opinione sanctitatis intumesceret, sed vt agnosceret peccatum, & metueret Dei iram iuxta legem. Quòd si populo Dei opus fuit peccati ministro & legislatore, multò magis gentes debuerunt agnoscere peccatum & metuere Dei iram. Diligenter igitur hoc peculiare Moysis officium attendamus. Baptista inquit: Lex per Moysen data est, veritas & gratia per Christum facta est. quasi dicat: Moyses non attulit gratiam vel salutem, sed legem docuit, cuius proprium est terrere, prosternere, concutere conscientias, & hominem mer-

gere in desperationem. Iohan. 5. Christus inquit: Ne existimetis, quòd ego vos sim accusaturus apud patrem. Est qui vos accuset Moyses. Testatur Christus, non esse sui muneris accusare homines apud patrem: sed hoc officium competere Moysi, qui est legislator & minister peccati. Sic Paulus 1. Corinth. 3. Moysen vocat ministrum literæ, & mortis & damnationis. Quia vniuersa mole legum, quas attulit, nihil aliud effecit aut obtinuit, quàm quòd conuicit homines de peccato.

DE OFFICIO IESV CHRISTI.

Domini nostri Iesu Christi officium prorsus est diuersum à munere Moysis. Hic non venit in mundum, vt iudicet mundum, vt sit minister peccati, & præco iræ diuinæ, & grauiore sententia damnet homines, quàm à Moyse est factum, sed vt mundus per eum saluus fiat. Plus satis per Moysen de peccato conuicti, in conscientia territi, & ad infernum vsq; damnati & detrusi sumus. Nihil opus est nos premi nouis legibus. Moysis sententia. Moysis sententiam ferre in conscientia non possumus: adigit ille nos ad desperationem. Consolatione, medicina, auxilio, salute nobis est opus. Aeternus igitur pater non dedit nobis nouum Moysen, peccati ministrum & præ-

& præconem iræ: sed saluatorem mundi & largitorem iustitiæ, vitæ & pacis, iuxta dulcissimum dictum: Non enim Deus misit filium suum, vt iudicet mundum, sed vt mundus per eum saluus fiat. Iohan. 3. Iesus Christus venit in hunc mundum ad saluos faciendum peccatores 1. Timoth. 1. Item Ioan. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Item Iesa. 49. Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & ad restituendum vastitates Israëlis. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Item Matth. 9. Ego non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

In his & similibus dictis, verbis suauissimis, describitur proprium Christi officium, quòd nequaquam sit peccati minister, qui nouas et sublimiores adferat leges, vt nos duriùs & asperiùs condemnet quàm Moyses fecit: sed quòd sit salus totius generis humani, in hunc finem missus & datus à DEO, vt lege perterrefactas mentes consoletur, vulneratas sanet, prostratas erigat, & morti addictas liberet & viuificet. Extrema igitur ignominia adficiunt Christum mundi saluatorem, qui ex eo faciunt peccati

ministrum, hoc est, Legislatorem & seuerum iudicem, qui peccatores abijcere velit in damnationem. Est quidem filius Dei constitutus à patre iudex viuorum & mortuorum, qui supplicia æterna impositurus est impœnitentibus et hostibus veritatis: sed non propterea descendit filius Dei de cœlo & homo factus est, non propterea submisit se legi, deriuauit in se iram Dei, crucifixus & mortuus est, vt conijceret genus humanum in damnationem. Legis sententia iam lata erat. Et filius Dei ab æterno Deus iudex est omnis carnis. Hoc sine verò adsumpsit humanam carnem, factus est victima pro peccato, & constitutus est redemptor, vt peccatores à maledicto legis redimeret, iram Dei placaret, mortem destrueret, & nobis iustitiam, pacem, vitam & lætitiam restitueret & communicaret. Quoties ergo conscientiæ nostræ premuntur sensu iræ Dei, & cruciatus sustinemus propter admissa peccata, & metuimus æternam abiectionem, non expauescamus Iesum Christum tanquam seuerum iudicem, sed plena fiducia ad eum confugiamus, ab ipso petamus solatium & certò statuamus eum adferre præsentissima remedia ad sananda vulnera nostræ conscientiæ. Ipse enim testatur se dedisse seipsum ἀντίλυτρον pro nobis, & se totam iram patris placasse. Ipse gratis offert remissionem pecca-

torum & donat spiritum sanctum et vitam æternam. Hæc noticia Christi adfert conscientiæ pacem & lætitiam in Deo. Hanc doctrinam de proprio Christi officio totis viribus tueamur. Est enim vnicus fons omnium consolationum: subinde autem obscurauit eam Satan. Iudæi finxerunt Messiam fore regem mundanum, qui regna mundi esset occupaturus, & distributurus suis Iudæis prouincias. Pseudoapostoli ex Christo fecerunt legislatorem & peccati ministrum, siquidem in eo solo non quæsiuerunt iustitiam. Thomas Aquinas cum horribili blasphemia scripsit, Christum sua morte satisfeciisse pro peccato originali, nobis verò satisfaciendum esse pro peccatis actualibus. Alij Pontificij scriptores finxerunt Christum satisfeciisse pro peccato originali & peccatis actualibus ante baptismum commissis: pro ijs verò peccatis, quæ post baptismum admittuntur, nobis satisfaciendum esse nostris operibus. Hoc verò quid est aliud, quàm Christum ex parte constituere liberatorem mundi, ex parte verò ministrum peccati. Nam si non tollit omnia peccata: ergo aliqua peccata tanquam legislator auget, excitat, & in conscientia regnare facit. Quæ non sine atroci iniuria Christi dicuntur. Sotus, Lindanus & alij pontificum adulatores fingunt Christum ideo venisse in hunc mundum,

vt sua passione obtineret apud patrem, vt nostra opera, quæ ex se meritoria non sunt, per Christum essent meritoria vitæ æternæ. Hoc idem est, ac si dicerent, Christum sua passione impetrasse, vt Deus esset iustus, & iuxta legis sententiam pronunciaret. Quid verò potest dici aut cogitari ineptius? Si Deus iuxta opera nostra & secundum legem nos vult iudicare, nihil opus est Christum mitti. Nam Deus per se est iustus ab æterno: & legis sententia immota est: & nostra opera non aliter sunt meritoria vitæ æternæ, quàm si perfectè congruant cum lege. Verbis igitur reliquerunt Christum crucifixum & mortuum, sed reipsa Christum cum sua passione & obedientia, cum toto officio & omnibus eius beneficijs sustulerunt: vel tantùm peccati ministrum & præconem iræ & executorem damnationis ex ipso fecerunt. Diligenter itaq; nobis ab huiusmodi præstigijs Satanæ, quibus obscurare couatur proprium Christi officium caueamus: & sciamus horrendam committi ab illis blasphemiam, qui ex Christo mundi saluatore, ministrum peccati & alterum Moysen faciunt. Semper in conspectu sit nobis dulcissima promissio, quæ in Iesaia de Christo & eius officio extat cap. 61. Spiritus domini super me, eò quòd vnxerit me: ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contri-

tis corde, & prædicarem & captiuis indulgentiam & clausis apertionem, vt prædicarem annum placabilem domino. Refugium igitur tutissimum, remedium præsentissimum, & consolationem contra peccatum efficacissimam inuenient peccatores apud Iesum Christum. Et iustitia nullo modo ex operibus legis venit: sed per fidem Iesu Christi contingit credenti. Ad hoc enim apparuit filius Dei, vt tollat peccatum & donet iustitiam, vt auferat maledictionem & restituat nobis benedictionem.

Hoc primum est Pauli argumentum ab officio Christi.

Si enim quæ destruxi eadem rursus ædifico.) Illustrat priorem partem Propositionis, & ostendit, se omnino peccatorem esse, si in lege quæreret iustitiam, & non acquiesceret in Christo. Si, inquit, ea quæ destruxi rursus ædificarem; hoc est, Si vrgerem legis obseruationem ad salutem & iustitiam necessariam esse, quod genus doctrinæ hactenus magno studio euerti, destruxi, & claris scripturæ testimonijs confutaui; hac ipsa retractatione meæ doctrinæ palàm testarer, me in Christo non adeptum esse iustitiam, me in legem peccasse, & adhuc egere lege iustificante, atque adeò conuictum peccatorem

torem & transgressorem esse. Quòd si verò ego (qui iustitiam in Christo quæsiui per fidem) peccator essem, sequeretur Christum peccati esse ministrum. Nihil enim apud me effecisset Christus, nisi quod peccatum excitasset, auxisset, & supra modum peccans peccatum effecisset, & tandem in conscientia mea reliquisset. At Christus nullo modo est peccati minister: quin potiùs est deletor peccati & donator & effector iustitiæ: nec ego ea rursus ædifico, quæ destruxi: doctrinam de necessitate operum legis ad salutem destruxi & deleui, demonstrando, iustitiam prouenire non ex lege sed à Christo per fidem. Ergo peccator non sum, dum quæro iustificari in Christo, sed sum iustus coram Deo, & omnes qui fide Christum amplectuntur, per ipsum iustificantur sine lege.

Ego enim per legem legi sum mortuus, vt viuam Deo: cum Christo sum crucifixus. Viuo autem non iam ego, sed viuit in me Christus. Quod verò nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me.

Secun-

Secundum hoc est argumentum, sumptum à discrimine legis et Euangelij, & ab efficacia promissionis gratiæ. Argumentum Pauli est huiusmodi.

Mortuus legi non potest per legem iustificari aut saluari.

Qui credit promissioni gratiæ, est legi mortuus: Est enim cum Christo crucifixus & cum ipso sepultus.

Ergo qui credit promissioni gratiæ, non potest per legem iustificari aut saluari.

Vt hoc argumentum sit validius & dilucidius, adiungit & alterum ex eodem fonte petitum & eiusdem sententiæ.

Quicunq; iam viuit Deo, is non eget lege viuificante seu iustificante.

Omnis qui credit promissioni gratiæ viuit iam Deo: nam viuit in ipso Christus.

Ergo omnis qui credit promissioni gratiæ, non indiget lege viuificante seu iustificante.

HAec clarissima et validissima est demonstratio doctrinæ Pauli, quòd iustitia non sit ex lege vel operibus, sed per fidem Iesu Christi. Vt autem amplitudo doctrinæ & vis argumenti rectè percipiatur, primùm phrases apostolicæ dili-

genter expendantur : deinde consideretur discrimen legis & Euangelij.

Bis ponitur hic vox legis, sed diuersissime sensu. Primo enim loco vocabulum legis non significat decalogum, aut vllam legem Moysis, sed promissionem gratiæ de remissione peccatorum donanda propter mediatorem. Quia enim Pseudoapostoli admodum superbè iactitabant legem in Sinai monte promulgatam, & voce augustissima imponebant rudioribus : Paulus vt tumidam illam pseudoapostolorum doctrinam reprimat, Legi opponit legem, nimirum promissionem Euangelij de Messia & semine benedicturo gentes. quasi dicat : Vos legem superbè iactatis, vt videlicet errorem prætextu hoc ornetis. Ego verò aliam legem, nimirum promissionem Euangelij, oppono legi, & ostendo quomodo à lege decalogi sim liberatus. Sic spiritus sanctus opponit peccato peccatum. Rom. 8. mortem morti Oseæ 13. Fortem forti. Luc. 11. Vt consolatio sit plenior et suauior, & altiùs insideat cordi. Secundo loco vocabulum legis significat decalogum & omnes leges forenses & ceremoniales Moysis. Mori legi, non significat contemnere legem et contumaciter contra legem viuere: sed liberatum esse à maledictione legis, persoluisse legi omnem pœnam, non amplius accusari vel damnari à lege, nihil prorsus debere

debere legi, non amplius cogi à lege. ad Rom. 7. Integra similitudine illustrat hanc phrasin : quid sit mori legi. Fœmina inquit, quæ viro nupta est, lege alligata est viro, quamdiu maritus viuit. vbi verò moritur maritus, fœmina soluta est à lege viri. Sic & vos existimate mortuos legi per corpus Christi, vt alteri nubatis. Apostolus legem confert marito, qui nobis imperet, quamdiu viuimus: vbi verò mortui sumus, iam ab imperio mariti soluti sumus. Tyrannus in mancipium mortuum nihil amplius iuris habet. Ergo cum nos mortui simus per corpus Christi legi, nihil iuris amplius in nos lex habet. Immensam ergo consolationem monstrat nobis Paulus, cùm dicit nos legi mortuos esse : docet enim omnem pœnam, quam legi debebamus, persolutam esse, omnem maledictionem sublatam, legi prorsus satisfactum esse, & nos prorsus à lege liberatos esse, ita vt nec accusare, nec terrere, nec cogere, nec damnare nos debeat vel possit. Diligenter attendendum est, quòd non dicit: Legem nobis esse mortuam, sed nos mortuos esse legi. Lex enim est æternum Dei decretum, quod mutari vel aboleri nullo modo potest. Semper manet legis sententia : itaque non moritur nobis, imò subinde repetitur : Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Item : Maledictus omnis qui non perman-

permanserit in omnibus his. Nos verò dicit mortuos legi, quia per corpus Christi nos crucifixi, interfecti & sepulti sumus. Siquidem ille pro nobis omnia ista fecit: & monet nos, qui in Christum credimus, à legis terroribus esse liberatos: alios verò extra Christum adhuc viuere legi. hoc est, à lege accusari & maledici. Imò lex regnum in illos exercet, qui in Christum non credunt.

Viuere Deo, est liberatum esse à maledictione legis, reconciliatum esse Deo, habere remissionem peccatorum, esse iustum coram Deo, & duci à spiritu sancto, qui lucem, vitam, pacem & iustitiam in corde accendit: & esse hæredem vitæ æternæ. Sic enim Deo viuimus, cùm per spiritum viuificantem fructum iustitiæ ferimus Deo, & in fide Dei beneficia, immensa nobis in Christo exhibita, celebramus. Mirum est, cur Paulus dicat eos viuere Deo, qui legi sunt mortui: An non sunt eiusdem sententiæ Deus & Lex? Diliges dominum. Et, maledictus qui non permanserit? annon igitur qui viuit Deo, viuit & legi? Paulus negat hoc. In Christo enim Deus est alterius sententiæ quàm lex. Sententiæ legis immota est: Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus. At Deus in Christo inquit: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Item Iohan. 6. Hæc est voluntas patris, vt qui credit in

dit in me, habeat vitam æternam. Aliud est igitur viuere legi, aliud viuere Deo. Legi viuit, qui à lege cogitur, premitur, accusatur, terretur, damnatur. hic enim sentit onus & maledictionem & sæuum legis imperium: atq; ita mortuus est Deo: quia destituitur consolatione, iustitia, vita, pace & spiritu sancto. Deo autem viuit, qui per Christi corpus legi est mortuus, hoc est, liberatus est à legis imperio & maledictione, receptus est à Deo in gratiam, reputatur iustus coram Deo, donatus est spiritu sancto viuificante, & nouos motus congruentes Deo accendente. Paulus conuersus ad Deum, & credens in Christum filium Dei crucifixum & resuscitatum, & baptizatus ab Anania, est mortuus legi: quia Christus pro ipso legi satisfecit, & eum à lege liberauit: viuit autem Deo, quia habet remissionem peccatorum, est iustus coram Deo, donatus est noua luce, iustitia, vita, pace & lætitia in Deo per spiritum sanctum, & est hæres vitæ æternæ.

Hic iam videndum est nobis, quomodo per legem Euangelij, hoc est, per promissionem gratiæ legi decalogi moriamur: nimirum in hunc modum. Lex decalogi postulat à nobis integram, spiritualem & omnibus numeris absolutam obedientiam, & annectit hanc comminationem: nos morte morituros, nisi eam præstiterimus. Deus

inquit

inquit ad Adam: Quacunque die comederis de arbore ista, morte morieris. Adam transgressus est hoc mandatum: Lex ergo adiudicat eum morti. Reuelata est autem de cælo & altera lex, scilicet promissio gratiæ de semine contrituro caput serpentis. Hæc lex secunda.i. promissio gratiæ, testatur, filium Dei adsumpturum humanam naturam & futurum victimam pro peccato. Messias igitur morte sua pro Adam & toto genere humano legi satisfacit. Ita Adam per gratiæ promissionem legi decalogi est mortuus, vt viuat Deo per fidem in Christum. Item Legis sententia est: Diliges dominum Deum tuum ex tota anima, ex toto corde, & ex omnibus viribus, & proximum tuum sicut teipsum, cum hac appendice: Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus his, quæ scripta sunt in libro legis huius. Iam constat, neminem hominum integram obedientiam legi præstare, aut præstare posse. Animalis enim homo non percipit ea, quæ spiritus Dei sunt. 1. Cor. 2. Et sensus carnis est inimicitia aduersus Deum Rom. 8. Lex ergo ius suum in nos persequitur, & premit nos maledictione æterna. At promissio gratiæ lex altera testatur Christum pro nobis factum esse maledictum, vt nos à maledictione legis redimeret. Gal. 3. Deus (inquit Iesaias cap. 53.) posuit in eum peccata omnium nostrûm: & liuore

liuore eius sanati sumus. Cùm posuerit animam suam hostiam pro peccato, videbit semen longæuum. Christus ergo patiendo et mortem sustinendo persoluit nostro loco pœnas legi debitas, & obedientiam præstando legem impleuit pro nobis. Lex ergo nihil amplius à nobis flagitare potest: Ita per legem gratiæ, quæ ostendit nobis Christum victimam, nos legi decalogi mortuos esse, ad Rom. 7. dicit Paulus, nos per corpus Christi legi mortuos esse. Quod enim Christus in corpore suo est passus & præstitit, hoc nobis per fidem non aliter imputatur, ac si nos ipsi in proprio nostro corpore & passi essemus & fecissemus. Idem argumentum & eadem loquendi forma extat Rom. 8. hisce verbis: Nam lex spiritus vitæ in Christo Iesu, id est, Euangelion liberauit me à lege peccati & mortis, & subiungit declarationem quam recensuimus. Quia argumentum hoc deducitur ex discrimine legis & Euangelij, & sine hoc intelligi non possit; omnino hîc tota doctrina de discrimine legis & Euangelij est repetenda.

DE DISCRIMINE LEGIS & EVANGELII.

LVmen totius Theologiæ est doctrina perspicua de discrimine legis & Euangelij seu promissionis gratiæ. Omnium prophetarum, Christi, & apostolorum conciones ad hæc duo capita perti-

pertinent. Neutrum genus doctrinæ absq; altero cum fructu proponi potest Ecclesiæ. Quod si confundas hæc diuersa genera dogmatum, iam amisisti spiritus sancti doctrinam, & eam in inanem philosophiam transformasti. Quòd si plus, quàm par est, ea à se inuicem diuulseris, euertis totam sacram scripturam. Atq; hac in parte multum à veteribus peccatum est, quòd euidens discrimen inter legem & Euangelion non monstrauerint. Pelagius finxit triplicem legem: Naturæ, Moysis, Euangelicam: & imaginatus est homines ante Moysen per legem naturæ esse iustificatos: Semen Abrahæ per legem Moysis. In nouo testamento Ecclesiam per legem Euangelicam, hoc est, præcepta perfectiora Christi iustificari & saluari. Hic pestilens error delet totum Euangelion, & sepelit omnia Christi beneficia. Et tamen multi scriptores Ecclesiastici, vt Epiphanius & alij hanc impiam sententiam per errorem admirati sunt.

Pontificij legem cum Euangelio prorsus confundunt, & ex dulcissimis gratiæ promissionibus meras conciones legis faciunt: quo errore tollunt beneficia mediatoris, & omnem salutarem noticiam Christi obruunt.

Matthias Flacius Illyricus noui Manichæismi author, contendit legem & Euangelion esse pugnan-

pugnantia dogmata. Quo errore euertit vtriusq; doctrinæ certitudinem. Si enim inter se pugnant, necesse est, tantùm alterum doctrinæ genus esse Dei veritatem. At apostolus Paulus ad Gal. 3. disertè docet, legem nequaquam contrariam esse promissioni Euangelij. Eleganter igitur & piè Tertullianus: Euangelion est aliud quàm lex, non alienum, diuersum genus doctrinæ, sed non contrarium. In quibus ergo articulis consistat hoc discrimen legis & Euangelij, diligenter attendat pius lector.

Tria sunt discrimina euidentia. Primum sumitur à diuersitate patefactionum. Legis noticia insculpta est homini in prima creatione, vbi Deus formauit hominem ad imaginem & similitudinem suam, in iustitia & sanctitate vera. Etsi autem per lapsum Adæ omnis noticia legis spiritualis est extincta: tamen reliquiæ quædam noticiæ legis, nimirum discrimen honestorum et turpium in ciuilibus, & intellectus externæ disciplinæ mansit, ita vt homo à natura aliquo modo saltem legem intelligat. Vnde Paulus affirmat gentes, quæ legem non habent, dum natura faciunt ea, quæ legis sunt, testari quòd opus legis scriptum sit in cordibus eorum. Rom. 2. Gentes lucæ naturæ viderunt hanc sententiam: Quòd tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Ab altero expectes,

alteri quod feceris. At integrum & spirituale legis iudicium non est notum hominibus à natura.

Euangelion verò de gratuita remissione peccatorum propter Christum, est mysterium absconditum à seculis, & prorsus ignotum humanæ rationi, testante id scriptura. Ioh. 1. Nemo Deum vidit vnquam: filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Coloss. 1. Vt impleam sermonem Dei, mysterium absconditum à seculis & à generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius. Item Matth. 11. Nemo nouit patrem nisi filius, & cui filius voluerit reuelare. 1. Cor. 2. Sapientiam loquimur in mysterio absconditam: quam nullus principum huius seculi cognouit.

Secundum discrimen consistit in diuersitate promissionum. Lex promittit quidem vitam æternam, fauorem Dei, & omnia bona huius & futuræ vitæ, sed cum conditione impletæ legis: Maledictus, inquit lex, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis huius. Item Leuit. 18. Qui fecerit ea, viuet in eis. Qui verò deliquerit in vno reus est omnium.

At Euangelij promissio sine conditione obedientiæ, omnibus in Christum credentibus, gratis offert remissionem peccatorum, imputationem iustitiæ, donationem spiritus sancti, & vitam æternam

nam, iuxta dictum Ioh. 8. Amen Amen dico vobis. Si quis sermonem meum seruabit, non gustabit mortem in æternum. Item Ioh. 3. Qui credit in filium habet vitam æternam. Item Acto. 10. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, accipere remissionem peccatorum per nomen eius, omnes qui credunt in eum. Item, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Gen. 12. Item, Noticia sui seruus meus iustus iustificabit multos. In hac promissione non flagitatur nostra obedientia, aut legis impletio: sed offertur & gratis nobis donatur Christus cum omnibus suis beneficijs. Quantum ergo cælum à terra distat, tantum & amplius distat promissio gratiæ à promissione legis. Promissio enim legis dicit: Hoc fac & viues. Non auditores sed factores legis iustificabuntur. At promissio Euangelij dicit: Viuo ego nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur et viuat. Item, Etiamsi peccata vestra fuerint vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.

Tertium discrimen à diuerso effectu sumitur. Legis tristis est effectus, cedens nobis ad mortem: vnde scriptura legi tribuit ministerium mortis et damnationis. Per legem, inquit Paulus, cognitio peccati: & Lex iram operatur. accusat enim nos, terret et morti tradit peccatores. Aculeus mortis, inquit Paulus, peccatum est. Virtus autem peccati

lex. Quotquot ergo sub lege sunt, sub maledicta legis & sub ira Dei sunt. Litera, inquit Paulus, hoc est lex, per Moysen data, occidit. Et Rom. 7. Veniente autem lege, ego sum mortuus. Petrus intelligens suum lapsum, quo Christum abnegauit, lege occiditur, & ad desperationem impellitur.

At promissionis Euangelij longè alius est effectus. Hæc nequaquam terret aut prosternit conscientiam, sed multò magis territam & sensu iræ Dei oppressam conscientiam erigit, consolatur, viuificat, & ingenti adfcit lætitia: siquidem monstrat nobis Christum, qui pro nostris peccatis satisfecit, iram Dei placauit, mortem destruxit, & iustitiam ac vitam suo nobis reparauit sanguine. Venite ad me, inquit Christus, omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Item: Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Hæc promissio credenti adfert vitam & pacem. Vnde Petrus inquit Iohan. 6. Domine quò ibimus à te, Tu verba vitæ habes.

Hoc modo differunt inter se lex & Euangelion, & hinc iam plenius intelligi potest, quomodo per legem Euangelij, hoc est, promissionem gratiæ, quæ docet Christum pro nobis crucifixum & resuscitatum esse, legi decalogi simus mortui: hoc est, à maledictione legis redempti, vt bene-

benedictionis per Christum in fide simus participes.

Cum Christo crucifixus sum.) Probatio est, et illustratio minoris propositionis quòd credens promissioni gratiæ, legi sit mortuus. Cum Christo, inquit, sum crucifixus. q. d. Christus meo loco est crucifixus, & sua morte satisfecit legi pro me. Quòd Christus in cruce pependit, & maledictum factus est, tam mihi imputatur, ac si ego ipse in cruce pependissem, & sanguinem meum pro meis peccatis effudissem. Omne enim meritum passionis & obedientiæ suæ donat mihi Christus. Itaq; per corpus Christi in fide imputatiuè ego sum crucifixus, mortuus & sepultus, satisfeci legi diuinæ. Ita legi sum mortuus, nec illa quidquam iuris amplius in nos habet. Ad Rom. 6. inquit: Nos cum Christo sepultos esse, per baptismum in mortem. Hoc est, Christi mors & sepultura per fidem nobis imputatur, cùm baptizamur. Eodem sensu hoc loco dixit: se cum Christo crucifixum esse. Suppeditat hæc forma loquendi ingentem consolationem perterrefactæ menti, & propter peccatum metuenti æternam abiectionem. Hic enim spiritus sanctus testatur, omnia quæ Christus passus est & fecit, vt legem impleret, nostra causa facta esse, & nostra esse. Cùm credo in filium Dei Iesum Christum, in spi-

ritu gloriari possum, me prorsus nihil debere legi: Iustinui enim legis maledictionem, persolui pœnas, quas peccatis merueram, subiui mortem, crucifixus & sepultus sum. Ergo lex nihil iuris in me habet. Indutus etiam sum integra iustitia & obedientia, quam lex flagitat. Habeo dilectionem Dei ex toto corde, & tota anima: habeo & perfectam dilectionem proximi, & spiritualẽ obedientiam iuxta omnia præcepta decalogi. Quidnam potest lex amplius à me poscere? Verùm hæc omnia non in mea persona habeo: sed in Christo, qui pro me mortuus est, et legem impleuit ardentissima dilectione Dei & proximi: quẽ Christum cum omnibus regni sui beneficijs induo per fidem.

Viuo autem iam non ego: sed viuit in me Christus.) Probatio est minoris in altero argumento: quòd nimirum viuat Deo. Quòd non solùm legi sim mortuus, sed etiã viuam Deo: inde probo, quòd in me Christus filius Dei per fidẽ viuit. Non enim mansit Christus in morte, qui pro me crucifixus est, sed tertia die resurrexit à mortuis virtute patris. Et ego, qui credo in ipsum, cum ipso sum resuscitatus in fide per spiritum viuificantem, & iam habitat in me Christus. Viuo ergo Deo, nimirum reconciliatus Deo, & donatus remissione peccatorum. Etiam templum exi-

stens spiritus sancti, qui datus est mihi per fidem, & in me nouam lucem, iustitiam, vitam, pacem, læticiam & dilectionem accendit.

Rursus autem apostolica phrasi vtitur, cùm dicit: Viuo non iam ego, sed viuit in me Christus. Hic autem respicit, quòd in conuerso ad Deum existunt duo homines: Vetus et nouus. Non enim ita fit conuersio, vt homo statim corpore & anima moriatur, & de nouo creetur mox integer spiritu: sed homo manet in vita, retinet corpus & animam, donatur autem noua luce & vita, & paulatim mutatur, donec in ipso peccatum in totum aboleatur, & iustitia luceat perfecta. Itaque duo dicuntur homines, vetus & nouus in vno conuerso. Sumpsit Paulus hanc loquendi formam ex Psal. 45. & 87. vbi spiritus sanctus inquit: Pro patribus nati tibi sunt filij. hoc est, loco patrum et Prophetarum in Iudaico populo gentes conuersæ ad Deum per vocem Euangelij, & renatæ per spiritum sanctum, erunt filij Ecclesiæ. Vt semper sit aliquis cœtus, Deum in fide inuocans. Quia spiritus sanctus dicit, nasci filios Ecclesiæ, qui iam in mundum editi, & à parentibus nati sunt: docet esse quandam spiritualem regenerationem, quæ constituat filios Dei & Ecclesiæ. Ergo si est regeneratio in homine conuerso, erunt duo homines: alter vetus natus à parentibus

secundum carnem: alter nouus, natus ex Deo per verbum & spiritum sanctum. Sic Psal. 85. Homo et homo nascetur in ea. Spiritus sanctus prædicit, fore, vt omnis generis homines & omnium nationum aliqui nascantur in Zion, id est, Ecclesia, Aegyptij, Africani, Chaldæi, Assyrij, Germani, Itali, Hispani, Galli, Borussi, Dani, & omnium nationum: sed hæ diuersæ gentes iam antè natæ fuerunt à parentibus: & denuo nascentur per spiritum & aquam in Ecclesia. Ergo duo sunt homines in quolibet conuerso. Vnde & Christus inquit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cælorum. Non autem sunt duæ diuersæ species, aut distinctæ personæ, sed vna & eadem persona iuxta diuersas suas qualitates sic distinguitur.

Vetus homo est totus homo corpore & anima, cum omnibus suis viribus & facultatibus, cum peccato originis, & hinc emergentibus vitijs, qualis à parentibus est in lucem editus, & quatenus per fidem & spiritum sanctum non est renatus, sed vitiositatem veterem ab Adamo contractam circumfert. At nouus ille homo, est similiter totus homo corpore & anima, cum omnibus viribus & facultatibus, quatenus ille per verbum et spiritum sanctum est regenitus, noua luce ornatus, ad Deum conuersus, nouis facultatibus spiritualibus

libus instructus, & iam ducitur, viuificatur, regitur, & lætitia perfunditur per spiritum sanctum, & in fide incipit Deo obedire iuxta legem. Idem apostolus Paulus conuersus ad Deum corpore & anima est adhuc vetus homo, venundatus sub peccatum, & faciens ea quæ non vult, et sentens legem membrorum repugnantem legi mentis. Idem & nouus est corpore et anima, in quantum est à spiritu sancto illuminatus, & viuificatus, nouit Deum, credit in mediatorem, sentit pacem conscientiæ, inuocat Deum, & incipit timere & diligere dominum, & legi obedientiam præstare. Sic Paulus Rom. 7. Ephes. 4. Coloss. 3. veterem & nouum hominem discernit. Vetus est à parentibus & circumfert peccatum originis et mortem: hic moritur per conuersionem & fidem. Nam per contritionem mortificatur vetus natura, & abijciuntur affectus carnis. Nouus homo est ex Deo, qui per spiritum sanctum conuertit corda, illustrat mentes noua luce, flectit voluntatem ad timorem & dilectionem sui, & impertit ei noticiam, vitam, iustitiam, lætitiam. Tandem in sanctis prorsus delebitur per mortem corpus peccati & vetus homo, & resuscitabitur nouus homo, qui totus sit spiritualis, liber ab omni vitiositate. Hæc vera est sententia Pauli, quoties de veteri siue externo, & de nouo siue interno ho-

mine loquitur. At Faustus Manichæus, vt in Augustino videre est, portentosè corrupit hanc formam loquendi: finxit enim veterem & nouum hominem apud Paulum significare duas diuersas substantias. Veterem, quæ authorem haberet tenebras: & nouam, quæ authorem haberet lucem. In similem insaniam prolapsus est, & Flacius Illyricus: siquidem contendit, veterem hominem à nouo differre non qualitatibus, sed substantia. Et veterem hominem vocauit substantiale peccatum originis, quod esset à Satana. Nouum vocauit nouam substantiam animæ, per spiritum conditam & regeneratam in conuersione. Hæc portenta alieniſsima sunt à doctrina Pauli. Ex fundamento verbi diuini refutauimus eam Antidoto nostro Ienæ impresso.

Eleganter Augustinus dicit: in homine renato esse ciuile bellum: non quòd diuersæ sint animæ in vno homine: sed quòd idem homo secum prælietur. Carnis adfectus procliues sunt ad superbiam, confidentiam, impatientiam, libidines, inuidiam, vindictam, diffidentiam: spiritus ex Deo natus luctatur contrà, conatur Deo præstare obedientiam, reprimit impuros motus, coërcet carnem, extinguit vindictæ flammam, reuocat animum ad patientiam, & petit in hoc difficili certamine iuuari à Deo. Hi contrarij motus in vna

vna anima existunt: spiritu huc impellente: carne illuc inclinante. Qui verè ad Deum conuersi sunt, & spiritu Dei aguntur: hi quotidie hoc certamen carnis & spiritus experiuntur, & facilè intelligunt, quid Paulus velit ista sententia: Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Homines verò securi vel erroribus ebrij, vel philosophia fascinati, nihil intelligunt istarum rerum, & prodigiosas comminiscuntur sententias.

Origenes & Pelagius fingunt tria esse in homine: spiritum, animam & carnem: atq; hæc constituunt in vnoquoq; homine animali. Si anima spiritum, id est rationem sequatur, dici hominem spiritualem: Quòd si obsecundet carnis desiderijs, dici carnalem. Perniciosa est hæc Paulinæ doctrinæ corruptela: Spiritus enim non significat rationem, sed animam ex Deo renatam: nouos motus à spiritu Dei accensos.

Nec Schwenckfeldius Pauli mentem adsecutus est. Finxit enim Paulo veterem & externum hominem significare corpus: nouum & internum hominem, animam. Cùm Paulus & animam & corpus, quatenus per spiritum regenerationis renouata non sunt, veterem & externum hominem appellet.

DE

DE INHABITATIONE Iesu Christi in nobis.

CVm Paulus dicit (*Viuit autem in me Christus*) *immensam nobis ostendit consolationem, quòd Filius Dei habitet, viuat & operetur in cordibus fidelium: Quemadmodum & Christus ipse testatur: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Etsi autem in hac infirmitate & caligine nostræ mentis, comprehendere non possumus, quomodo Christus in nobis viuat: tamen & promissioni Christi adsentiendum, & vberrima consolatio vtraque manu retinenda est. Christus Iohan. 6. ait: Qui edit carnem meam, in me manet, & ego in eo. Et Iohan. 15. Manete in me, & ego in vobis. Qui manet in me, & ego in eo, fructum multum feret. Primò sciri oportet, Christum non loqui de vniuersali præsentia Dei, qua cælum & terram implet, sed de speciali, qua sanctificat & viuificat corda per spiritum sanctum. Deinde distinguenda est inhabitatio Christi in sanctorum pectoribus, ab hypostatica vnione duarum naturarum in Christo.* λόγῳ *aliter habitat in proprio corpore, quod vniuit sibi, quàm in alijs*

alijs sanctis. In Christo habitat Deus σωματικῶς, *personaliter: at in sanctis per communicationem spiritus & vitæ. Tertiò non solùm persona Christi sed tota diuinitas simul, pater, filius & spiritus sanctus habitat in pectoribus piorum: Paulus inquit: An nescitis, quòd templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis 1. Corin. 3. Quartò non est diuellenda humanitas Christi ab ipsius diuinitate, quando Christus in nobis habitare dicitur. Totus Christus Deus & homo est vmbraculum nostrum, contra iram diuinæ maiestatis: totus Christus noster est mediator: totus Christus nobis suppeditat spiritum, nos viuificat, nos consolatur, nos regit & saluat. Totus Christus Deus & homo promisit se adfuturum nobis: Vbicunq; duo aut tres in nomine meo congregati sunt, in medio eorum sum. Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi. Totus Christus Deus & homo sublimior cælis factus est, penetrauit omnes cælos, sedet ad dexteram Dei, & implet omnia. Non ergo dubitemus quin & nostra corda, quæ condidit, redemit, & sanctificauit, implere possit. Ingens planè consolatio est, quòd Christus dicit Ioh. 17. Vt dilectio, qua me dilexisti, sit in eis, & ego in eis. Christo in nobis viuente, nec mors, nec Satan, nec portæ inferorum nos euertere possunt. Et quid non impetrare-*

traremus à Deo, Christo in nobis excitante preces, & spiritu opitulante nobis gemitibus inenarrabilibus? Tantò autem accuratius viuendum est, & morum sanctitati tantò diligentius studendum, ne spurcitie vitæ templum Dei polluamus, & ne tantum hospitem à nobis abalienemus.

Quòd autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei) Tacitæ obiectioni occurrit hîc Paulus. Respondere quis poterat Paulo: Tu quidem gloriaris Paule magnificis verbis, viuere in te Christum: at vita tua diuersum ostendit. Si Christus in te viueret, esses prorsus exors omnis peccati: Christus enim non nouit peccatum. At tu negare non potes, multa adhuc in te hærere peccata. Ad hæc respondet Paulus: Fateor, sunt adhuc in me vitiosi motus & peccata, quæ Christo tribui non possunt. Quod ego dixi de Christo in me viuente, non de plena liberatione, sed de fidei statu intelligendum est. Ego adhuc in carne viuo: carnem circumfero, ex qua peccata ebulliunt: veruntamen quia fide Christum apprehendi, & totum indui: viuit per verbum et fidem in me Christus filius Dei: siquidem de suo spiritu mihi dedit, me illuminauit, me viuificauit, quotidie me sanctificat, & expurgat peccatum: donec in resurrectione mortuorum totũ absorbeat carnis cor-

nis corruptionem, & nihil in me reliquum maneat, nisi vita & spiritus Iesu Christi. Vtrunque ergo fatetur Paulus, & se in carne viuere: et tamen se per fidem in Christo viuere: illud ad veterem hominem, hoc ad nouum petinet.

Qui dilexit me & tradidit seipsum pro me.) Causam nobis monstrat suæ iustificationis & viuificationis: quæ est fons omnis salutis nostræ. Non commemorat Paulus sua in Christum merita: non prædicat sua opera aut virtutes: sed soli dilectioni Christi adscribit suam apud Deum iustificationem: Ardentissimo amori, quo Christus me complexus est, debeo hoc totum, inquit, quòd iustus sum apud Deum.

Nullius sanè hominis tanta est in dicendo vis, vt ingens hoc incendium amoris in Christo erga nos miseros peccatores aliquo modo delineare saltem possit: tamen attollendi sunt animi nostri, quantum fieri potest, et spiritus sancti auxilium in hoc implorandum est, vt huius dilectionis ardorem contemplari, et nostris sensibus imprimere possimus. Multis modis testatus est Christus de sua erga nos dilectione. In Iesaia c. 49. inquit: Nunquid mulier obliuiscì potest infantis sui, vt nõ miseretur filij vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamẽ non obliuiscar tui: Sæpe filius Dei amorẽ suũ erga

erga nos pingit flammis amoris, qui est in sponso erga sponsam. Osea.2. Despondebo te mihi in æternum: despondebo te mihi in iustitia & in iudicio: in beneficentia et miserationibus. Iesa.62. Et vocabunt te, voluntas mea in ea. In Matth. cap. 23. inquit Christus: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis suis, & noluisti. Luc.15. Confert se pastori, qui magna sollicitudine inquirit ouem perditam: & vbi inuenerit magno gaudio imponit eam humeris suis. His dulcissimis picturis amorem suum erga nos ardentem ob oculos nostros ponere voluit. Nullus enim pater tam ardenti στοργῇ complectitur filium: Nullus sponsus tanto amoris incendio ardet erga sponsam: atq; filius Dei diligit genus humanum: semper resonet in auribus & animis nostris ardentissima illa sententia filij Dei: Nemo maiorem dilectionem habet, quàm vt ponat animam suam pro amicis suis: Vos estis amici mei: Et ego pono animam meam pro ouibus meis. Ingratissimi ergo sunt omnium hominum, qui hunc filij Dei amorem non agnoscunt, & suis meritis, operibus & virtutibus iustitiam coram Deo tribuunt. Segrego me à tali colluuie impiorum hominum: Tibi verò domine Iesu fili Dei, sanctissime Deus, toto pectore & totis viribus, quantum eas in hac fragilitate erige-

rigere possum, gratias ago immortales, quòd me dilexisti, & in peccatis iacentem, & morte obrutum, ardenti amore complexus, non solùm me redemisti, sed etiam spiritu viuificasti: sancte Deus, vnica salus & spes mea, confirma me tuo spiritu in fide, vt te vicissim diligam, & te omnibus viribus in omni æternitate celebrem.

Et tradidit seipsum pro me.) Dixerat se per legem legi mortuum esse, hoc est, per promissionem Euangelij de Christo crucifixo liberatum esse à lege: ostenderat etiam Christum crucifixum satisfecisse legi: nunc idem repetit & inculcat. Est enim huius controuersiæ fundamentum: Non retractauit Deus sententiam suam in lege patefactam. Est enim iustitia Dei immota, & veritas eius æterna. Non ergo condonat peccatum sine compensatione et pœnæ persolutione. Transtulit autem Deus peccata mundi in suum filium, vt Iesaias diserte testatur cap. 53. Posuit in eum dominus peccata omnium nostrûm. Filius ergo Dei Iesus Christus semetipsum tradidit pro nobis subiens maledictum, vt ira Dei placaretur, iuxta illa dicta: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Filius hominis venit, vt daret animam suam λύτρον pro multis. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iustitia Dei in ipso. Et in verbis cœnæ: Hic

est sanguis noui testamenti, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Sic ergo legi mortui, & à maledictione legis redempti sumus, quòd dominus noster Iesus Christus omnem pœnam pro nobis persoluit sua passione & morte: et placauit iram æterni patris sua obedientia. Hoc sanè ingens est precium, quo redempti sumus. Vnigenitus enim filius Dei maior est cælo & terra. Quàm horribilis est ergo blasphemia, quàm fœdus furor eorum, qui hoc augustissimo precio neglecto, sordidis & impuris suis operibus conantur legi satisfacere, Dei iram placare, & vitam mereri æternam. An non obedientia Iesu Christi subeuntis maledictionem pro nobis, sanctior est omni iustitia, non solùm hominum, sed & angelorum? An non sanguis Iesu Christi preciosior est totius mundi operibus?

Non reijcio gratiam Dei. si enim ex lege est iusticia, certè Christus frustra est mortuus.

TERTIVM ARGVMENTVM.

A causa finali passionis & mortis Iesu Christi demonstrat ex operibus legis neminem coram Deo iustificari. hoc modo:

Si iu-

Si iustitia coram Deo esset ex lege, frustra omnino Christus esset mortuus.

Sed furentis animi est dicere vel imaginari, quòd Christus vnigenitus Dei filius sine causa sit mortuus.

Ergo Iustitia coram Deo non est ex lege, sed per fidem Iesu Christi.

NOn indiget operosa explicatione hoc argumentum: Est enim tanta rei euidentia, vt nullis tenebris possit obscurari. Christum Dei filium sine causa & sine fructu à Deo patre in mortem esse mersum? ne Satan quidem dicere auderet. Sapientissimo sanè consilio decreuit pater æternus Messiam obijcere morti. Ipse Messias mortis supplicium meritus non fuit. Non enim fecit nec nouit peccatum: et non est inuentus dolus in ore eius. Causam ergo subesse necesse est. Iam verò si homines proprijs operibus, circumcisione, dilectione, castitate, iustitia, obedientia, possent pro peccato satisfacere, legem implere, & iustitiam coram Deo impetrare, prorsus nulla fuisset causa, cur Christus in mortem traditus esset. Quod enim ipsi homines virtute propria præstare possunt, ad hoc non necesse erat mittere de cælo vnigenitum Dei filium. Sic ergo iustitiarij Deum accusant extremæ crudelitatis, quòd filiu-

innocentißimum ſine omni cauſa, probroſißima & acerbißima morte mulctauerit: Filium verò Dei, fontem omnis ſapientiæ ſummè accuſant, quòd ſine cauſa & fructu atrociſſima quæq; ſit paſſus. Sed dum iuſtitiarij Chriſtum inſimulant ſtultitiæ, ſuam demonſtrant deſperatam malitiam & impietatem. Hoc enim ſine Chriſtus paſſus & mortuus eſt ex decreto patris, vt genus humanum per ipſum à peccato liberaretur, et iuſtitiam apud Deum obtineret.

Thomas Aquinas fingit Chriſtum ideo paſſum eſſe, vt pro peccato originis ſatisfaceret, nobis verò pro actualibus peccatis ſatisfaciendum eſſe.

Pontificij fingunt Chriſtum ſatisfeciſſe pro peccatis, quæ ante Baptiſmum committuntur: quæ verò poſt Baptiſmum patrantur, noſtris ieiunijs & eleemoſynis diluenda eſſe.

Scotus, Lindanus, Tapperus, & eius farinæ ſcriptores fingunt, Chriſtum paſſione ſua hoc impetraſſe, vt noſtra opera fierent meritoria vitæ æternæ. Omnes hæ præſtigiæ ab ipſo Satana excogitatæ ſunt, ad obſcurandum beneficium mortis Chriſti. Perſpicuè autem ex verbo Dei refutantur. Iohannes inquit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ergo tam actualia quam originale peccatum tulit. Ipſa ratio intelligere poteſt:

poteſt: Quòd ſi homines pro actualibus peccatis, aut ijs, quæ poſt Baptiſmum committuntur, potuiſſent ſatisfacere: etiam pro originali, & pro ijs, quæ ante Baptiſmum commiſſa ſunt, potuiſſent Deo ſatisfacere. Paulus ad Coloſſ. 2. inquit: Deus nos viuificauit cum Chriſto, condonans nobis omnia delicta. Nec neceſſe erat Chriſtum mori, vt noſtra opera fierent meritoria vitæ æternæ. Iam enim & Deus iuſtus erat, & legem promulgauerat, in qua operibus & obedientiæ, ſed perfectæ, vita æterna promittebatur. Verùm nulla in nobis erant opera legis: Idcirco Chriſti ſanguine opus erat nobis, vt ablueremur à ſordibus peccatorum. Hæc ergo duo nullo modo ſimul ſtare poſſunt: Et Chriſtum propter nos mortuum eſſe, & iuſtitiam eſſe ex lege. Alterutrum tolli neceſſe eſt: aut Chriſtum fruſtra eſſe mortuum: aut ex lege non eſſe iuſtitiam coram Deo. Ita manifeſtum eſt Iuſtitiarios & operum præcones, vt ponatur in eis fiducia, totum Chriſtum cum ſua paſſione, & omnibus beneficijs prorſus ſepelire, & è conſpectu hominum auferre, quod eſt ſacrilegium omnium maximum.

LOCI DOCTRINÆ.

1. De abrogatione legis Moſaicæ, ſiquidem Titus non fuit coactus ad circumciſionem.

2. *Libertati nostræ struentibus insidias, & conantibus nos in seruitutem redigere, ne ad horam quidem cedendum esse. Non enim quærunt veritatem Euangelij.*

3. *Quòd in Iesu Christo libertatem adepti simus, & ab omni seruitute & tyrannide legum, cæremoniarum, mortis & Satanæ liberati.*

4. *Quòd ipsa Euangelij veritas obscuretur, quando hostibus & insidiatoribus de libertate Christiana concedimus.*

5. *Quòd acceptio personarum apud Deum locum non habeat.*

6. *Doctrinam Euangelij de Iesu Christi regno, non solum ad Iudæos, sed ad Gentes quoq; pertinere.*

7. *Licet diuersa sint ministrorum Euangelij dona: idem tamen Deus per omnes est efficax ad salutem credentium, modò incorruptam Euangelij doctrinam sonent.*

8. *Curam pauperum in Ecclesia ad verbi ministros ita pertinere, vt ipsorum muneris sit monere & hortari auditores ad conferendas eleemosynas.*

9. *Etiam in Apostolis, in quos Spiritus sanctus visibili specie effusus fuit, resedisse magnas infirmitates: siquidem Petrus Apostolus Antiochiæ*

chiæ grauiter lapsus est, gentes sine causa cogens iudaizare.

10. *Eos qui in Ecclesia ita peccant, vt simul alios in errorem pertrahant, coram omnibus redarguendos esse, vt scandalum tollatur ex Ecclesia.*

11. *Quòd homo non iustificetur ex operibus legis: sed sola fide in dominum nostrum Iesum Christum.*

12. *De discrimine inter officium Christi et Moysis. Moyses est minister peccati: At Christus non est minister peccati, sed dator iustitiæ & vitæ.*

13. *De efficacia promissionis Euangelij, quòd doctrina Christi de remissione peccatorum liberet nos à legis maledictione, vt Deo viuamus et seruiamus.*

14. *Quod per fidem Iesus Christus viuat in fidelium pectoribus.*

15. *De officio Iesu Christi: In tantum dilexit nos, vt daret seipsum pro nobis, & liberaret nos à peccato & morte.*

16. *Doctrinam Iesu Christi de gratuita remissione peccatorum propter sanguinem Christi, ex diametro pugnare cum figmento de iustitia operum ex lege. Si enim ex operibus legis esset iustitia, frustra mortuus esset Iesus Christus Dei filius, quod impossibile est.*

III.

TERTIVM CAPVT.

O stulti Galatæ, quis vos fascinauit, vt non credatis veritati, quibus ante oculos Iesus Christus depictus est, inter vos crucifixus.

Magnitudine & atrocitate blasphemiarum, quæ sequuntur ex doctrina Pseudoapostolorum, commotus Paulus, iusto zelo miscet argumentationi acrem castigationem, vt excitet lectorem ad attentiorem argumentorum considerationem. Horrendum profectò est cogitationem in animum admittere, quasi filius Dei frustra sit mortuus. Et hoc tamen statui oportet, cùm operibus legis tribuitur iustitia. Iusta ergo de causa commouetur apostolus. Stultos vocat Galatas; quia stultitia extrema est, apostolicam relinquere doctrinam, & seductoribus præbere aures: mendacia anteferre veritati: in ipsa luce quærere tenebras.

Falsam

Falsam doctrinam fascino confert: planè enim dementat homines, & veluti in saxa eos conuertit, vt omni careant ratione & sensu. Vbi animi semel falsa doctrina sunt occupati, mordacus retinent præstigiæ Satanæ: nullis cedunt rationibus: nulla audiunt testimonia scripturæ: nullis mouentur vel argumentis vel admonitionibus: Et subinde pergunt comminiscendo nouos errores. Nec est quicquam tam absurdum & portentosum, quod non amplectatur mens fascinata falsa doctrina. Vt in Marcione, Manichæo, Ario, & nostra ætate in Illyrico Manichæo et eius sodalitio, videre est. Caueant ergo sibi pij à falsa doctrina: attendant lectioni sacræ scripturæ: Et subinde in studijs gemant ad Deum: Reuela domine oculos meos, vt videam mirabilia in lege tua: Viam mendacij amoue à me, & legem tuam dona mihi.

Hic verò etiam animaduertimus, quàm leui momento auditores rectè instituti deficiant à veritate, & applaudant seductoribus. Magna est enim leuitas humani animi: & insidiæ Satanæ multiplices sunt. Hinc fit, vt, quæ magnis laboribus, longo tempore, inter grauissima pericula ædificata sunt, citissimè per seductores euertantur. Iesaias 80. annis laborauit in erudienda Ecclesia, & docendi verum Dei cultum: Manasses Ido-

ſes Idolatra vno anno magnam euertit partem & ciuitatem replet Idolatria. Paulus 36. annis conſtituit Eccleſias & illuſtrauit doctrinam Euangelij magnis ſudoribus: Pſeudoapoſtoli breui momento multos adduxerunt in errorem. Lutherus 30. annis inter ſumma pericula, & laboribus adſiduis repurgauit doctrinam Euangelij à ſordibus Antichriſti: Quàm celeriter Maior, Peucerus, Cruciger, Mollerus, deſerta Lutheri doctrina, ſcholam Vitebergenſem & ferè Germaniam impleuerunt Maioriſmo, Synergia, Caluiniſmo? Non ergo miremur defectiones. Nec tamen propterea abijciamus ſtudia vel labores vocationis: ſeruabit enim Deus Eccleſiam: & obſignabit legem in diſcipulis noſtris: Nouit dominus qui ſui ſint. Et erit merces operi noſtro, etiamſi vnus & alter tantùm in agnitione veritatis perſiſteret.

Chriſtus (inquit) depictus eſt Galatis ante oculos, et inter ipſos crucifixus) Hoc eſt doctrina de paſſione & morte, de beneficijs & regno Chriſti, tam perſpicuè & luculenter tradita eſt Galatis, ac ſi Chriſtus inter Galatas crucifixus eſſet. Deplorandum eſt igitur eos non maiore conſtantia doctrinæ puritatem retinuiſſe.

Hoc

Hoc ſolum volo diſcere ex vobis: Ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu fidei? adeò ſtulti eſtis, vt cùm ſpiritu cæperitis, nunc carne conſummini? Tantane fruſtra paſſi eſtis? ſi tamen etiam fruſtra. Qui ergo ſuppeditat vobis ſpiritum, & operatur virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei (id præſtat?

QVARTVM ARGVMENTVM.

Ab effectu iuſtificationis & fidei, docet non ex operibus legis, ſed per fidem in Chriſtum, qui ex prædicatione Euangelij concipitur, iuſtificari hominem coram Deo.

Eodem modo iuſtificamur coram Deo, quo donationem ſpiritus ſancti & diuinas operationes impetramus. Nam ſpiritus ſancti donatio eſt effectus iuſtificationis: & beneficium ſemper coniunctum reconciliationi.

Vos Galatæ ſpiritum ſanctum non accepiſtis per legem: ſed per promiſſionem Euangelij, cui credidiſtis.

Ergo

Ergo iustitia coram Deo non venit ex lege, sed ex auditu fidei.

EVidens sanè est hoc Pauli argumentum. Spiritus sanctus non datur nisi iustificatis, & semper coniunctum est hoc beneficium sanctificationis cum iustificatione: neq; alio modo impetratur, quàm ipsa iustificatio. Iam verò Galatæ domestici testes erant, se ante Pauli prædicationem de fide in Christum non accepisse spiritus sancti donationem. Legem antea habuerant & didicerant: sed per eam non erant adepti spiritum: Cùm verò ex Pauli prædicatione spiritum acciperent, non legem docuerat Paulus, sed Euangelion de Iesu Christo & liberatione à lege. Propria ergo experientia testari poterant Galatæ, tantùm ex fide esse iustitiam, cum qua spiritus sancti donatio coniuncta est, et non ex lege. Paulus quidem hîc loquitur de visibili effusione spiritus sancti: quæ fuit singulare beneficium Ecclesiæ tempore apostolorum: Argumentum verò etiam de inuisibili donatione spiritus sancti, quæ toti Ecclesiæ omni tempore promissa est & à Deo præstatur, rectè intelligitur. Eodem enim medio, quo spiritum sanctum etiam nunc à Deo impetramus, & quo efficax est in nobis Deus, ad operandum virtutes varias etiam coram Deo iustificamur. Quòd si lex adferret spiritum sanctum,

ctum, tranquillam faceret conscientiam & viuificaret etiam iustificaret. Verùm hoc legi impossibile est, quin potiùs pauores incutit conscientiæ, operatur in nobis fugam & iram, quæ aliena fuit à spiritu Dei, & morti præstat ministeria. Non ergo iustificat lex coram Deo.

Auditum fidei intelligit ipsam fidem, ex promissione gratiæ conceptam: qua & imputatur nobis iustitia coram Deo, & promissio spiritus nobis applicatur: teste Paulo. Vt promissionem spiritus accipiamus per fidem. Gal. 3.

Etsi Paulus rectè argumentatur, ex ipsa viuificatione & sanctificatione iustitiam coram Deo non ex lege esse: non tamen confundit hæc distincta Christi beneficia iustificationem et sanctificationem, vt perperam faciunt Pontificij. Paulus ostendit hic vnum & idem esse medium, quo & iustificatio & sanctificatio nobis applicatur, videlicet fidem nitentem promissione gratiæ. Ipsa verò beneficia Christi, videlicet imputationem iustitiæ & donationem spiritus sancti, accuratè distinguit. Prius vocat gratiam: alterum, donum per gratiam. Pontificij scriptores non solùm inscite, sed & periculosè confundunt illa. Fingunt iustificationem et sanctificationem vnum & idem esse, & quidem hac fraude id faciunt, vt iu-

vt iustitiam coram Deo tribuant non imputationi, sed nouitati motuum.

Quòd homo gratis in gratiam recipitur, & iustus pronunciatur, id primam gratiam et priorem iustificationis partem appellant: quod deinde donatur spiritu sancto, viuificatur, & sanctis ornatur motibus, id secundum gratiam & alteram atq; potiorem iustificationis partem vocant: Ac deinde contendunt hominem iustum esse coram Deo præcipuè & formaliter propter nouos motus iustitiæ, in corde per spiritum sanctum accensos.

Hæc verò impia est doctrinæ Pauli corruptela, qua gloriæ Christi detrahitur, Euangelion in legem transformatur, & vera in Christum fiducia extinguitur. Effunditur quidem spiritus sanctus in credentes & reconciliatos, & accenduntur in eis noui motus congruentes iustitiæ: verùm propter hanc nouitatem ex sanctificatione manantem, nequaquam iusti sumus coram Deo. Est enim adhuc imperfecta, & cum magna infirmitate coniuncta: Et fides nostra tantùm merito & obedientia mediatoris Iesu Christi niti debet in iudicio Dei. Execremur ergo Pontificiam calumniam & corruptelam: & semper sit nobis in conspectu hoc illustre discrimen inter iustificationem & sanctificationem.

Iusti-

Iustificatione recipimur in gratiam, donamur remissione peccatorum, imputatur nobis iustitia mediatoris, & pronunciamur iusti & hæredes vitæ æternæ: Hæc perfecta est, cum fides est sincera. Christi enim meritum, quod est fundamentum nostræ reconciliationis, est perfectum & absolutum. Sanctificatione efficiuntur quidem in nobis per spiritum sanctum noui motus, congruentes iustitiæ: verùm hac ipsa sanctificatione non pronunciamur iusti: non possunt hi noui motus opponi iudicio Dei, sunt enim imperfecti: à claritate, inquit Paulus, in claritatem transformamur. Paulatim expurgatur carnis impuritas, & augentur dona spiritus. Quamdiu in hac carne viuimus, circumferimus labem originis, & caro concupiscit aduersus spiritum. Itaque in hac vita ipsa sanctificatione coram Deo iustificari non possumus. Sanctificatus Elias & Ioannes baptista & Maria mater domini. Verùm in hoc coram Deo iustificati non sunt: fiducia ipsorum nixa est gratia Dei & merito Iesu Christi. In regeneratione mortuorum completum & perfectum erit & hoc Christi beneficium. Tum enim immunes erimus ab omni peccato: & perfecta ornabimur iustitia.

Adeò

Adeò stulti estis vt cum spiritu cæperitis, carne consummemini?

EX argumento grauissimo de spiritus sancti donatione, occasionem sumit exaggerandi leuitatem & imprudentiam Galatarum. Spiritus adfert iustitiam, veram vitam cælestem, & lætitiam in Deo. Caro verò expers est vitæ & iustitiæ, & mortem generat. Magnæ ergo est stultitiæ, cùm cæperis spiritu; cùm dona spiritus gustaueris, cùm vitæ spiritualis per fidem particeps factus sis: carne velle consummari: hoc est, ex carne maiorem perfectionem expectare, quàm ex spiritu.

Spiritus significat nouam illam naturam ex spiritu sancto genitam, quæ noua luce, iustitia, vita & lætitia à Deo ornata est. Quod ex spiritu natum est, spiritus est. Quamdiu homo non est renatus per aquam & spiritum, caro est, & alienus à vita. Vbi verò regeneratur per spiritum sanctum, & accipit nouam lucem & vires, & transformatur à claritate in claritatem, tum est spiritus & spiritu ducitur.

Caro non significat inferiores tantùm hominis vires, aut libidines et corporis appetitus: sed complectitur totum hominem, corpus & animam, cum omnibus potentijs, ratione & voluntate, & omnibus motibus et actionibus cordis. Paulus hîc carnem vocat studium obseruandi legem Dei, ad consequendam iustitiam. Quia Galatæ seducti conabantur per circumcisionem & legis Mosaicæ obseruationem iustificari coram Deo, accusat eorum stultitiam, quòd voluerint consummari carne. Summum rationis opus est, obedientia erga legem Dei, quærere iustitiam coram Deo. Hoc cùm Paulus vocet carne consummari, manifestissimè patet, carnis vocabulo inscriptis Prophetis & apostolicis summas hominis vires significari.

Tantane passi estis frustra? Si tamen & frustra.

Imprudentiam illis obijcit, vt reuocet eos à defectione. Stultum est, magnas ærumnas, pericula & adflictiones sustinere in mundo, sine fructu & sine causa. Quòd si vos discediti à doctrina Euangelij, frustra sustinuistis omnia aduersa, quæ propter Euangelion nobis obtigerunt. Mercedem enim à Christo sperare non potestis, cùm ipsam doctrinam abijciatis. Et vestra defectione accusatis vos ipsos, quòd ærumnas sustinueritis, non propter veritatem, sed propter errores. Vos ipsos igitur omni fructu adflictionum priuatis.

Si tamen & frustra.) Id est. Si tamen quid

verè passi estis propter doctrinam : fortassis fides vestra non fuit sincera, fortassis aliqui vestrum fuerunt Epicuræi, vel hypocritæ, qui noluerunt subire ærumnas & pericula propter Euangelij doctrinam : Ac defectio à veritate tam subita non obscurè redarguit, quosdam sinceros in fide non fuisse. Est ergo hæc grauissima admonitio, & vt sinceri sint in fide, & ærumnas propter doctrinam non fugiant, & constanter in veritate persistant, vt vberem adflictionum fructum in vita futura percipiant. Etiam in hanc sententiam hæc particula accipi potest. *Si tamen et frustra)* non solùm sine omni fructu, sed etiam cum iactura passi estis, si à doctrina Euangelij deficitis. Ipsæ enim adflictiones redarguent vos in extremo iudicio, quòd veritatem amplexi fueritis & eam proieceritis.

Qui ergo suppeditat vobis spiritum, & operatur in vobis virtutes, ex operibus legis, an ex auditu fidei (id præstat)?

Repetitio est argumenti de donatione spiritus sancti. Negare non poterant Galatæ, se spiritum sanctum non ex lege, sed ex promissione Euangelij accepisse. Vbi autem spiritus est, ibi est &

est & iusticia & libertas. Proprio ergo testimonio conuicti erant : ex obseruatione legis non venire iusticiam coram Deo, sed per promissionem gratiæ, quæ fide apprehenditur. In hoc argumento docet nos apostolus, in controuersia de iusticia coram Deo, licere nobis prouocare ad vniuersæ Ecclesiæ & omnium sanctorum experientiam. Ac posse nos ipsos certos fieri de nostra doctrina domestica experientia. Non solùm omnes pij experiuntur, operibus legis, iusticia, temperantia, castitate, dilectione, eleemosynis, non tolli dolores conscientiæ, non effici pacem cum Deo, non accendi veram in Deo lætitiam : sed ipsi etiam hostes veritatis propria confessione hoc stabiliunt : Etiamsi omnia præstiterint, quæ lex præscribit, & à Romano Pontifice imponuntur, nunquam tamen firmam conscientiæ pacem ipsis operibus obtineri : nunquam eos de benigna Dei voluntate & vitæ æternæ hæreditate certos esse : sed semper ipsos manere in dubitatione. Nunquã ipsos accipere spiritum sanctum. Passim obuiæ sunt Pontificiorum confessiones, vt Andradij, Lindani, Soti, Tapperi. Ipsa igitur experientia & confessione totius mundi, tam impiorum quam piorum testatur, ex operibus legis non iustificari coram Deo vllam carnem. Si enim operæ legis iustificarent : etiam conscientiæ pacem &

certam spem vitæ æternæ, & læticiam in Deo et spiritum sanctum adferrent.

Contrà, omnes pij experiuntur se retrahi ex morte, se liberari ex faucibus Satanæ, se pacem acquirere cum Deo, se victores existere, paucorum, se perfundi lætitia cælesti, & donari se spiritu sancto, qui ipsos in omni adflictione erigit et corroborat. Quando fide apprehendunt promissionem Euangelij, & fiduciam omnem collocant in mediatorem Iesum Christum, ac statuunt se propter eum coram Deo iustos esse. Hiskia inquit: Domine sic viuitur, & in talibus vita spiritus mei: corripies me et viuificabis me. Iesa.38. Et Dauid inquit: Tabescit præ tristitia facies mea. Et paulò post: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Quoniam exaudiuit dominus vocem fletus mei. Psal. 6. Et Paulus inquit: Idem spiritus testimonium dat spiritui nostro, quòd simus filij Dei. Omnium ergo piorum experientia viuum dicit testimonium, doctrinam de iustitia fidei esse æternam Dei veritatem.

Quemadmodum Abraham credidit Deo & imputatum est illi ad iustitiam: cognoscitis igitur, quòd qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ.

Quin-

Quintum est hoc argumentum sumptum ab exemplo Abrahæ, quo probat iustificari hominem coram Deo, non ex obseruatione legis vel operibus, sed per fidem in Iesum Christum. hoc modo:

ARGVMENTVM QVINTVM.

Eo modo iustificantur omnes fideles coram Deo, quo iustificatus est Abraham pater multarum gentium.

Sed Abraham non est iustificatus per legem vel opera, sed fides ei imputatata est ad iustitiam.

Ergo non illi, qui ex lege sunt, sed hi qui sunt ex fide, sunt filij Abrahæ .i. iusti coram Deo, & hæredes promissionis Dei.

GRauissimè vrget apostolus Paulus hoc argumentum in hac controuersia, vt ad Rom. cap.4. videre licet. Est enim insigne & ponderosum. Potuisset Paulus exempla Noah, Moysis, Dauidis, Hiskiæ, & multorum sanctorum allegare: sed hoc inprimis delectatur, & quidem propter graues causas.

1. Ornatus fuit Abraham excellentissimis operibus & heroicis virtutibus: admirandum fuit in eo robur animi, quando trucidauit tot reges victores: ardentissima fulsit in eo στοργὴ, quando

propter fratrem Loth se tantis obiecit periculis: insignis fuit eius obedientia erga Deum, quando mactare conatus est filium vnicum et carissimum. Nullus Iudæorum tam profligatæ inuentus fuit impudentiæ, qui se virtute & sanctitate non dico anteponeret, sed compararet Abrahamo. 2. Erat Abraham origo et radix totius populi Israëlitici. 3. Expressa ad ipsum facta erat promissio, fore eum patrem non solùm Iudæorum, sed et multarũ gentium: non tantùm secundum carnem, verùm etiam spiritualem. Tanquam exemplum fidei proposuit cum Deus toti mundo, vt in ipso & ab ipso disceremus, quomodo iusticia apud Deum speranda esset. Propter has causas mauult Paulus Abrahæ exemplum in medium adferre, quàm aliorum sanctorum: licet hortetur nos tectè, vt omnium sanctorum exempla consideremus & expendamus. Sic autem colligit:

Cùm tantus heros, tot ornatus virtutibus, radix populi Iudaici, pater multarũ gentium à Deo constitutus, non sit iustificatus per opera vel obedientiam: scriptura enim disertè adfirmat, credidisse Abrahamum Deo, et hanc fidem imputatam esse illi ad iusticiam. Sequitur euidentissimè, non eos qui ex lege sunt, hoc est, qui ex operibus legis iusticiam coram Deo quærunt: sed qui sunt ex fide Iesu Christi, et insistunt vestigijs fidei Abrahæ, esse

esse verè Abrahæ filios, pronunciari iustos coram Deo, & adscribi hæredes vitæ æternæ.

Mirantur aliqui cur Paulus testimonium hoc scripturæ de fide Abrahæ adducat ad hanc causam de iustificatione hominis coram Deo: cum Moyses istic loquatur de corporalibus beneficijs, de sobolis multitudine. Sed verè & grauiter hîc responderi potest. Moyses disertè pronunciat fidem Abrahæ imputatam esse à Deo ad iusticiam. Cùm ergo Paulus hîc disputet de iusticia coram Deo, quid potuisset magis appositè citare? Deinde Deus in promissione, cui credidit Abraham, simul complexus est & corporalia et spiritualia: non solùm multitudinẽ sobolis, sed inprimis semen benedictum promisit Abrahæ Deus: atq; propter semen benedictum promisit & liberorũ multitudinẽ, et omnia bona corporalia. Ac in omni petitione bonorum corporaliũ cuiuscunq; sint generis, oportet semper prælucere fidem apprehendentẽ promissionem spiritualẽ, et accipientem remissionẽ peccatorum, imputationem iusticiæ et reconciliationẽ propter Christum. Imò vera fides petens bona corporalia existere in homine nullo modo potest, nisi ex fide, qua Deo per Christũ reconciliamur, veluti ex proprio fonte scaturiat. Nã fides quæ petit bona corporalia est fructus spiritus: spiritus sanctus non est nisi in iustificatis. Et nisi Deo reconciliati

sumus per Christum, non petimus à Deo bona. sed fugimus Deum, vt iratũ iudicem: Ergo qui in fide petit bona corporalia, in illo lucet fides accipiens remissionem peccatorum, & est iustificatus coram Deo. Dauid stans in acie petens à Deo victoriam: petit etiam remissionem peccatorum. Ioseph petens liberationem ex carcere, prius statuit se Deo reconciliatum esse per mediatorem. Rectissimè ergo citauit Paulus scripturæ testimonium in hac controuersia. Phrasis Mosaica diligenter hîc obseruanda est. Et imputatum est ei ad iustitiam. In Moyse est: Credidit Abraham Deo, & imputauit ei hanc fidem ad iustitiam. Hæc non sunt ita accipienda, ac si fides esset illa virtus, quæ legi satisfaceret, & propter quam Deus pronunciaret nos iustos coram se. Vt enim charitas, vel temperantia, vel iustitia in contractibus non iustificant, quia imperfectæ sunt: ita nec fides, quatenus est virtus, nos iustificat coram Deo: quia imperfecta est, & non satisfacit legi, quatenus est opus. Ideo autem scriptura dicit: fidem nobis imputari ad iustitiam, vt doceat nos, fidem esse medium, quo apprehendimus obedientiam Iesu Christi, propter quam iusti pronunciamur. Non dicit scriptura, fidem ipsam iustitiam, sed fidem imputari ad iustitiam. Alia igitur res est iustitia nostra, quàm fides. Ipsa etiam vox (imputauit) clarè significat non esse in nobis illam iustitiam hærentem: sed alterius, videlicet mediatoris Iesu Christi, obedientiam Dei decreto adscribi, vt propter eam iusti & vitæ æternæ hæredes simus. Osiandri secta, & Pontificij erroris patroni furenter impugnant spiritus sancti doctrinam de imputatione iustitiæ. Obijciunt cùm iudicium Dei sit secundum veritatem, non posse nobis tribui vel imputari iustitiam, quæ reuera non insit nobis. Verùm hæc calumnia facilè retunditur. Cùm Deus imputat nobis iustitiam, vel fidem ad iustitiam, non discedit à iudicij sui veritate, nec committit falsum. Obedientia enim Iesu Christi plena & perfecta est iustitia toti legi satisfaciens. Hanc iustitiam sui filij verissimam pro diuina sua sapientia & bonitate transfert in nos, perinde ac si nos impleuissemus legem. Nostra et totius mundi peccata transtulit in mediatorem, vt est in vaticinio: Posuit in eũ peccata omniũ nostrũm. Et Paulus: Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, i. Totius mundi peccata imputauit Deus filio suo, quem constituit victimam: vt nos fieremus iustitia Dei in ipso. hoc est, Vt Iesu Christi iustitia nobis coram Deo imputaretur, perinde ac si nos vniuersæ legis obedientiam præstitissemus. Horribilis blasphemia est Pontificiorum & Osiandri, quòd cauillantur per imputa-

tionem falsò tribui nobis iusticiam, quæ nulla sit. An sanctissima et omnibus numeris absolutissima iusticia Iesu Christi, qua nos vestimur & ornamur coram Deo, nulla dicenda est? Paulus ad Rom. 4. diligentissimè inculcat vocabulum (imputationis) ac decies repetit. Cardo enim controuersiæ in eo vertitur, quòd Christi iusticia nobis per fidem imputatur. Idq; scriptura multis in locis testatur. Rom. 10. Finis legis Christus est ad iusticiam omni credenti: id est, Christus legem impleuit, vt eius obedientia nobis credentibus ad iusticiam imputaretur. Rom. 8. Nam quod impossibile erat legi, eò quòd per carnem infirmabatur, hoc fecit Deus, mittens filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum, vt vis legis in nobis impleretur: hoc est, vt Christi & passio & obedientia nobis imputaretur, quasi nos legi satisfecissemus. Iesa. 53. Liuore ipsius sanati sumus. Hic fons est omnis consolationis: Ipsa imputatio conuincit nos, iusticiam, qua coram Deo iusti sumus, non esse in nobis. Deinde solatur nos, etsi in nobis multæ & magnæ sordes hæreant, tamen verè nos Deo placere & iustos esse. Deducit nos perpetuò ad perfectissimam Iesu Christi obedientiam, in qua licet nobis in conspectu Dei tutò acquiescere. Tueamur ergo hanc doctrinam vtraq;

vtraq; manu, & pro ea, tanquam arce nostræ salutis, pugnemus.

Qui sunt ex fide, hi sunt filij Abrahæ) hoc est, sunt verè iusti coram Deo, impleuerunt legem, placent Deo, & sunt promissionis hæredes: quia Christi obedientia ipsis imputatur. Paulo hic idem est, esse filium Abrahæ, & esse iustum coram Deo. Loquitur autem de filijs Abrahæ, non secundum carnem, sed secundum spiritum. Rom. 9. Neque quia sunt semen Abrahæ, ideo omnes sunt filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen: hoc est, Qui sunt filij carnis, hi non sunt statim filij Dei: sed filij promissionis hi reputabuntur in semen.

Præuidens scriptura, quòd ex fide iustificet Deus gentes, prænunciauit Abrahæ: benedicentur in te (inquiens) omnes gentes. Ergo qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.

Sextum est hoc argumentum ductum à natura correlatiuorum, & munitum testimonio sacræ scripturæ. hoc modo:

SEX-

SEXTVM ARGVMENTVM.

Deus in promißione facta Abrahæ omnibus gentibus obtulit benedictionem: hoc eſt, iuſtitiam & vitam æternam.

At promißio de benedictione non poteſt niſi fide accipi.

Ergo iuſtitia non venit ex operibus legis, ſed ex fide apprehendente promißionem.

VAlidißimum eſt hoc argumentum, & valde multa complectitur. Exponit Paulus, quo conſilio æternus pater Abrahæ dederit promißionem: non tantùm vt ſemini Abrahæ benefaceret, & regnum Iſraël conſtitueret: ſed vt per fidem in mediatorem colligeret, & ſanctificaret æternam Eccleſiam. Quia enim mundus per opera legis ſaluari non poterat: Deus ex immenſa bonitate conſtituit mediatorem ſemen benedictum: Vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Cùm ergo promißio Dei gratis offerat benedictionem: & promißio Dei fidem requirat: (Eſt enim Deus verax) manifeſtißimum eſt, fide ſaluari & iuſtificari homines non ex lege. Quòd ſi homines per opera benedici & iuſtificari potuiſſent; nulla fuiſſet opus promißione. At videns Deus omnes homines eſſe ſub maledicto, nec poſſe quenquam legi ſatisfacere, ex

re; ex immenſa bonitate promiſit, fore vt in Abrahamo, hoc eſt, in ſemine Abrahami Ieſu Chriſto, omnes gentes benedicerentur. Ergo prorſus nullum eſt meritum operum: ſed omnis ſalus noſtra debetur gratuitæ Dei bonitati. Cùm Deus verax ſit & fallere non poßit, promißioni eius fides adhibenda eſt. Qui non credit Deo, mendacem facit eum. quia ergo in promißione offertur benedictio .i. iuſtitia & vita, neceſſe eſt per fidem nos iuſtificari. Adhæc promiſit Deus in Abraham omnibus gentibus benedictionem. At gentes non habuerunt legem, multò minus opera legis præſtiterunt. Ergo benedictio, hoc eſt, iuſtitia et ſalus non venit ex legis obſeruatione; ſed per fidem in dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Iudæi negare non poterant, promißionem de ſemine benedicto non ſolùm ad populum Iſraël, ſed etiam ad omnes gentes pertinere. Lex verò non fuit vnquam impoſita omnibus gentibus. Euidentißimè ergo conſtat iuſtitiam venire abſque lege: alioquin gentibus benedictio & iuſtitia contingere non potuiſſent. Acta apoſtolorum teſtantur tam gentes quam Iudæos per prædicationem apoſtolorum receptos eſſe in gratiam, cooptatos in filios Dei, & donatos ſpiritu ſancto: quo argumento euincitur ex gratuita promißione per fidem iuſtificari homines coram Deo. Cùm Deus

dicit,

dicit, In te Abraham: Ipsum Messiam, qui ex semine Abrahæ nasciturus erat, intelligit, vt postea exposuit. Cùm in futuro promittit benedictionem: totum genus humanum arguit de peccato, & conuincit esse sub maledicto. Monet neminem esse, qui sit exors peccati, & qui legem Dei impleuerit. Benedictio non tantùm complectitur bona corporis, vt valetudinem, victum, vestes, pacem, opes, fœcunditatem agrorum, felicitatem in coniugio, defensionem, & id genus bona: sed inprimis significat spiritualia beneficia, liberationem à peccato, morte & potestate Satanæ: reconciliationem cum Deo, imputationem iusticiæ, donationem spiritus sancti, nouam lucem, pacem conscientiæ, lætiticiam in Deo, & hæreditatem vitæ æternæ. Hæc cœlestia & æterna bona promittit nobis Deus in semine Abrahæ, qui est Christus. Ostendit Deus Messiam nostro loco impleturum esse legem suam passione & obedientia, vt sublata omni maledictione, benedictio in nos transferri posset. Quia verò testatur Deus, fore vt omnes gentes benedicantur in semine Abrahæ: exæquat Iudæos & gentes, & docet omnes carere gloria Dei: Deinde cooptat gentes ad Ecclesiam, & ex Iudæis & gentibus vnum constituit ouile. Demonstrat etiam iusticiam contingere hominibus gratis absque omni merito: promis-

promissionem esse vniuersalem: & gratiam exuberare supra peccatum: neminem habere desperandi causam. In hoc Pauli argumento discendum est: Omnes Dei promissiones fidem requirere, & hoc demonstrare, quòd fide iustificemur. Rectè sic colligitur: Deus inquit: Viuo ego nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Et Christus inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Ergo fide iustificamur coram Deo, & non ex operibus legis. promissio enim sine fide irrita est.

Qui ex fide sunt benedicentur.) Hoc est, qui credunt in dominum nostrum Iesum Christum semen benedictum, hi sunt iusti & reconciliati Deo, sunt filij promissionis & hæredes vitæ æternæ. *Cum fideli Abraham)* quasi dicat: Quemadmodum Abraham ipse benedictionem, id est, iusticiam & hæreditatem vitæ æternæ adeptus est, non operibus, sed fide, qua amplexus est promissionem de venturo semine benedicto.

Quotquot enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non per-

permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius, vt faciat ea.

Septimum argumentum sumptum ab officio legis, & natura contrariorum, quo demonstrat iustitiam coram Deo non venire ex operibus legis.

ARGVMENTVM SEPTIMVM.

Quicunq; sub maledicto legis adhuc est: is non est adeptus benedictionem, id est, non est iustificatus coram Deo.

Sed omnes qui sunt ex operibus legis, sunt sub maledicto.

Ergo qui sunt ex operibus legis, non habent benedictionem, id est, non sunt iusti coram Deo.

ET hoc vnum est de præcipuis fundamentis huius causæ. Ostendit Paulus, tantum abesse, vt iustificari per legem possimus, vt nulla res nos magis accuset, terreat, abijciat, damnet & trucidet atq; lex. Quotquot ergo iustitiam & vitam in lege quærunt, eos necesse est ruere in desperationem. Causa est, quòd lex spiritualis est, & perfectam & omnibus numeris absolutam obedientiam flagitat. Diliges, inquit, dominum Deum tuum,

tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & proximum sicut teipsum. Annectit deinde durissimam appendicem: Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius, vt faciat ea. Hic iam si examinemus conscientias nostras, fateri nos oportet, nos procul abesse ab illa perfectione, quam lex requirit. Cor nostrum non ita flagrat incendio amoris Dei atq; debebat. Sæpe dubitamus de Deo, sæpe securitate aut fiducia nostri peccamus: sæpe impatientia labimur. Plus nos amamus quàm proximum: multi sunt vitiosi affectus in nobis, inuidia, ira, libido, dolor repulsæ, & in multis delinquimus omnes. Fert ergo lex sententiam in omnes: Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius, vt faciat ea. Nisi ergo aliunde subueniat nobis salus, & tantùm ad legem respiciamus, etiamsi sanctissimè viuamus, & summo studio & contentione animi omnia præstemus legis opera, quæ humana natura exprimere omni conatu potest: tamen manemus sub maledicto legis: quia integra & absoluta legis obedientia desiderabitur. Hic prorsus nulla patent effugia: legis sententia immota est: Lex Dei spiritualem flagitat iusticiam: conscientia nostra dicit contra nos testimonium, nos legi non satisfeciisse. Nihil

ergo restat aliud, quàm sub maledicto esse, quot. quot ex lege sunt. hoc est, in lege, & ex operibus legis iusticiam quærunt coram Deo.

Ex operibus legis esse. non significat Paulo naturæ viribus aut virtute liberi arbitrij opera legis præstare: sed quocunq; modo & ratione per legis opera iusticiam quærere coram Deo. Pharisæus Luc. 18. ex operibus legis est: quia operibus suis confidit coram Deo. Quòd si Petrus Apostolus conuersus & spiritu sancto donatus, quæsiuisset iusticiam coram Deo ex operibus charitatis: ex operibus legis fuisset. Paulo contraria sunt, ex operibus legis esse, & ex fide esse. Hoc est, ex fide & per fidem in Iesum Christum iusticiam & salutem sperare. Maledictum non solùm complectitur corporales pœnas & calamitates, quæ Leuit. 26 recensentur: sed inprimis significat hominem carere iusticia coram Deo, esse obnoxium iræ diuinæ, esse reum mortis, oppressum tyrannide Satanæ, & destinatum ad æternam damnationem. Itaq; nihil grauius contra iusticiarios dici posset, quam hoc loco à spiritu sancto decernitur. Verùm hoc argumentũ intelligi non potest, nisi ab ijs, qui aspiciunt spirituale legis iudicium. Pseudoapostoli haud dubiè vociferati sunt blasphemam esse sententiam: Eos qui ex operibus legis sunt, sub maledicto esse. Obiece-

runt haud dubiè: Deum obedientibus legi promisisse benedictionem Leuit. 26. Nisi ergo hi, qui sunt ex operibus legis, sint benedicti, non posse constare Dei veritatẽ. Pari errore & nostri Pontificij scriptores indignè ferũt, cum audiunt: Eos non esse iustos corã Deo, sed sub maledicto hærere, qui summo conatu operibus student, et legi satisfacere conantur sua obediẽtia. Ac prorsus impossibile est, vt Pontificij vel vlli iusticiarij, qui in operibus iusticiam collocant, hoc Pauli argumentum intelligant. Causa autẽ errandi et pseudoapostolis fuit, & adhuc monachis & Pontificijs est, ignoratio spiritualis iudicij in lege patefacti.

Toti legi neruos incidunt Pontificij erroris patroni, dum fingunt, non aliam in lege flagitari à nobis obedientiã, quàm qualem huius vitæ conditio fert: & cùm homo fecit, quantum in se fuit, tum eum legi satisfecisse. Ita legem diuinam, quæ spiritualis est, in philosophiam & politicam sapientiam transformant. Hic altum apud eos silentium est, de corruptione humanæ naturæ: Non discernunt inter iudicium Dei et hominum: non expendunt spirituale legis iudicium. Grauissima illa scripturæ dicta: Diliges dominũ Deum tuum ex toto corde et tota anima & totis viribus, et proximum sicut teipsum. Et: Non concupisces. ita eludunt: Illa præcepta non pertinere ad nos

in hac vita, nec obligare nos ad obedientiam: sed tantùm scopum nobis præfigere, ad quem in vita, quantum à nobis fieri potest, collimare debeamus: & docere ad quam perfectionem vocemur per mortuorum regenerationem. Huc deinde accommodant politicas quasdam sententias: Vltra posse viri non vult Deus vlla requiri. Secundum affectus nemo dicitur bonus vel malus. Lex manum comprimit non animum. Peccatum nihil est nisi sit voluntarium. Cogitationis pœnam nemo patitur, & quæ sunt similia, quæ vt suum locum habent in politia: ita ineptissimè & periculosissimè ad doctrinam de lege diuina transferuntur. Prorsus enim delent spirituale Dei iudicium de peccato iuxta legem. Huic enim errori debetur, quòd Pontificij audacter pronunciant: internos motus cordis, dubitationem de Deo, admirationem sui ipsius, impatientiam, securitatem, cupiditatem lucri, dolorem repulsæ, impuram cogitationem, libidinem, liuorem, concupiscentias, non esse vera peccata pugnantia contra legem & merentia damnationem. Ex hoc errore manat, quòd contendunt hominem posse implere legem Dei in hac vita: & proprijs operibus iustum esse coram Deo, & id genus infinita. Reuocandi ergo sunt Pontificij ad hoc Pauli argumentum, quod est fulmen contra tales errores. Quotquot ex operi-

operibus legis sunt, sub maledicto sunt: quia scriptum est: Maledictus omnis qui non permanet in omnibus. Omnes obnoxij sunt damnationi, quantumuis præstent opera legis, qui in lege iusticiam quærunt: Quia lex perfectam flagitat obedientiam & maledicit omnibus, qui vel in minimo delinquunt. Inscitiæ adscribi non potest, sed detestandæ impudentiæ & furori deplorato tribuendum est, quòd Pontificij aiunt, non pertinere ad conditionem huius vitæ præcepta: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde & tota anima, & proximum sicuti teipsum. An non Deus toti populo loquebatur? Audi Israël, Diliges dominum Deum tuum: & proximum sicut teipsum. An non hæc scripta sunt in libro legis, vt faciant ea. Quid verò Moyses? Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus. Ergo qui ista de perfecta dilectione Dei & proximi non præstant: legis sententia maledicti sunt. Paulus Rom. 7. dicit ad se pertinere legem: Non concupisces: & ex hac lege se didicisse, quòd concupiscentia sit peccatum coram Deo. An non Paulus dicit, totam legem esse spiritualem: hoc est, spiritualem flagitare obedientiam: & spirituale iudicium in ea patefieri. Animalis verò homo non percipit ea, quæ sunt spiritus: stultitia enim sunt ei, nec potest percipere: multò minus præstare potest.

Christus Matth. 5. exponens legem inquit: Omnis qui irascitur fratri suo temere obnoxius erit iudicio. Item: Si quis aspexerit mulierem ad concupiscendam eam, iam adulterium commisit cum ea in corde suo. Hæc sublimia filij Dei dicta demonstrant, totam Dei legem spiritualem esse: non tantùm externam qualemcunq; disciplinam: morum honestatem, & adfectuum moderationem à nobis flagitare: & contentam esse, quando fecimus quod in nobis fuit: sed internam, perfectam, spiritualem, & omnibus numeris absolutam obedientiam à nobis poscere: & velle vt omni peccati labe careamus. Quod nisi obtineat à nobis, maledictionis fulmen in nos vibrare. Politicæ sententiæ, quæ de magistratus iudicio loquuntur, seponendæ prorsus sunt, cùm de iudicio Dei aduersus peccatum agitur. Non est satisfactum Deo, quando homo fecit, quod in se fuit. Deus enim perfectissimam obedientiam iure suo flagitat, ad quam condiderat hominem. Ipsam etiam naturæ immundiciem, & peccatum originis accusat Deus iuxta legem. Hæc causa est cur omnes sub maledicto sint, quotquot ex operibus legis sunt. Quia lex spiritualis est: perfectam poscit obedientiam. Natura autem humana corrupta est adeò, vt nemo hominum sua obedientia legi satisfacere possit. Atq; ideo & pro-

promissione gratiæ & mediatore apud Deum nobis opus fuit.

Quòd verò in lege nemo iustificetur apud Deum manifestum est: quia iustus ex fide viuet. Lex autem non est ex fide: sed qui fecerit ea, viuet in eis.

Octauum argumentum, quo Paulus probat iustitiam coram Deo non venire ex operibus, sed ex fide. Sumptum à discrimine legis & Euangelij. hoc modo:

ARGVMENTVM OCTAVVM.

Lex & fides prorsus inter se differunt.

Iustitia autem coram Deo ex fide est, teste Habacuc.

Ergo non est ex lege.

INsigniter illustrat hoc argumentum totam hanc causam. Ostendit enim clarum discrimen inter legem & Euangelij promissionem. Lex non offert iusticiam, nisi cum conditione impletæ obedientiæ. iuxta dictum: Qui fecerit ea, viuet in eis. At fidei doctrina non concionatur de nostra obedientia: sed deducit nos ad Christum mediatorem,

rem, qui pro nostris peccatis est passus & mortuus, & nostro loco totam legem impleuit, in quo gratis offert credenti remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ, spiritum sanctum, & vitæ æternæ hæreditatem. Immensum ergo discrimen est. Lex nihil donat gratis, sed sub dura et impossibili conditione offert vitam. Euangelij promissio omnia gratis donat. Cùm ergo sacra scriptura testetur, hominem ex fide viuere coram Deo: hoc est, habere iusticiam, donari spiritu sancto, renouari, & constitui hæredem vitæ æternæ: quemadmodum Habacuc disertè testatur: Iustus fide sua viuet. hoc est, Homo per fidem seu fiduciam in mediatorem consequitur iusticiam & vitam apud Deum: Manifestum est ex operibus legis non venire iusticiam coram Deo. Hic omnino repetendus est locus insignis & perneccssarius de discrimine legis & Euangelij, quem supra in declaratione secundi argumenti delineauimus. Passim vrget hoc discrimen spiritus sanctus. Ioannes inquit: Lex per Moysen data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Paulus Rom. 10. Moyses scribit de iustitia, quæ ex lege est: qui fecerit ea, viuet in eis. Sed fidei iusticia sic dicit: Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Christus inquit Iohan. 5. Ne putetis quòd accusaturus sim vos apud patrem. Est qui vos accusat

usat Moyses. Semper ergo in conspectu nostro sit hoc clarum discrimen inter legem & Euangelion: opera & fidem: Moysen & Christum. Pugnantes doctrinæ non sunt. nam in Deo non sunt contradictoriæ voluntates: attamen diuersæ sunt toto genere. Lex enim perfectam flagitat obedientiam, & sub hac conditione offert vitam: Qui fecerit ea, viuet in eis. Quia verò nemo est, qui totam legem seruet, aut seruare possit: ne periret totum genus humanum, misit Deus filium suum in mundum, & propter hunc offert iusticiam gratis. Hæc Euangelij est promissio, quæ sine operum nostrorum conditione tantùm credenti offert remissionem peccatorum, iusticiam et salutem æternam. Pontificij hanc consequentiam Pauli non vident. Iustus fide sua viuet. Ergo in lege iustificatur homo coram Deo. Quin potius sic colligunt: Iustus fide sua viuet. Ergo in lege iustificatur homo coram Deo. Fingunt enim tum tribui vitam & iusticiam fidei, quando est formata dilectione. Fidem sine operibus vocant informem & mortuam. Et in articulo iustificationis fidem & opera tanquam chimæram coniungi volunt. Hoc verò stante figmento, corruit planè Pauli argumentatio. Si enim fides & dilectio simul iustificant: certè in lege & ex lege iustificabitur homo. Explodenda est igitur corruptela

scholasticorum Theologorum de fide formata dilectione: Et Pauli argumentationi insistendum est, in qua sic colligitur: Si ex fide est iustitia, ergo non ex lege, quia lex non est ex fide. Hic videmus fidem & opera quodammodo inter se opponi in articulo iustificationis. Non quòd fides & opera inter se pugnent: ne quis hic calumnias texat: summa enim concordia est inter fidem & opera, vt inter arborem & fructus, vt inter matrem & sobolem: Fides gignit opera: opera seruantur & reguntur per fidem: modò fides & opera doceantur & regantur secundum scripturam. Tum verò ex diametro pugnant inter se fides & opera, quando adstruitur: nos simul & fide & bonis operibus coram Deo iustificari. Fides enim prorsus gratuita Dei misericordia, & passione Christi nititur, & nulla agnoscit sua opera vel merita. Opera verò non respiciunt Christum, sed meritis fidunt. Hanc pugnantiam Paulus clarè monstrat. Rom. 11. Si ex gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia non erit gratia: si verò ex operibus, iam non erit gratia: alioquin opus non erit opus. Adeò iustificatio non potest simul & fidei & operibus tribui: sed aut fidei aut operibus est tribuenda. Quia lex, inquit Paulus, non est ex fide. Id est, Lex non concionatur de gratuita gratia & merito Christi, non offert remissionem peccatorum: sed opera vrget. Prorsus igitur inuertunt Pauli doctrinam, qui commentum de fide formata admirantur, & simul fidei & operibus iustitiam tribuunt: aut etiam operum necessariam præsentiam in ipso iustificationis actu poscunt. Fides enim sine & ante omnia opera iustificat hominem in filium DEI mediatorem credentem.

Ex lege, inquit Paulus, nemo iustificatur: hoc est: Per et propter opera legis nemo iustus est coram Deo. Iustus, id est, donatus remissione peccatorum, & reconciliatus Deo: fide sua: id est, fiducia sua in mediatorem, qui mortuus est propter peccata nostra: & resurrexit propter iustificationem nostram. Viuet: id est, erit iustus coram Deo, accipiet spiritum Sanctum, renouabitur, & erit hæres vitæ æternæ. Viuificatio hic significat totum Christi beneficium, iustificationem & sanctificationem, & regenerationem ad vitam æternam. Si hic quærat aliquis, quomodo lex non est ex fide: cùm lex ipsa præcipiat fidem in primo præcepto? Respondeo illi. Lex præcipit quidem fidem, sed in genere. Deo firmiter credendum esse. De Dei verbo non esse dubitandum. Verùm de hac propitia Dei voluntate, quòd propter filij sui mortem & obedientiam misereri

misererì velit: quòd gratis condonet peccata: quòd peccatores, remissa omni culpa et pœna æterna, recipiat in gratiam: quòd pronunciet nos iustos absq; operibus in Christo. hæc Euangelica, quæ propria sunt fidei, ignota sunt legi: Imò lex contrarium denunciat: Nisi quis totam præstiterit obedientiam, damnabitur. Cùm verò mediator nostro satisfaciat loco, cedit lex Christo, nec potest amplius ius suum exercere contra nos. Lex ergo non est ex fide: hoc est, non offert gratuitam peccatorum remissionem. Etsi igitur in genere aliqua est congruentia legis & fidei: tamen in hac specie, de qua hic agitur, prorsus differunt. Hoc proprium est fidei, quòd in Christo apprehendit gratuitam remissionem peccatorum. Proprium verò legis est, operum vrgere necessitatem. Si quis amplius obÿciat: Cùm Christus sit verus Deus, & lex doceat & ostendat totam diuinitatem, Deum patrem, filium, et spiritum sanctum: Certè lex etiam Christum docet & ostendit: & ex fide quodammodo erit. Huic eodem modo respondeo. Lex omnino nouit & ostendit Christi diuinitatem. Verba enim Christi sunt: Ego sum dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Aegypto, ex fornace ferrea, Quemadmodum Paulus 1. Corinth. 10. testatur. At lex non dicit, filium Dei adsumpsisse humanam carnem, constitutum esse media-

mediatorem & victimam pro peccato, propter ipsius passionem & mortem, remitti nobis peccata, imputari nobis iustiiciam, & constitui nos hæredes vitæ æternæ. Hæc propria est Euangelÿ concio, & fidei doctrina ignota legi. Congruentia legis & Euangelÿ est in genere, de agnitione veri Dei, qui est author legis & Euangelÿ. At diuersitas in specie consideranda est. Congruentia etiam in fine vtriusq; doctrinæ summa est. Et tamen, quæ sunt vtriq; doctrinæ propria, non sunt confundenda. Vnde si quis hoc modo opponat: Christus est finis legis ad iusticiam omni credenti. Fides nihil nisi Christum docet. Ergo lex ex fide est, quia Christum vrget. Sic respondendum est: Cùm Paulus dicit, Christum esse finem legis, non hoc vult, quòd lex Christi officia & beneficia doceat & offerat. Lex nihil dicit de passione & morte mediatoris: non dicit Christum persoluere λύτρον pro nobis: nos gratis propter Christi obedientiam constitui iustos coram Deo sola fide. Hæc tota consolatio contra peccatum & mortem ignota est legi. Hoc verò demonstrat Paulus, quòd Christus obediendo perfectè impleuit legem, & patiendo satisfecit legis iudicio: & quòd nos, qui in Christum credimus, in ipso habeamus omnia, quæ in lege flagitantur. Lex poscit pœnæ persolutionem exactissimam: flagitat &

tat & obedientiam perfectißimam. Hæc nusquam inueniuntur, niſi in domino noſtro Ieſu Chriſto, is eſt finis & impletio legis ad iuſticiam omni credenti. Opera non ſunt finis legis, quia ſunt imperfecta. Ita fine tandem conueniunt lex & fides. Lex enim flagitat perfectißimam iuſticiam: Hanc præſtat nobis fides in Chriſtum. Sed quomodo ea nobis offeratur in Chriſto, non docet lex. Vtraq; enim doctrina, & lex & Euangelion diſtinctas habent & proprias conciones. Paulò poſt in hoc capite dicit Paulus: Legem eſſe pædagogum in Chriſtum. Hinc ſi quis inferat: Ergo lex erit ex fide, quia fides nihil niſi Chriſtum docet. Reſpondendum eſt: Paulum in iſto dicto hoc velle, quòd lex deducat nos ad agnitionem peccatorum noſtrorum: oſtendat nobis vulnera noſtra: concludat nos ſub ira Dei: & pateſaciat nobis miſeriam & pericula noſtra: Atq; ita, neceſſitate noſtra nobis monſtrata, impellit nos ad quærendum mediatorem, excutit ſecuritatẽ, et incitat nos ad agendam pœnitentiam: quis autem ſit ille mediator & medicus, qui opem ferre poſſit & velit, quod eius ſit officium: quod precium pro nobis perſoluturus ſit: quomodo pater propter filium iram ſuam abÿcere, & nos in gratiam accipere velit, quòd Deus gratis remittere peccata, & vitam æternam largiri velit: hoc non

non tradit lex: ſed hæc eſt propria Euangelij concio. Is qui morbi magnitudinem monſtrat, cogit quidem ad quærendum medicum & pharmaca: ſed aliud eſt, morbum tantum indicare, aliud medicum adducere et pharmaca. Summa hæc eſt: in genere & fine vltimo conſentiunt Lex et Euangelion. At in ſpecie & medÿs, quibus ad finem tenditur, diſſident lex & Euangelion. Lex enim opera vrget & maledicit omnibus, qui carent perfectis operibus. At Euangelion Chriſtum monſtrat, in quo gratis offert remiſſionem peccatorum, & vitam credenti. Ita manifeſtum eſt, legem non eſſe ex fide. Explodendi ergo ſunt Antinomi, qui legem & Euangelion confundunt: contendunt Euangelion arguere peccata, vt potè incredulitatem. quòd ſi eſſet: lex eſſet ex fide. Sed error Antinomorum alibi refutatur.

Chriſtus nos redemit ex maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis, qui pendet in ligno. Vt gentibus benedictio Abrahæ contingeret in Chriſto Ieſu, vt promiſſionem ſpiritus accipiamus per fidem.

Nonum

Nonum argumentum ab officio Christi: atq; hoc præcipuum est in hac causa. Christi enim officia & beneficia: obedientia, passio, mors, et resurrectio sunt vnicum fundamentum iusticiæ & salutis nostræ.

ARGVMENTVM NONVM.

Redempti ex maledicto legis per Christum adepti sunt benedictionem Abrahæ. hoc est, sunt iusti coram Deo.

Sed nos, qui in Christum credimus, sumus redempti ex maledicto legis per Christum.

Ergo nos in Christum credentes adepti sumus benedictionem Abrahæ: hoc est, iusti sumus coram Deo.

NIhil sanè validius in hac causa adferri potest. *Amplissimum enim hoc munus Iesu Christi, qui factus est victima pro toto genere humano, toti mundo innotuit: nec potuit aliam habuisse causam, quàm vt per illud iustificaremur coram Deo: & æternam consequeremur salutem. Multa autem argumenta simul hic contexit Paulus.*

Quòd si iusticia esset ex lege, frustra Christus pro nobis factus esset maledictum. Non enim sustinuit maledictum propter sua peccata.

Sed im-

Sed impossibile est Christum frustra fuisse desertum & maledictum à Deo.

Ergo iustitia non est ex lege, sed per fidem in dominum nostrum Iesum Christum.

ALIVD. Quicunq; benedictionem Abrahæ nanciscuntur in Christo Iesu, hi non egent lege iustificante, sed sunt iusti coram Deo.

Sed gentes in Christum credentes nanciscuntur benedictionem Abrahæ in Christo Iesu.

Ergo gentes in Christum credentes non egent lege iustificante, sed per fidem sunt iusti coram Deo.

ALIVD. Qui promissionem spiritus acceperunt in Christo Iesu per fidem, non sunt amplius sub maledicto: nec indigent lege iustificante, sed sunt iusti.

Credentes in Christum acceperunt promissionem spiritus.

Ergo credentes in Christum non sunt amplius sub maledicto legis, nec indigent lege iustificante: sed sunt iusti, benedicti & beati coram Deo.

HAec fortissima argumenta hic quasi vno fasce colligauit Paulus. *Diligenter autem expendat pius lector, & pondera verborum, & re-*

rum amplitudinem. Christus, inquit, redemit nos ex maledicto, factus pro nobis maledictum. Vox maledictum significat, personam pollutam esse peccatis, & propter peccata displicere iudicio Dei, esse obnoxiam iræ diuinæ, premi legis maledictione, & ream esse pœnarum omnium, quas lex diuina sceleribus minatur. Est Deus spiritus iustissimus & sanctissimus, qui diligit iusticiam & obedientiam cum sua lege congruentem, eamq; multis & magnis beneficijs & vita æterna ornat. Horribili verò ira auersatur peccatum & inobedientiam à norma legis suæ discrepantem. Et naturam peccato pollutam non solùm remouet è suo conspectu, sed etiam grauissimis adsicit supplicijs, & destinat eam æternæ morti. Nec solùm homini irascitur Deus propter peccatum, sed etiam ijs, quæ hominum causa condita erant. Propter Adæ lapsum maledicit Deus agro, vt minus fœcundus sit. Cain fratricida maledictus fuit in terra: pulsus fuit à conspectu domini, vagus & profugus fuit in terra: reus fuit pœnarum omnium, quas Deus minatus est inobedientiæ: & tandem sensu iræ Dei fuit oppressus. Tragici exitus sceleratorum, vt Pharaonis, Saulis, Achitophelis, Achab, Iudæ, Neronis, et similium, aliquo modo ostendunt, quid sit maledictum esse à Deo. Deus enim ignis consumens

sumens est: & iram eius nulla creatura sustinere potest. Cùm ergo dicit apostolus, nos ex maledicto redemptos esse, docet nos, in quibus miseriis submersi fuerimus: nimirum, quòd omnes natura simus polluti peccato: displiceamus iudicio Dei: obnoxij simus iræ diuinæ, et rei omnium pœnarum, quas lex denunciat inobedientibus. Iure potuisset Deus iram suam horrendam in nos effundere, & nos in æternum abijcere exitium. Omnes enim errauimus tanquam oues, vnusquisq; in viam suam. Ex hac verò summa necessitate eripuit nos filius Dei mediator, sed ita vt persoluerit pro nobis redemptionis precium. hoc est, iusticiæ Dei & legis seueritati, subeundo pœnam, pro nobis satisfecit. Factus pro nobis maledictum. hoc est, Ipse in se recepit totius mundi culpam, & reum se constituit pro nobis, perinde ac si ipse se meis, tuis, & omnibus omnium hominum sceleribus contaminasset. Quòd Cain trucidauit fratrem. Quòd Ruben polluit se incesta consuetudine. Quòd Dauid commisit adulterium et cædem. Quòd Saul tam multũ innoxij sanguinis effudit. Quòd Manasses traduxit liberos per ignem. Quòd Petrus abnegauit Christum. Quòd Cyprianus magiam exercuit. In summa quòd singuli contaminauimus nos multis & magnis delictis: & quòd totum genus humanum horrendis

sceleribus lædit gloriam Dei. Hanc totam peccatorum mundi molem in suos humeros transfert filius Dei Christus: gestat eorum culpam in conspectu Dei. Vnde clamitat in Psal. 40. Comprehenderunt me iniquitates meæ, vt non potuerim videre: multiplicatæ sunt supra capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me. Cùm ergo Christus gestet peccata mundi, effundit Deus in ipsum totam iram suam, omnium hominum peccatis accensam. Deserit filium suum in summa necessitate, ita vt clamet in cruce: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti. obijcit eum furoribus Satanæ & mundi: onerat eum calamitatibus omnium atrocissimis: maledictionem legis totam deriuat in ipsum: & mergit eum in mortem probrosissimam. Hoc modo filius Dei Christus factus est in cruce maledictum pro nobis: hoc est, sustinuit totam Dei iram omnium hominum peccatis prouocatam, & fuit victima mactata pro genere humano ad placandam iram Dei. Vt hæc aliquo modo intelligi, & seriò cogitari possint, tota historia passionis Christi repetenda est: præsertim quòd sanguinem sudauit in horto, & in cruce animam in summis doloribus expirauit. Et tristes querelæ in Psal. 22. Ego autem vermis sum & non homo. Etsi autem has summas res & admiranda Dei consilia in huius vitæ

vitæ fragilitate nequaquam satis considerare & animo complecti possimus: tamen, quia hinc omnis nostra manat consolatio, & hoc vnicũ est nostrum refugium in conscientiæ tempestatibus, & ab æstu iræ diuinæ, nihil nobis in mundo gratius esse debet, quàm vt hoc Christi immensum beneficium: quòd pro nobis factus est maledictum, expendamus, & pro eo Deum in æternitatem ardentissimis pectoribus celebremus. Aspiciamus hic seueritatem iudicij & iusticiæ diuinæ, quæ non voluit remittere peccata, nisi facta compensatione, & persoluta pœna. Erant hæc immota & omni creaturæ insolubilia argumenta.

Iusticiæ Dei æterna & immota est regula, vt inobedientia hominis intelligentis & ad iusticiam conditi, morte puniatur.

Adam & totum genus humanum conditum ad imaginem Dei inobedientia peccauit.

Ergo æterna iusticiæ regula est, vt homo abijciatur & morte mulctetur.

ALTERVM ARGVMENTVM eiusdem est roboris.

Veritas Dei in omni æternitate constans & immota est.

At Deus minatus fuit Adæ, quacunq; die co-

mederet de arbore scientiæ boni & mali, quòd morte moreretur.

Ergo iuxta hoc æternum & immotum Dei decretum Adæ & toti generi humano moriendum fuisset.

HOrum argumentorum nulla solutio ab vllo angelorum inueniri poterat. Aeterna autem maiestas diuina pro infinita sua sapientia hoc inuenit consilium, quô & iusticiæ & veritati diuinæ satisfieret, & tamen generi humano via ad salutem aperiretur, hoc modo: Aeternus pater pœnam omnem, quam totum genus humanum debebat iusticiæ & veritati Dei, posuit in filium suum constitutum Messiam. Vt est in dicto Iesa. 53. Posuit in eum peccata omnium nostrûm: Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Filius obtemperat patri, fit victima & maledictum pro genere humano: persoluit omnem pœnam pro nobis: confirmat Dei veritatem & satisfacit eius iusticiæ: Atq; hoc sacrificio & precio redemptionis placat vniuersam iram Dei, impetrat gratiam & fauorem Dei, & toti generi humano patefacit viam ad æternam salutem. Hoc iam est munus amplissimum, propter quod filius Dei venit in mundum: non vt imperia mundi occuparet,

ret, bella gereret, leges conderet, prouincias partiretur, opes colligeret, gloriam in mundo aucuparetur: multò minus vt iudicium mundi aggrauaret, esset minister peccati, & exaggeraret damnationem nostri: Sed vt fieret victima pro genere humano, vt subiret legis maledictionem, vt iram patris placaret, vt suo sanguine redimeret nos ex legis maledicto: vt diuina sua potentia destrueret regnum peccati, frangeret vim mortis: deleret potentiam Satanæ & inferni: & impletione legis impetraret nobis iusticiam coram Deo, nouam lucem, & vitam in nobis efficeret, & hæredes vitæ æternæ constitueret. Quemadmodum luculentissima scripturæ dicta testantur. Matth. 20. Filius hominis non venit, vt ipsi ministretur, sed vt ministret, & det animam suam precium redemptionis pro multis. Et Ioh. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. 2. Corinth. 5. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iusticia Dei in ipso. Iohan. 3. Deus non misit filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt mundus per eum saluus fieret. Atq; ideo oportebat mediatorem nostrum simul Deum & hominem esse, vt non solùm deseri, maledici, & in mortem mergi posset, vt homo, sed etiam vt

precium eius esset æquiualens vniuersæ iustitiæ & veritati Dei, pro toto genere humano satisfaciens: vt vniuersam Dei iram omnium hominum peccatis accensam sustinere & vincere posset: Vt peccatum & mortem deleret, iusticiam et vitam restitueret: totius Ecclesiæ defensor & gubernator esset: totam Satanæ tyrannidem dissiparet, & spiritum sanctum & vitam æternam credentibus in ipsum largiretur. Quæ omnia considerandæ sunt, cùm dicitur: redempti per Christum ex maledicto legis: dum ipse pro nobis subijt maledictum. Quantus verò & quàm immensus fons efficacissimarum consolationum hic sit, contra omnes terrores conscientiæ, oneratæ sensu iræ Dei, considerantis peccati fœditatem, sentientis spicula mortis, & metuentis Satanæ immanem potentiam: Hoc nulla voce humana satis depingi aut commemorari potest. Hunc enim murum ahenum omnibus terroribus hostiũ obijcere tutò possumus. Quòd si sensus iræ Dei tuum occupauit animum, Deus ex alto misit ignem ardentem in ossa tua: metuis ne te absumat ira Dei, quam tuis prouocasti peccatis: mox opponas Dei iræ, Christum Iesum pro te factum esse maledictum, & te ex legis maledicto redemisse, ipsum pro te totam Dei iram sustinuisse & placasse. Non solum leuamen mox senties; verùm etiam

etiam, superato sensu iræ Dei, immensum lumen fauoris Dei erga te in Christo adspicies: siquidem pater æternus in tantum te dilexit, vt filium vnigenitum tibi dederit. Quòd si aspiciens peccatorum tuorum fœditatem & magnitudinem confernaris animo, & æternas metuis pœnas: habes in Christi beneficio consolationem, quòd pro te factus est maledictum. Nulla enim amplius vis peccato esse potest, cùm Christus hostia pro peccato damnauerit ipsum peccatum. Imò nulla tua sunt peccata, si fiducia tua in Christum recumbit. Dominus enim tua peccata transtulit in humeros Christi: hic verò demersit ea in profundum maris, imò proiecit illa post tergum Dei. Falsi igitur peccati imago est, quæ pauores tibi incutit. Quòd si lex fulminat & tonat in conscientia, maledicto nos premere conatur, pœnas & obedientiam poscit, certum hic habemus refugium. Christus nos redemit ex maledicto legis, pro nobis factus maledictum. per Christum legi satisfactum est. nihil plus iuris in nobis habet. Imò benedictio Abrahæ debetur nobis in Christo Iesu. In ipso etiam mortis agone contra Satanæ tyrannidem & totius inferni potentiam summum & firmissimum est præsidium. Quia enim Christus pro nobis maledictum est factus, mors omnem amisit efficaciam, destructa est Sa-

tanæ Tyrannis, & dissipatæ sunt portæ inferorum. In summa hoc Christi beneficium, quod pro nobis factus est maledictum, destruxit regnum Satanæ, peccati & mortis, & aperuit nobis viam in cœlum. Tibi ergo domine Iesu omnipotens Deus κέντρις καὶ μεσίτης ἡμῶν, ardenti pectore gratias ago, quantas in hac fragilitate huius vitæ præstare possum, pro immenso & ineffabili hoc tuo beneficio, quod maledictum pro me factus es, iram Dei meis accensam peccatis in te deriuasti, legi pro me satisfeci, me ex maledicto legis redemisti, & ex toto regno peccati eripuisti: benedictionem verò Abrahæ mihi impetrasti: Illumina & confirma me tuo spiritu sancti, vt firma fiducia tuæ promissioni adsentiar tuæ passionis semper memor vincam terrores conscientiæ, & tuæ mortis fructum vberrimum in fide percipiens, in omni æternitate tuas celebrem laudes. Amen.

In huiusmodi pœnitentiæ & fidei exercitijs conspicitur vsus saluberrimus istorum dictorum. Hieronymus, aut quisquis est author istorum commentariorum in epistolam ad Galatas, miratur Christum dici maledictum: & conatur horrendam vocem à Christo remouere, eò quòd fuerit innocentissimus. Sed quisquis ille fuit, non

non intellexit doctrinam de officio Christi. Verè Christus factus est maledictum: & Deus seriam & ardentem iram in ipsum effudit. Ac nisi id factum fuisset, omnes adhuc sub maledicto legis essemus. Fuit Christus innocentissimus quod ad personam suam attinet: sed quod ad officium, sustinuit totius mundi culpam. Et hæc summa nostra est consolatio: Ideoq; tueamur eam summis viribus.

Horribili contumelia adficiunt Iesum Christum mediatorem, quotquot suis operibus iram Dei placare: pro suis peccatis legi satisfacere, & vitam æternam mereri conantur. Aut enim Christum extremæ stulticiæ insimulant, quasi frustra subierit maledictum: aut de horribilibus peccatis ipsum accusant, vt qui proprijs delictis maledictum legis attraxerit. Caueant sibi ergo pij à tam immani scelere, quod Christum Iesum contumelia adsicit. Scriptum est enim: Maledictus omnis qui pendet in ligno.

Quærunt Sophistæ, cum Moyses in isto dicto locutus sit de latronibus iure adfectis supplicio, quid faciat ad mortem Christi innocentissimi, sed non attendunt, etsi Christus quo ad personam suam fuit innocentissimus: tamen quia peccata mundi in se recepit, maledicitur vt peccator à lege. Moyses loquitur in genere de omnibus qui

qui tali supplicio adficiuntur. Cùm ergo & Christum in tali supplicio & quidem propter mundi peccata deprehendat lex, maledictionis fulmen in ipsum torquet. Quia Christus in cruce oblatus est, hoc illustri dicto probare voluit, Christum verè subijsse maledictum: & legi per omnia satisfecisse. Potuisset Paulus etiam alijs vti scripturæ dictis. Vt, Maledictus qui conuiciatur patri & matri suæ: Maledictus qui clàm interficit hominem. Maledictus qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius, vt faciat ea. Ergo Christus maledictum est factus. Totius enim mundi peccata, & omnium hominum scelera in se recepit. Legis ergo maledictum declinare nullo modo potuit: Sed Paulus sententiam accommodatissimam adduxit: quia Christi in cruce pendentis imago semper ob oculos versatur Ecclesiæ. Et tota lex ad Christum pertinebat, qui est impletio legis. Paulus vniuersalem particulam rectè adiecit dicto Moysis: hæc enim fuit mens Spiritus sancti. Quòd Deus abominetur omnes, qui propter scelera publicis supplicijs adficiuntur. Et Christus propter peccata mundi hoc horrendo supplicio est adfectus. Qui in publicis supplicijs de sceleribus suis pœnitentiam agunt, recipiuntur in gratiam & donantur vita æterna, propterea quòd Christus pro nobis in cruce

cruce factus est maledictum, vt exemplum latronis conuersi ostendit. Particulam, à Deo, omisit Paulus: per se enim intelligitur, cùm Deus legis sit author. Dubium non fuit Christum ob has causas in cruce pati & λύτρον persoluere voluisse; vt mundo testatum faceret, se verè pro nobis à Deo fuisse maledictum, & se legi satisfecisse: tum vt in conspectu totius populi suam passionem & mortem, innocentiam, & obedientiam perfectam demonstraret: tum vt cœlum & terram, Deum & homines, hac sua oblatione rursus coniungeret.

Vt in gentes benedictio Abrahæ veniret in Christo Iesu.) Explicat Paulus quem fructum habeamus ex passione & morte Iesu Christi, nimirum benedictionem promissam Abrahæ. Idcirco Christus subijt maledictum, vt nos essemus benedictio. Non solùm lex nihil iuris in nos amplius habet, nec accusare, nec maledicere, nec damnare potest: Verùm etiam Deus offert amplissimam in Christo benedictionem, hoc est, iusticiam & salutem. Benedictio complectitur omnia beneficia regni Christi, remissionem peccatorum, liberationem à morte & potestate Satanæ, reconciliationem cum Deo, imputationem iusticiæ, renouationem, donationem Spiritus sancti,

ſancti, nouam vitam, pacem conſcientiæ, lætitiam in Deo, exauditionem, nutricationem, defenſionem, conſolationem, & hæreditatem vitæ æternæ. Abrahæ benedictio dicitur, eò quòd Abrahæ promiſſum fuit ſemen benedictum, quod allaturum erat benedictionem. Non ſolùm autem ad Iudæos & filios Abrahæ ſecundum carnem venit hæc benedictio, ſed et ad gentes. Quia Chriſtus pro totius mundi peccatis ſatisfecit, & in promiſſione dictum erat: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Vnde manifeſtiſſimum erat, ex lege non venire iuſticiam, quia gentes legem non habuerunt: dum autem credunt in Chriſtum Ieſum crucifixum & reſuſcitatum, adipiſcuntur in ipſo benedictionem & iuſticiam coram Deo.

Vt promiſſionem ſpiritus accipiamus per fidem.) Interpretatur proximam ſententiam. oſtendit quæ bona regni Chriſti vocabulo benedictionis comprehendantur: & quod ſit medium applicationis. Benedictio Abrahæ promiſſa, non tantùm de terrenis bonis, vt de multitudine ſobolis, felici ſucceſſu in vita, nutricatione, defenſione, regno, pace & ſimilibus loquitur: ſed in primis ſpiritualia offert bona, videlicet ipſum ſpiritum ſanctum, et omnia bona regni Chriſti ſpiritualis: quæ paulò ante commemorauimus. Dum enim ſpiritum ſanctum appellat, pacem conſcientiæ cum Deo, nouam lucem, vitam cæleſtem, lætitiam in Deo, & totum Chriſti regnum vult intelligi. Vbi enim eſt ſpiritus ſanctus, ibi eſt libertas: Hæc verò bona regni Chriſti, non legis operibus, quibus caruerunt gentes, ſed fide nobis applicamus: hîc Paulus annumerat ſe gentium Eccleſiæ: vt ſignificet Iudæos in regno Chriſti ſpirituali nullam præ gentibus habere prærogatiuam. Non eſt enim diſtinctio: omnes peccauerunt, & carent gloria Dei: Omnis verò qui inuocauerit nomen Dei ſaluus erit.

Fratres ſecundum hominem loquor: attamen hominis teſtamentum, poſtquam confirmatum eſt, nemo irritum facit aut addit aliquid. Abrahæ verò dictæ ſunt promiſſiones & ſemini eius. Non dicit, et ſeminibus, tanquam de multis; ſed tanquam de vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.

Decimum hoc eſt Pauli argumentum, quo probas

probat iusticiam coram Deo contingere nobis, non ex operibus legis, sed per fidem in Iesum Christum. ductum a comparatione maiorum. hoc modo:

ARGVMENTVM DECIMVM.

Nemo hominis testamentum semel confirmatum infringit, aut superaddit aliquid.

Promissio facta Abrahæ: In semine tuo benedicentur omnes gentes, est Dei testamentum, à Deo confirmatum.

Ergo multò minus id mutari, aut aliquid addi debet.

APertissima est hæc collatio. Apud omnes gentes testamenta religiosè coluntur. Et omnes fatentur summam esse iniquitatem, vltimam hominis voluntatem infringere aut negligere. Multò igitur maior religio nobis esse debet, in æterni Dei vltima voluntate aliquid mutare vel addere. Moses appellat fœdus seu pactum, quod pepigit Deus cum Abraham. Paulus hoc vocat testamentum Dei: quia eadem vis & consolatio nobis in vtraq; voce συνθηκης & διαθηκης nobis proponitur. Fœdus vocat spiritus sanctus, quod iniit Deus cum Abraham, vt testetur inimicitiam omnem sublatam esse, & per Christum nos

nos Deo reconciliatos & in filios adoptatos esse. Paulus verò in spiritu hoc ipsum vocat testamentum Dei, propter has insignes causas. 1. Quia est vltima Dei voluntas, quam in omni æternitate non est mutaturus. 2. Quia stabilitur hoc pactum Dei morte vnigeniti filij Dei Iesu Christi. 3. Vt per testamenta distribui solet liberis & nepotibus parentum hæreditas: sic filius in hoc suo testamento nouo & spirituali legat & distribuit nobis cœlum cum omnibus bonis regni sui. Amplissima adeò consolatio nobis monstratur in voce testamenti. Variæ & difficiles tentationes exercent sæpe piorum animos, num verè hæc sit Dei voluntas, quòd velit nobis remittere peccata, nos recipere in gratiam, & hæredes vitæ æternæ constituere. Terrent nos peccata nostra: & turbat nos rationis iudicium, quod aliud statuere non potest, quàm Deum irasci sceleribus, & mortem minari. Lex subinde fulminat & tonat, nos esse maledictos à Deo propter immundiciem. Conscientiæ testimonio conuincimur, nos mortem æternam esse meritos: Omnis generis calamitates primo aspectu nihil aliud loquuntur, quàm Deum nobis irasci, et hos iræ suæ misisse nuncios. Quod si sensus iræ Dei simul cor occupet, tum vere in summas angustias redigitur homo, & parum abest, quin veluti cera in fornace colliquescat. His

igitur tristissimis tentationibus opponenda est hæc efficacissima consolatio: Promissionem Abrahæ factam, esse testamentum, hoc est vltimam Dei voluntatẽ, quæ morte vnigeniti filij Dei Iesu Christi roborata, quam pater æternus in omni æternitate non est mutaturus: qualiacunq; sunt mundi scelera, tamen seruabit Deus in Christo semel cõfirmatum testamentum, in quo credentibus legat remissionem peccatorum, iusticiã & vitam æternam. Qui verò proprijs operibus et virtutibus coram Deo se iustificare conantur, hi extremam impietatem erga Deum committunt: siquidem Dei testamentum morte filij Dei roboratum impudenter infringunt.

Abrahæ dictæ sunt promissiones: Tu eris benedictio: Et benedicã benedicentibus tibi: hoc est propitius ero, remittam eis peccata, recipiam eos in gratiam, & iustos pronunciabo, qui tibi benedixerint, id est, qui vestigia fidei tuæ secuti fuerint, & qui tuam religionem fuerint amplexi, et in semen tibi promissum crediderint. Maledicam maledicentibus tibi: ideſt, hostis ero omnium hostium tuorum, & abijciam omnes, qui tuam religionem improbauerint. Et ero Deus tuus et Deus seminis tui: id est, iustificabo & saluabo te & semen tuum. Hæ amplissimæ promissiones de regno Messiæ dictæ sunt Abrahamo.

Non

Non dicit in seminibus tanquam de multis) Singularem numerum vrget apostolus, vt ostendat solum Christum esse mediatorem, qui adferat benedictionem. Quòd si singuli Iudæi operibus legis acquirere potuissent iusticiam & benedictionem, nec promissione opus fuisset, nec Christo mediatore. Obseruandum est, quòd spiritus sanctus promissionem Abrahæ factam disertè hic exponit, & testatur Iesum Christum esse semen Abrahæ benedictum.

Hoc autem dico, testamentum confirmatum à Deo in Christum, Lex quæ quadringentis & triginta annis post cæpit, non facit irritum, vt aboleat promissionem.

AMplificatio est proximi argumenti à tempore promulgatæ legis. Promissio Abrahæ facta de semine benedicto longè ante legẽ iureiurando confirmata fuit Abrahæ, tanquã testamentum Dei: Ergo lex, quæ 430. annis post promissionẽ est promulgata in monte Sinai, non debet eã abolere. Firmitatem promissionis vrget Paulus. Nam in hac tota nostra continetur salus: ac docet, non hoc consilio legẽ à Deo latam esse in monte Sinai, quòd

discesserit Deus à sua sententia, quam in promissione patefecit. Iureiurando enim confirmauit Deus Abrahæ promissionem. Nec Deus tantæ leuitatis accusandus est, quasi semel confirmatum testamentum, quo mundo obtulit salutem, retractarit. Et ipsa eductio populi Israel ex Aegypto, & constitutio politiæ Mosaicæ euidentissimum erat testimonium, Deum seruare Abrahæ promissionem. Quòd si verò ex lege veniret iusticia, & Deus hoc consilio legem promulgasset, vt per eam iustificaremur; prorsus mutasset Deus suum testamentum, & discessisset à sententia promissionis. Ex lege igitur non est petenda iusticia. Nemo negare potest & Abrahamum, Isaac, Iacobum, Iudam, Ioseph, Ephraim, Leui, Amram, & multos homines, cùm posteros Abrahæ, tum eius vernaculos, iusticiam & vitam adeptos esse. Non enim inanis fuit promissio: sed totis 430. annis à promissione data, vsq; ad exitum populi ex Aegypto, non fuit lex promulgata: manifestum ergo est, non ex lege iustificari homines, sed per fidem in promissionem. Potuisset Paulus promissionem, in Paradiso 2000. annorum ante legem patefactam, citare; Semen mulieris conteret caput tuum, & tu mordebis ei calcaneum: Nam & hæc promissio testatur, non ex operibus legis, sed per fidem in dominum nostrum Iesum Chri-

stum semen mulieris iustificari homines coram Deo: sed quia controuersia erat Paulo cum Iudæis, qui in Abraham respiciebant, & promissionem ei factam infitiari non poterant: erat hoc conuenientius. Discrimen magnum hîc monstrat Paulus inter legem & promissionem Euangelij: siquidem 430. annis post promissionem lex promulgata est in monte Sinai. Pondera verborum Pauli expendenda sunt: Is qui ex lege & operibus conatur iustificari coram Deo, infringit testamentum Dei, & abolet promissionem: hoc est, accusat Deum mendacij & periurij. Etsi enim Deus iureiurando testamentum hoc confirmauit: tamen Idolatria suis confidens operibus, non habet Deo fidem.

Si enim ex lege est hæreditas, non iam ex promissione: Abrahæ verò per promissionem donauit Deus.

CONsequentiam ostendit, cur necesse sit aboleri promissionem, si statuatur iustificari homines ex operibus legis: videlicet, quia lex & promissio prorsus in hoc differant: nec possit simul salus venire ex promissione, & ex lege: siquidem promissio gratis offert iusticiam & salutem absq; omni merito per fidem in Iesum Chri-

ſtum. Lex verò nemini largitur iuſticiam vel vitam gratis: ſed ſumma ſeueritate poſcit ab omnibus perfectiſſimam obedientiam. Hoc diſcrimine conſiderato obſcurum non eſt: Quòd ſi ex lege eſſet hæreditas vel iuſticia, iam non eſſet ex promiſſione. Quòd ſi Deus pro operibus & merito largitur vitam æternam & omnia bona, iam non ex mera gratia & ſine omni opere & merito iſta offert. Promiſſio autem nihil aliud in ſe continet, quàm quòd pater æternus nullo habito reſpectu operum, vel dignitatis vel meriti noſtri gratis propter ſemen benedictum, quod eſt Chriſtus, donare velit iuſticiam & vitæ hæreditatem. Hæreditas enim hoc loco, quemadmodum & ſuprà benedictio, complectitur omnia beneficia regni, remiſſionem peccatorum, imputationem iuſticiæ, liberationem à morte, donationem ſpiritus ſancti, nouam vitam, conſolationem, & æternam beatitudinem: quemadmodum & Rom. 4. Non enim per legem facta eſt Abrahæ promiſſio, aut ſemini eius, vt eſſet hæres mundi. Huiuſmodi vocibus, quæ cœlum & terram complectuntur, totum Chriſti regnum cum omnibus bonis comprehendunt Prophetæ & Apoſtoli: vt ſunt Iuſticia, vita, ſalus, gloria, benedictio, hæreditas, iuſtificatio, viuificatio, liberatio, redemptio, ſpiritus, & quæ ſunt ſimilia. Accuratè autem attenden-

tendum eſt, vbi de toto Chriſti beneficio loquuntur: vbi verò in ſpecie de reconciliatione cum Deo agunt: & inter gratiam & donum per gratiam diſtinguunt.

Per promiſſionem donauit) Donationis voce Paulus illuſtrauit proprietatem & differentiam promiſſionis. Lex non donat hæreditatem gratis: ſed ex debito veluti mercedem offert hæreditatem propter obedientiam. Qui fecerit ea, viuet in eis. Abrahæ verò contigit mundi hæreditas per donationem ex promiſſione. Hæreditas ergo, id eſt, iuſticia & vita æterna non contingit vlli homini ex lege vel operibus, ſed tantùm gratis ex mera Dei miſericordia & donatione propter obedientiam Chriſti per fidem.

Hactenus Paulus decem validiſſimis argumentis, quæ continent fundamentum vniuerſæ religionis Chriſtianæ, comprobauit & muniuit ſuam propoſitionem, ac demonſtrauit euidentiſſimè, homines non iuſtificari coram Deo ex operibus legis; aut propria dignitate: ſed gratis ex Dei miſericordia & bonitate propter paſſionem & mortem Ieſu Chriſti per fidem.

Sequitur nunc tertia pars huius Epiſtolæ.

III.

TERTIA PARS HVIVS EPISTOLÆ.

Doctrina de vsu legis diuinæ & de liberatione à lege.

Quid igitur Lex? propter transgressiones adiuncta est, donec veniret Semen, cui promissum est, ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem vnius non est: Deus autem vnus est.

Postquam doctrina hæc apostolica euidentissimis scripturæ testimonijs & argumentis ita demonstrata est, vt prorsus nihil contrà adferri possit, statim in omnium pectoribus oritur hæc grauissima quæstio: In quem igitur vsum lex tanta pompa lata est? quo consilio obligauit Deus lege sua totum populum? Absurdissimum sanè esset cogitare: Legis tanta maiestate et tanto strepitu ab ipso Deo lata nullum planè vsum esse. Ad hanc

Ad hanc ergo quæstionem spontè in omnium animis nascentem, respondet Paulus & exponit, quo consilio Deus legem suam promulgauerit, cùm iactuerit apud homines absque lege per gratuitam promissionem iustificare & saluare. Hic verò attendendum nobis est doctrinæ spiritus sancti, qui de cælo patefecit: quo consilio Deus legem suam in monte Sinai dederit: & quidnam ea in nobis efficere debeat. Legum ciuilium in omnibus regnis et politijs alius vsus non est, quàm vt reddant homines modestiores; iustos & obedientes, & discrimen faciant inter rebelles & obtemperantes. Et quò leges populorum sapientiores sunt, hoc reddunt ciues magis iustos. Ab hoc exemplo legum politicarum ratiocinatur mens humana eodem consilio et Deum sublimem suam patefecisse legem: Vt homines redderet iustos, & vitam & omnia bona conferret obedientibus: pœnam verò denunciaret contumacibus. Verùm hic turpiter hallucinatur ratio: Longè alius est vsus legis diuinæ, quàm humanarum: quemadmodum & multò sublimius est legis diuinæ iudicium, quàm ciuilium. Paulus inquit: *Lex propter transgressiones lata est.* Nihil posset absurdum magis dici coram ratione. Illa enim nihil nisi sapientiam, iusticiam & vitam in lege quærit. Verùm hæc est spiritus sancti do-

ctli doctrina. Et causæ sunt manifestæ. Quia iudicium Dei est spirituale, spiritualem flagitat obedientiam. Hominum verò natura tota peccato corrupta, & in tantum tenebris oppressa est, vt ne quidem intelligat suas sordes, nec videat Dei iram, nec cogitet de sua miseria. Homo ignarus legis diuinæ secure contemnit Dei iudicium, nrn agnoscit suam immundiciem, per quam det sibi se sanum & iustum esse, non sentit seegere medico & mediatore. Quòd si ærumnis prematur, & diuinitus pœnis adficiatur, irascitur Deo, tanquam sine causa adfligenti innocentem. Summa igitur postulauit necessitas, vt homo de suis peccatis admoneretur, naturæ corruptio illi monstraretur, & iudicium Dei, mortem æternam denuncians, illi ob oculos poneretur: vt agnita culpa, & metu iræ diuinæ perculsus, serio cogitaret de reconciliatione cum Deo & vulnerum suorum sanatione. Hoc ergo consilio & fine Deus legem suam promulgauit, non vt per eam iustificaret homines: Sciebat enim hoc frustra tentari, cùm omnes inutiles facti sint: sed propter transgressiones, vt monstraret homini naturæ immundiciem, argueret peccata, reuelaret iram Dei aduersus peccata, patefaceret spirituale Dei iudicium, incuteret conscientiæ terrores, & extremam hominis miseriam & damnationis

tionis periculum ob oculos poneret: de hoc legis fine passim concionatur spiritus sanctus. Rom. 3. Per legem enim agnitio peccati. Rom. 4. Nam lex iram operatur. Rom. 5. Lex subintrauit, vt abundaret delictum. Rom. 7. Peccatum ignorabam nisi per legem: concupiscentiam enim nescieham, nisi lex dixisset: non concupisces. Item: Vt fieret supra modum peccans peccatum per mandatum. 1. Corin. 15. Aculeus mortis peccatum est: virtus peccati lex est. 2 Corint. 3. Litera occidit: spiritus viuificat. Item: Si ministerium damnationis habet gloriã: multò magis abundabit ministerium iusticiæ in gloria. Et in veteri testamento. Psal. 29. Vox domini incidens vt flamma ignis. Hieremiæ 23. An non verbum meum sicut ignis, dicit dominus: & sicut malleus petram dissipans. In his dictis expositis spiritus sanctus, quo fine legem suam per Moysen promulgauerit: nimirum vt tenebras mentis humanæ, velut igne illustraret: superbiam humani cordis deijceret, & duriciem eius frangeret quô metuere inciperet iudiciũ Dei aduersus peccatũ. Idq; ipsa historia promulgatæ legis clarè ostendit: cùm ipse Deus propria voce in monte Sinai legis verba sonaret & totum mundũ alloqueretur: fulgura conspicerẽtur, tonitrua audirẽtur, sonus buccinæ subinde crescerẽt, et totus contremisceret et arderet mons, horribili

pauore

pauore consternatus populus fugit à conspectu Dei, & in magna trepidatione petijt, ne dominus amplius loqueretur ipsis, ne morerentur: sed Moyses mandata Dei ad ipsos perferret. Hæc totius populi trepidatio & fuga, & mortis metus docet hoc fine legem à Deo promulgatam esse, vt ipsos de peccato argueret, immundiciem naturæ, quæ fugit Dei conspectum, ipsis patefaceret, iudicij sui aduersus peccatum seueritatem demonstraret: atq; ita doceret egere eos mediatore, qui iram Dei placaret, salutem ipsis impetraret, & vires amissas restitueret. Quòd si integra fuisset populi natura, & innocentia omnium perfecta, non horruissent Dei præsentiam, nec legis vocem: sed summam inde percepissent voluptatem, lætati fuissent Dei sapientissimo iudicio, & præmia iusticiæ expectassent. Quia verò fugiunt Deum, & præsentiam eius ferre nequeunt, in eo produnt suam immundiciem, fatentur se carere iustitia, & seipsos reos faciunt. Rectè in Ecclesia traditur triplex legis vsus. 1. Spiritualis. 2. didacticus. 3. politicus.

Spiritualis est, de quo iam diximus, videlicet, Vt patefaciat iudicium Dei aduersus peccatum, ostendat hominibus ipsorum immundiciem, arguat peccata, denunciet iram Dei, incutiat conscientiæ terrores, & sit damnationis ministerium. Sine

Sine lege enim homo non agit pœnitentiam, ne intelligit quidem, quid sit peccatum in conspectu Dei: tantum abest, vt metuat Dei iram peccatis accensam. Atq; hic primus & præcipuus est finis legis: vt viam sternat Christo. Hunc finem illustrat hic Paulus multis sententijs.

Secundus est didacticus. nimirum vt doceat Ecclesiam de voluntate Dei, quæ obedientia ipsi placeat: & quæ officia à nobis flagitet. Nisi expresso Dei verbo munita sit nostra conscientia, semper hæret in dubio: nec potest quidquam certò statuere. Neq; semper videt ratio, quid iustum, quid rectum, quid Deo placens & legi conueniens sit. Sæpe per errorem idolatria sese contaminat, dum putat se Deum insigni honore adficere: sæpe atrocia facinora tanquam virtutem admiratur: Et multis modis errat mens humana in negocijs arduis: quia adfectibus plurimum ducitur, nisi expresso regatur Dei verbo. Idcirco Deus inquit: Ezech. 20. In præceptis meis ambulate, non in præceptis patrum vestrorum. Exodi 24. dabo tibi legem & præcepta quæ scripsi, vt eos dirigant. Psal. 119. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Item in corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.

Tertius est politicus, videlicet abstterrere homines à sceleribus, externa disciplina coërcere contu-

contumaces, & pœnarum metu continere homines in officio, ne improbitate vitæ pax publica turbetur. De hoc fine Paulus loquitur. 1. Timoth. 1. Lex eſt iniuſtis poſita. Et Rom. 13. Magiſtratus non fruſtra gerit gladium: Dei enim miniſter eſt & vindex ad iram erga eum, qui malum operatur. Hæc rectè traduntur, & in ſacris literis fundamenta habent. Hoc autem in loco Paulus præcipuum legis vſum, qui eſt ſpiritualis, exponit. Plurimum enim intereſt, vt ſciamus in hunc finem latam eſſe legem à Deo: vt nobis reuelet peccatum & nos damnet. Ad ſeriam enim pœnitentiam, vt ſeueram Dei iram ex animo metuamus, & æternæ damnationis periculum intelligamus, peruenire non poſſumus, niſi lex Dei iudicium patefaciat, et denunciatione iræ diuinæ, tanquam fulmine, animi faſtum deijciat. Neque ampliſſima et æterna Chriſti mediatoris beneficia ab eo vel agnoſcuntur vel expetuntur, qui legis diuinæ officium ignorat. Vnde Chriſtus inquit: Rectè valentibus non eſt opus medico. Matth. 9. quaſi dicat: Dum Phariſæi legis ignorant doctrinam, & ſibi perſuadent ſe rectè valere, non expetunt mediatorem. Atq; hinc eſt, quòd magna hominum pars contemnit et odit Euangelij doctrinam. Gentes, Iudæi, Tyranni, hypocritæ, Sectarij, Monachi, Sapientes huius mundi, partim ſuperbè adſpernantur

nantur Euangelij doctrinam, partim furenter eam perſequuntur & delere conantur. In ipſis enim dormit peccatum, & lex officium ſuũ in ipſis non exercuit, Ideoq; nec conſcientiæ ſentiunt terrores, nec æternam damnationẽ metuunt. Quando verò euigilat in ipſis peccatum, tum ſenſu iræ Dei opprimuntur. At contritæ & malleo legis confractæ conſcientiæ: quæ et peccati ſui turpitudinem cum ingenti dolore aſpicit, & ob intolerabilem iræ diuinæ ſenſum gemit ad Deum: Ne in furore tuo arguas me domine: neq; in ira tua corripias me. Tanquam Leo contriuit omnia oſſa mea: non eſt pax oſſibus meis neq; ſanitas in carne mea. O me miſerũ! vtinam nunquam natus eſſem, vt non tam graui ſcelere Deum offendiſſem. Nihil in mundo eſt gratius vel ſuauius, quàm promiſſio Euangelij de gratuita peccatorũ remiſſione, de ....pletione legis per Chriſtum, de propitia Dei voluntate, de ſemine mulieris conterente caput ſerpentis: Et de donatione vitæ æternæ propter mediatorẽ. Conſcientia verè expaueſcẽs Dei iram in lege reuelatam, vnicam Euangelij promiſſionẽ, qualis eſt: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati eſtis, ego reficiam vos: cum totius mundi opibus nõ commutaret. Adeò lex præparat viam Chriſto, et in conſcientia excitat ardẽs deſideriũ beneficiorũ Chriſti. Hinc iam perſpicuè intelligi po-

poteſt: quomodo lex propter tranſgreſſiones lata ſit: & quòd legis ſit ſummus & neceſſarius vſus, etiamſi non iuſtificet. Explodendi ſunt ergo Pontificij, qui contendunt, leges illas ſublimes: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicuti teipſum. Et: Non concupiſces: non pertinere ad conditionem huius vitæ: Cum hæ ipſæ leges maximè ad nos pertineant: vt doceant diffidentiam, ſecuritatem, dubitationem de Deo, impatientiam, liuorem, cupiditatem, & ſimiles adfectus, eſſe grauia peccata coram Deo, contra legem pugnantia, & digna morte æterna. Antinomorum quoq; inſania deteſtanda eſt, qui legem ex Eccleſia, remoueri volunt, & contendunt peccatorum agnitionem ex violatione filij petendam eſſe. Cùm ipſa filij Dei violatio in primo & quinto præceptis & tota lege grauiſſimè taxetur. Paulus omnino vult legem in Eccleſia retineri & tradi, vt omnis generis tranſgreſſiones agnoſcantur, & via præparetur Chriſto.

Donec veniret ſemen, cui promiſſum eſt.) Quòd ſi tantùm legis doctrina ſonaret in Eccleſia, & perpetuò ea vrgeretur in conſcientia: neceſſe eſſet omnes mergi in deſperationem: Lex enim iram operatur. Et niſi homo ſubleuetur conſolatione, abſorbetur conſcientiæ cruciatibus. Non autem hoc fuit Dei conſilium in legis patefactione, vt genus humanum veluti fulmine ad inferos detruderet, ſed vt deductos ad conſcientiam peccatorum per filium mediatorem viuificaret. Lex ergo non diutius officium ſuum exercere debet, quàm donec veniat ſemen, cui promiſſio eſt facta: hoc eſt, donec Chriſtus mediator conſtitutus ſuo aduentu exhilaret conſcientiam, ſua communicando beneficia. Chriſtus enim apprehenſus in promiſſione, conſolatur nos, ſe perſoluiſſe pro nobis λυτρον, ſe impleuiſſe legem ſua obedientia, & omnem abſtuliſſe maledictionem: nihil ergo vel virium vel iuris in nos habet lex, dum Chriſtus per fidem in corde noſtro habitat. Aduentus hic Chriſti duplex eſt. Vnus corporalis: quòd carne noſtra adſumpta in mundum venit, & præſtituto à patre tempore ex Maria virgine eſt natus. Alter eſt ſpiritualis, quando per ſpiritum ſanctum occupat credentium corda, & ijs ſua beneficia communicat. De vtroq; aduentu intelligenda eſt Paulina phraſis.

Lex tam diu propter tranſgreſſiones eſt data, donec promiſſus Meſſias veniret, quo exhibito Lex functa eſt officio ſuo. Hic Paulus ad totam legem & politiam à Moyſe conſtitutam reſpicit: exponit legis officium, & non obſcurè indicat.

dicat, quibus de causis & constituta sit politia & sacerdotium Mosaicum: Et cur abrogetur.

Primò. Hoc consilio Deus elegit hunc populum Israel, constituit politiam & sacerdotium per Moysen, vt promissio de Messia maiore diligentia adseruaretur in genere humano, sæpe in hoc populo repeteretur, & ad omnes gentes tanquam ex arce illustri spargeretur. Tota lex promissioni de Messia seruire debuit.

Secundò. Voluit Deus esse certum visibilem & conspicuum in genere humano cœtum, qui de Deo diceret testimonium, rectè ipsum inuocaret, idola refelleret, & vero Dei cultu in orbe insignis esset.

Tertiò diuinarum patefactionum, miraculorum, & vaticiniorum voluit esse notos, illustres & fide dignos testes: voluit per certos homines scribi historiam Ecclesiæ, & Prophetarum conciones adseruari, tanquam in schola illustri, vt noticia Dei etiam ad gentes propagaretur.

Quartò sciri voluit Deus ex qua familia nasciturus esset Messias, quo in loco regnum suum esset inchoaturus, vbi editurus miracula, in quo templo concionaturus, vbi passurus & ex morte resurrecturus, & quo in loco in cœlum esset adscensurus. Vt adeò omnis de Messia dubitatio tolleretur.

Quin-

Quintò vt lex, cum tota politia & sacerdotio veluti carcer esset, concludens Israelitas sub peccato, arguens eos de immundicia, & adigens eos ad expetendum mediatorem: per quem ex hoc carcere liberarentur, & ab omni immundicie purgarentur. Ex quo sequitur, ipso Messia exhibito, non amplius concludendum esse Dei populum in hunc carcerem legis, nec legum obseruatione ad demonstrandam impuritatem opus esse: siquidem nos Christus ab omni inquinamento peccati suo sanguine purgauit. Simul ergo & causas abrogatæ politiæ hic indicauit Paulus. quarum Prima est, Vt Deus ipsa deletione politiæ & sacerdotij testaretur, promissum semen benedictum in Iesu Christo verè esse exhibitum.

Secunda. Vt singulare & graue exemplum iræ statueret in genere humano aduersus contemptum sui verbi, & odium ac furorem eorum, qui filium Dei mediatorem persecuti sunt.

Tertia. Vt euidenti argumento demonstraret, circumcisione, obseruatione Sabbathi, oblationibus, incensis, aqua lustrali non purgari Iudæos à peccatis, non reconciliari illos Deo, nec coram ipso iustificari.

Quarta vt legis interstitio sublato gentes adæquarentur Iudæis, perspicuũ fieret omnes carere gloria Dei, nec esse inter eos distinctionem. Vtq;

ingens Dei misericordia erga gentes illustraretur, & vnum fieret ouile, vt vnus est pastor. Has grauissimas causas indicat Paulus, cum inquit: donec veniret semen cui promissum est: Et perspicuè ostendit politiam & sacerdotium Moysis iam exhibito Messia non amplius duratura esse.

Spiritualis verò aduentus Christi est, quando apprehenditur per fidem in promissione, & Christus spiritu suo occupat credentium corda. Hoc modo adueniente Christo lex functa est suo ministerio, nec amplius terrere debet conscientias. Cùm Adam audit: semen mulieris conteret caput serpentis: aduentu Christi recreatur, vt vincere terrores mortis possit. Cùm ad Dauidem dicitur: Dominus abstulit peccatum tuum, venit ad ipsum Christus, cum toto regno suo. Cùm Christus dicit Paralytico: Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua: aduentum suum spiritualem & corporalem demonstrauit illi, & officio legis finem imposuit. Lex enim amplius, accusare, terrere, necare, & damnare non potest: quia Christus absoluit hominem ab omni peccato, & imputat illi perfectam iusticiam.

Hæc diligentissimè obseruanda sunt, cùm pastoribus animarum, vt sciant, quousq; terrenda sint conscientiæ legis fulmine: quando verò per pro-

promissionem confirmandæ, quòd lex nihil amplius iuris in ipsos habeat: tum singulis pijs, vt se contra legis minas & maledicta erigere possint in Christo. Vbi credis promissioni: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam: Omnia legis fulmina nihil te mouere debent. Lex enim, Christo veniente, defuncta est suo officio: amisit ius suum in te: non potest tibi amplius maledicere: quia ius legis per Christum in te impleta est.

Cui promissum est.) dicit Christo semini benedicto promissum esse regnum, scilicet spirituale, in quo restituitur nobis iusticia, vita & salus. Hoc regnum spirituale promissum est Christo in Paradiso: Semen mulieris conteret caput serpentis. Item: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et Iesa. 49. Eris salus mea vsque ad fines terræ. Psal. 2. Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem. Matth. 1. Et vocabitur nomen eius Iesus, quia saluum faciet populum suũ à peccatis suis. Legi tale regnum spirituale non est promissum: neq; seminibus, hoc est, non singulis Iudæis, vt liberi arbitrij virtute saluos se facerent: sed soli Christo est facta promissio: et nõ est in alio salus, nec est aliud nomen datum hominibus sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri.

Ordinata per angelos) Paulus remittit nos ad historiam promulgatæ legis Exod.19. quæ clarè ostendit legis spirituale officium. Idcirco enim lex cum tanto strepitu, fragore & terribili adspectu promulgata est: vt hinc intelligerent, & experirentur legis effectum & officium. Si lex debuisset iustificare homines & ad vitam transferre æternam, summam lætitiam, suauitatem, promptitudinem & amorem attulisset. Ad obediendum enim & promptitudine & vita, et viribus, & lætitia animi opus est. Itaq; lex, vt sapientia cælestis & norma iustitiæ elegantissima, totam creaturam recreare debuisset. At adeò terribilis tum fuit vox legis, quam tamen Deus non proposuit essentiæ suæ, quæ est ignis consumens, reuelatione: sed ministerio angelorum tanquam tegumento inuoluit: Vt immunda natura hominum Dei vocem sustinere posset: vt vniuersus populus fugeret à facie Dei cum horrenda trepidatione & tristi metu mortis: ac peterent mediatorem, per quem cum Deo loqui, & ab illo mandata accipere possent. Ergo ex ipsa historia promulgatæ legis manifestum est, legem non iustificare nec viuificare, sed potius accusare, terrere & damnare homines, vt peccatores immundos dissimiles legi. Israëlitæ quidem abstinuerant ab vxoribus triduum, lauerant vestimenta: fuerant per

per Moysen sanctificati: & tamen lege intonante ad radices montis consistere non poterant, nec Dei vocem sustinere. Vnde liquidò apparet lege nec iustificari nec sanctificari hominem posse coram Deo: sed mediatore inter Deum & hominem opus esse.

Non est quidem in textu: (Ordinata per angelos) nulla enim isthic fit mentio angelorum: verùm spiritus sanctus in Paulo interpretatur Moysen. Deut.32. inquit Moyses: Ex Sinai venit cum multis millibus sanctorum: ad dexteram eius lex ignea. Hinc Paulus & Stephanus Act.7. colligunt angelorum ministerio legem tanta cum pompa promulgatam esse. Deus non est ignis, nec fumus, nec tonitru, nec fulgur: sed hæc omnia ministeria angelorum indicant. Vt Deus vmbram aliquam suæ potentiæ & iræ hominibus ostenderet, & pulsa securitate timorem domini pectoribus instillaret, ista terribili pompa vti voluit. Et inuolucro creaturarum tegit iram & potentiam. Sic ergo hic colligit Paulus: Deus necesse habuit per angelos ordinare legem: eò quòd homines eius essentiam & maiestatem sine inuolucro ferre nequeunt. Id argumento est immundam esse hominum naturam, & peccato pollutam: & à proprio conscientiæ testimonio reuinci,

quòd digna sit supplicijs. Lex ergo, quæ sine angelorum ministerio promulgari non potuit, non iustificat, sed potius accusat & damnat homines: haud dubiè omnes vno momento oppressi & extincti fuissent, si Deus legem suam in sua intolerabili maiestate sine creaturarum inuolucro promulgasset: Deus enim est ignis consumens. Et ad Moysen inquit: Non enim videbit me homo & viuet.

In manu mediatoris) altero argumento ex ipsa historia promulgatæ legis sumpto, probat legem non hoc officij habere, vt iustificet homines, sed vt accuset & damnet. Qui, inquit, mediatore & intercessore apud Deum indiget ad audiendam eius sententiam, is dissidet à Deo, non est iustus, sed metuit eius iram, & tacitè fatetur culpam. Israëlitæ cùm lex promulgaretur vocem Dei audire non poterant, sed mediatore indigebant: Imò ipsi rogabant Moysen, vt mediator esset. Ergo fatebantur hoc ipso se dissidere à Deo, se esse dissimiles legi, propter naturæ prauitatem & immundiciem, se vocem Dei precentis obedientiam ferre non posse. Lex ergo non attulit iusticiam. Videmus hic duorum mediatorum in sacra scriptura mentionem fieri. Legalis & Euangelij. Moyses est legalis mediator. vt Deut. 5. cap. appellatur. Hic stat inter Deum & homines,

mines, vt populus legem audire possit: non quidem placat Dei iram: non reconciliat populum Deo: non aufert peccata: sed tantùm est minister agens inter Deum & homines: & denuncians Dei iudicium aduersus peccatum. At mediator Euangelicus est dominus noster Iesus Christus, qui non tantùm agit inter Deum & homines, vt legem audiamus: sed fit pro nobis victima, deriuat in se iram patris: recipit in se nostra peccata: persoluit pro nobis λύτρον & reconciliat nos Deo, vt abiecta omni ira, & omni peccatorum nostrorum memoria, recipiat nos in gratiam & constituat vitæ æternæ hæredes. De hoc mediatore Euangelij suprà argumento nono audiuimus. Hic de legali agit Paulus & sic colligit: Si lex hominem iustificaret, populus Israel sine mediatore eius vocem cum summa voluptate audiuisset. Nam quod iusticiam & vitam affert, id non terret, nec condemnat, sed cum summa voluptate auditur. At Iudæi mediatore indigebant, etiam ad audiendam legis concionem: Hinc ergo certò constat naturam omnium impuram & peccato infectam esse, vt quæ metuit legis iudicium: Et in lege neminem iustificari posse.

Mediator autem vnius non est: Deus autem vnus est.) Ipse Deus inquit, qui vnus

est, mediatore non egebat: sed populo opus erat mediatore. Mediatoris enim est inter partes dissidentes agere. Moysis itaq; officium conuincit ex lege non esse iusticiam.

Num igitur lex contra promissiones Dei? absit.

Postquam legis vsus ita est ostensus, quòd accusset peccatum & terreat conscientias, mox noua suboritur quæstio. Num ergo lex pugnet cum promissione: videntur enim contrariæ & ex diametro pugnantes esse sententiæ: Quòd lex rigore summo exactissimam et perfectissimam ab omnibus flagitat obedientiam; & nemini concedit vitam, nisi legem implenti: omnibus verò legẽ transgredientibus mortem minatur. Promissio verò Euangelij summa clementia credentibus in Christum remittit omnia peccata, gratis, et offert vitæ æternæ donationem absq; merito operũ. Hæc quidem in speciem pugnare videntur. Vnde & Pontificij Idolatræ existimant se argumento validissimo oppugnare doctrinam nostrarum Ecclesiarum de gratuita peccatorum remissione, dum obijciunt: Fieri nullo modo potest, vt in Deo sint contradictoriæ voluntates. hoc enim si concederetur, labefactaretur Dei veritas. Quòd si in Euangelij promissione gratis sine operibus offertur credenti salus

salus et iusticia per fidem: sequeretur in Deo contradictorias esse voluntates: siquidem Deus in lege contrariam patefecit voluntatẽ: maledictum iri omnes, qui non permanserint in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius. Ergo fieri non potest, vt hæc sit sententia promissionis Euangelij, quòd velit Deus gratis saluare credentes. Verùm perspicua plana & solida est nostra responsio. Nulla prorsus pugnantia est inter legẽ et Euangelion: imò tantus est vtriusq; doctrinæ consensus, vt altera confirmet alteram. Legis sententia in omni æternitate immota manet: Qui fecerit ea viuet in eis: cũ appendice, Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus. Hanc legem, nec mutat nec euertit, sed potius stabilit Euangelion: docet enim vniuersam pœnã, quam lex flagitat pro delictis mundi: in filium Dei mediatorẽ translatam, et obedientia mediatoris toti legi satisfactũ esse. Cũ verò per Christum lex tota impleta et stabilita sit: tũ vero pater æternus in filio et propter ipsum offert gratuitã omnium peccatorũ remissionẽ, et absq; merito largitur credenti salutẽ æternã. Sine Christo õnino lex et Euangelion ex diametro pugnantes essent sententiæ: At Christo interueniẽte, nulla hic est pugnantia, sed summus consensus. Lex inquit: Hoc fac et viues: nisi feceris, eris maledictus. Euangelion dicit: Ista adeò firma

& im-

& immota sunt, vt ipsum Dei filium oporteret fieri maledictum, vt peccatoribus salus contingere posset: adeò per fidem legem stabilimus: Et finis legis Christus est ad iusticiam omni credenti. Consensus ergo summus est legis & Euangelij: Vtraq; enim doctrina eundem habet autorem: Et idem finis vtriusq; est. Legis finis vltimus est, vt agnita nostra infirmitate & sordibus pœnitentiam agamus, & ad Christum properemus, vt per eum redempti in sanctitate vitæ seruiamus Deo: Eodem & Euangelij spectat promissio: nimirum, vt per Christum à legis maledicto liberati, per fidem coram Deo iustificati, & per spiritum sanctum viuificati, seruiamus Deo in perpetua iusticia & legem impleamus. Detestanda est Illyrici audacia, qui palám apostolo Paulo contradixit, & contendit legem & Euangelion inter se pugnare. Apostolica authoritas eum deterrere debuisset à tam audaci & falsa sententia. Rectius & elegantius Tertullianus: Euangelium est aliud à lege; non alienum: diuersum; non contrarium. Quemadmodum summa necessitas in Ecclesia postulat, vt illustre discrimen inter legem & Euangelion, quòd illa perfectam flagitat obedientiam: hoc verò gratis salutem & iusticiam donat, diligentissimè tueamur; ita non minor vrget nos necessitas, ne in Ecclesia tolere-

toleremus figmentum, quod asserit legem & Euangelion inter se pugnare.

Si enim data esset lex, quæ posset viuificare, reuera ex lege esset iusticia.

Aetiologia est, qua probat Paulus legem non pugnare contra promissionem. Euangelion, inquit Paulus, non negaret ex lege venire iusticiam, modò esset talis lex, quæ præstari posset: modò essent tales homines, qui legem implere possent. Etsi constitutus est Christus mediator, tamen non inuidet Pharisæo legis decretum. Hoc fac (inquit) & viues. Si præstabis legem, omnino eris iustus coram Deo. Adeò per Euangelion non tollitur nec infringitur legis sententia. Quia verò lex à nobis præstari & impleri non poterat: eò quòd per carnem infirmabatur, idcirco opus nobis erat alia doctrina, nimirum gratuita Euangelij promissione. Quia corrupta hominum natura legem implere non potuit, ideo Deus ex misericordia dedit filium mediatorem: alioquin vniuerso generi humano pereundum fuisset.

Si lex data esset, quæ posset viuificare.) id est, Si homines essent in mundo, qui legem perfectè implere possent, verè ex lege esset iusti-

iustitia, iuxta dictum: Qui fecerit ea viuet in eis. Viuificatio hic totum Christi beneficium, videlicet iustificationem & sanctificationem complectitur.

Miretur aliquis, cur Paulus legi detrahat iustificandi et viuificandi facultatem: & non potius nostris viribus fractis hoc imputet. Culpa certè non est in lege, sed in nobis: Lex bona, iusta, sancta, perfecta est. Et tamen plerumq; sic loquitur Paulus. Rom. 8. Nam quod impossibile erat legi, eò quòd per carnem infirmabatur: hoc fecit Deus mitttens filium suum in similitudinem carnis peccati. Non est dubium, quin Paulus singulari consilio sic locutus sit. Hoc enim multò sonat validius, & efficacius refellit errorem eorum, qui fidunt propria iustitia: quàm si dixisset: hominibus impossibile esse, vt impleant legem: vel operibus esse impossibile, vt iustificent hominem. Infinitis modis sanctior est lex Dei operibus hominum: illa enim est perfectissima: hæc verò imperfecta. Quod si ergo legi est impossibile viuificare hominem, multò minus id per opera præstari potest. Obstruxit etiam hic Paulus omnes omnium sophismatum rimas. Ne quis exciperet: etsi per legem naturæ, per honesta facta gentium, per circumcisionem & ceremonias Iudæorum, per externam disciplinam, per electitia opera, nemo coram

coram Deo iustificari possit: attamen legi diuinæ promulgatæ in monte Sinai, quæ omnium est sanctissima, hæc laus detrahi non potest: Paulus respondet: Imò prorsus nulla lex data est, quæ viuificare possit. Ergo nullum opus, nulla obedientia, nulla ratio ab homine in mundo excogitari potest, cui iure possit tribui iusticia coram Deo. Verum quidem est, culpam penes nos, non penes legem esse: quemadmodum Paulus disertè indicat: eò quòd per carnem infirmabatur: hoc est, quia caro corrupta legem non implet: ideo tamen legi detrahit viuificandi laudem, vt omnem cogitationem de iusticia ex lege, abÿciamus.

Continet hoc insigne Pauli dictum valde multa capita doctrinæ cælestis.

1. Primùm testatur promissionem non pugnare contra legem: nec per fidem legi aboleri: siquidem manet sententia legis, & homines per eam iustificari possent, modò eam implerent.

2. Secundò arguit vniuersam hominum naturam corruptam esse peccato: imò mortuam esse in peccatis: quia iustificatione indiget, & per legem viuificari non potest: Nullum ergo est liberum arbitrium.

3. Tertiò docet neminem hominum posse implere legem in hac vita. Hinc enim est, quòd lex vi-

lex viuificare non posit: quia nemo hominum eam præstare potest.

4. Quartò monstrat proprium legis officium esse reuelare peccatum, terrere conscientiam, mortificare hominem: non viuificare.

5. Quintò non obscurè monet aliunde quàm ex lege petendam esse iusticiam & vitam æternam: videlicet ex promissione Euangelij.

6. Sextò responsiones ad omnia dicta legalia ex hac sententia sumi possunt. vt 1. Non auditores, sed factores legis iustificabuntur. 2. Qui fecerit illa viuet in eis. 3. Hoc fac & viues. Respondeo. Verissima sunt illa dicta: Et si quis legem seruaret per eam iustus esset. Quia verò nemo præstat legem, illa ipsa dicta tantùm arguunt nos, non probant nostram iusticiam.

7. Septimò Ex hac insigni Pauli sententia sequitur validissimè, nullam esse religionem in mundo, nullam esse legem, nullum cultum, nullum posse excogitari opus, nullam prorsus inueniri posse rationem ab homine, qua iustificetur coram Deo: Omnia enim ista inferiora sunt, quàm lex diuina. Et quicquid ratio excogitat ad iusticiam consequendam, legis naturam habet. Euangelion est mysterium absconditum à seculis.

8. Octauo hæc sententia validè refellit sophismata eorum, quæ fingunt Paulum tantum ceremonijs

monijs detraxisse laudem iustificandi, non legi morali: imò Paulus hic disertè ait, nullam prorsus sub sole datam esse legem, quæ posit viuificare. Adeò copiosa doctrina in hoc breui dicto Pauli continetur.

Sed concluſit ſcriptura omnia ſub peccatum, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.

HOc mum est de nobilissimis dictis totius sacræ scripturæ, vtpote quo summa totius doctrinæ cælestis continetur, & quod est murus abeneus contra omnes hereses. Duo autem sunt membra huius dicti: Prius est legis sententia: alterum continet doctrinam Euangelij. Ponderæ verborum diligenter expendenda sunt.

Scriptura) Nam ratio humana luce naturæ non videt hoc Dei iudicium, quòd totum genus humanum sit conclusum sub peccato: quia non intelligit labem originis: non intelligit spirituale legis iudicium. At scriptura deducit nos ad lapsum Adæ, in quo omnes peccauerunt, et mortui sunt: & patefacit nobis iudicium Dei spirituale. Scriptura dicit: Dominus de cælo prospexit supra filios hominum, vt videret an sit intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinaue-

runt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, ne vnus quidem. Psal. 14. Et Ioh. 3. Quicquid ex carne natum est, caro est. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.

Conclusit) Ex Iesaia cap. 61. Vinctis apertionem: desumpsit Paulus hanc vocem. Monet autem Paulus nos veluti constrictos teneri in carcere, vt maleficos, qui mortem meriti simus: quem carcerem nullo modo euadere possumus. Ipsa enim Dei ira nos premit: mors ipsa laqueos nobis iniicit: nemo damnationem & infernum propriis viribus effugere potest. Et propriæ conscientiæ dolor carcer est durissimus.

Omnia) Hæc vniuersalis particula primùm omnes homines complectitur nemine excepto: deinde omnia quæ sunt in homine & ab homine proficisci possunt: non tantùm caro, affectus, inferiores vires conclusæ sunt sub peccatum: sed etiam supremæ potentiæ: τὸ ἡγεμονικὸν λόγος καὶ ὁρμή: ratio & voluntas, cor & anima ipsa & quicquid est in homine. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Quicquid ex carne natum est, caro est.

Sub peccatum) Non fruitur homo iustitiæ libertate; sed premitur peccati tyrannide: adeò

adeò corrupta est hominum natura, vt non possit non peccare. Delirat & insanit planè Illyricus, quòd fingit peccatum esse quiddam viuum ratione præditum & cum deliberatione agens: quia Paulus tribuat illi tyrannidem. Per figuram tribuit Paulus peccato tyrannidem, vt horribilem eius vim exprimat, & doceat nullis hominum viribus tetram illam labem à nobis remoueri posse: & tantum eius robur esse, vt totum genus humanum mergat in mortem. Quid coram Deo sit & mereatur peccatum, ex verbo Dei petendum est. Nunc doctrina huius dicti, quæ multiplex est, expendatur.

1. Primùm, hæc sententia est vniuersalis accusatio totius generis humani: quòd nullus homo sit sub sole, qui sit peccati exors. Omnes peccauerunt, inquit Paulus, & carent gloria Dei: Vt obduretur omne os, & totus mundus reus fiat Deo: quia non iustificatur ex operibus legis vlla caro. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos agri. Omnis cogitatio cordis humani tantùm est mala omni tempore. Hæc vniuersalis accusatio totius generis humani in sacra scriptura reuelatur, ignota alioquin rationi. Lapsus omnium hominum arguunt quidem neminem esse sine vitijs, neminem esse perfectum: vnde & Ethnicorum illæ sunt confessiones:

ἀδελεῖς ἀνθρώπων ἔστιν ἅπαντα σόφον.
Ἁμαρτάνει δὲ σόφος σοφώτερος.
Nam vitijs nemo sine nascitur, optimus ille,
Qui minimis vrgetur.
Item, Ἄμωμον δὲ βροτὸν εὑρέμεν βροτῆς.
Verùm hæ & similes Ethnicorum confessiones distinguendæ sunt ab oraculis spiritus sancti. Gentes non statuerunt infantes peccato esse obnoxios & reos damnationis: Gentes non intellexerunt peccatum carnali procreatione propagari in posteros: gentes non statuerunt ignorationem Dei securitatem, vacare timore Dei, fiduciam propriarum virium esse peccata digna morte æterna. Seiungantur igitur sententiæ Ethnicæ à concionibus spiritus sancti: Et sciamus his inesse summum pondus. Omnia concludit scriptura sub peccatum. Ergo & infantes, priusquam ratione vti possunt, sunt peccatores morte æterna digni.

2. *Secundò, testimonium hoc fortissimum est, nullum esse in homine liberum arbitrium, quod ad spiritualia: siquidem omnia sunt conclusa sub peccatum: mens, voluntas, bona intentio, studium, religio, sapientia, & quicquid est in homine. Quod verò conclusum est sub peccatum, peccato seruire cogitur, et liberum seu alienũ est à iustitia. Non ergo naturalia sunt integra. Et licet homo faciat quod in se est, tamen manet in morte.*

3. Ter-

3. *Tertiò. Ex hoc dicto sumi potest doctrina de peccato originis: Si enim omnia sunt conclusa sub peccatum: ergo & infantes à natura sunt peccatores: Ergo in peccatis concipimur & nascimur: ergo peccatum propagatur carnali procreatione in posteros Adæ.*

4. *Quartò. Cùm omnia conclusa sunt sub peccatum: sequitur omnia opera non renatorum esse peccata coram Deo: & fieri nullo modo posse, vt homo operibus suis iustificetur coram Deo. Quod enim conclusum est, in libertatem iustitiæ sese vindicare non potest.*

5. *Quintò. hæc sententia est fulmen contra omnes omnium hominum religiones, cultus et opera extra Ecclesiam et absq; verbo instituta. Cùm enim omnia sunt conclusa sub peccatum, ratio humana nihil in religione excogitare vel inuenire potest, nisi peccatum, quod non meretur vitam, sed morte dignum est.*

6. *Sexto. Paulus hac sententia docet nos, proprium legis officium esse, non iustificare nec viuificare: sed concludere homines sub peccatum & captiuos tenere, donec per Christum liberentur.*

Eleganter hanc sententiam Pauli Augustinus illustrauit, cum inquit: Cancellos tibi facit lex, vt non inueniendo, qua exires, ad gratiam conuolares.

Alterum membrũ ſententiæ doctrinam Euangelij continet. *Vt Promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur.)* Promiſsio hic ipſum mediatorem Chriſtum ſignificat, cum omnibus regni ſui beneficijs: nimirum iuſtificatione, remiſsione peccatorum, imputatione iuſticiæ, donatione ſpiritus ſancti, & hæreditate vitæ æternæ.

1. Primùm docet hic Apoſtolus, per ſolam Dei miſericordiam contingere nobis iuſticiam et ſalutem. Idcirco nominat promiſsionem non legem: & dicit eam dono dari, non operibus rependi.

2. Secundò teſtatur Ieſum Chriſtum ſua interceſsione & morte impetraſſe nobis iuſticiam apud Deum & vitam.

3. Tertiò. Vt accuſatio eſt vniuerſalis: ita neceſſe eſt et promiſsionẽ eſſe vniuerſalem et omnibus offerre ſalutẽ gratis: Ideo dicit credentibus.

4. Quartò monſtrat medium, quo fiat applicatio beneficiorum Chriſti, nimirum per fidem.

Hanc ampliſsimam doctrinam legis et Euangelij, atq; adeò vniuerſam Chriſtianorum religionẽ in hoc breui dicto complexus eſt ſpiritus ſanctus.

Antequam verò veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in hanc fidem, quæ reuelanda erat.

Subin-

SVbinde vrget Paulus officium legis, et exponit, quo conſilio Deus legem promulgauerit: & totam politiam Moyſis conſtituerit: non vt per eã ſaluarentur Iudæi: ſed vt tanquam in carcere cuſtodirentur, & ſemini benedicto Mediatori Ieſu Chriſto, qui eos liberaturus eſſet, adſeruarentur. Niſi lex data & repetita fuiſſet, homines paſsim in ſecuritatem fuiſſent prolapſi, amiſiſſent promiſsionem de Meſsia: contempſiſſent iudiciũ Dei: defeciſſent ad Ethnicas Idolomanias & furores. Ne ergo hoc fieret, conſtituit Deus politiam Moſaicam, et promulgauit legem: onerauit populum ſuum hac dura ſeruitute, vt eius veternum ſecuritatis excuteret, agnitionem peccati & mediatoris deſiderium in ipſis accenderet. Cuſtodia hæc primùm intelligatur ciuiliter, quia lex pœnas minitando deterret à ſceleribus et furoribus: inprimis verò ſpiritualiter eſt intelligẽda, quòd lex accuſando peccatũ & denunciando iram Dei, quaſi intra cancellos pœnitentiæ nos coërcet, ne ſecuritate euagemur, et Chriſtum negligamus. Hoc conſilio lex adhuc docetur in mundo: Hoc conſilio Deus omnis generis calamitates & miſerias imponit nobis, nõ vt perdat nos, ſed vt excutiat nobis carnalem ſecuritatem, deducat nos ad peccatorũ agnitionẽ, et inuitet ad ſeriam pœnitentiam. Hoc Dei clementiſsimũ conſilium quàm diligentiſsimè expendamus.

Ante-

Antequam veniret fides) id est ante exhibitum Messiam, quem fide apprehendimus. Patres quidem in veteri testamento: Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, fidem in Christum habuerunt, sed Paulus docet, Christo nondum exhibito, lege tanquam carcere opus fuisse. Vbi verò iusticia, ibi libertas est: Libertati nihil magis contrarium quàm carcer: Ergo ex lege non est iusticia. De duplici aduentu Christi & fidei dictum est suprà.

In fidem futuram quæ erat reuelanda:) hoc est, Messias est finis legis: tam diu erat opus lege tanquam carcere: donec Messias iuxta promissionem exhiberetur, atq; per eum libertate donaremur. Non hoc consilio onerauit Deus populum suum tristi & dura seruitute, & legis officio veluti in carcerem conclusit, vt eum perderet, & in damnationem conijceret, sed potius, vt eum impelleret ad agnitionem peccatorum, & ad seriam pœnitentiam, ac tandem per Messiam credentes saluaret. Exhibito igitur Christo, meritò abrogatur lex, cum omnibus suis ceremonijs & iudicijs, circumcisione & Sabbathis. Christus enim heros ille est, qui carcerem pandit, & nos libertate donat. Libertate donatos iniquum esset carcere adhuc detineri. Ita Paulus vsum legis et totius

totius politiæ Mosaicæ insigniter exponit, & simul ostendit, quam diu lex durare debuerit, & quòd Christo exhibito meritò abrogetur. Sic & in conscientia lex non diutius dominari debet, quàm donec Christus fidei reueletur. Ante Christi agnitionem lex omnino ius habet officium suũ exercendi, videlicet accusandi peccata, reuelandi iram Dei, terrendi conscientias, & damnationis sententiam pronunciandi, verùm non diutius, quàm donec Christus cum suis beneficijs reueletur conscientijs. Christo in promissione monstrato, & fiducia cordis apprehensio, lex non solum terrendi finem facere, verùm etiam prorsus conticescere, ac planè cedere & nos missos facere debet. Legi enim tum mortui sumus, & lex nobis: Viuimus autem Deo in Christo.

Ergo lex pædagogus noster fuit in Christum, vt ex fide iustificaremur.

SVblimis doctrina de iustificatione hominis coram Deo, absq; operibus legis sola fide in Christum exactè intelligi nequit, nisi probè intelligatur finis & officium legis. Vbi enim non est vera peccati agnitio, nec conscientia premitur sensu iræ diuinæ: ibi fiducia in mediatorem locum non habet. Paulus ergo multum laborat, vt legis officium luculenter exponat, multum inculcet, &

variis similitudinibus nobis ob oculos pingat. Si lex ad iustificationem & viuificationem data fuisset, nihil opus fuisset Christo mediatore: verum lex ideo promulgata, & tota politia Moysis constituta est, vt lex veluti pædagogus ad Christum nos deduceret. Antea similitudinẽ illustrem à carcere sumpserat, qua euidẽter ostendit, lege nequaquam tribui nobis libertatem: nunc verò similitudine non minus accommodata sumpta à pædagogo vtraq; eleganter exprimit: & legis officium seuerum, & nostram erga legem adfectionem. Nemo certè diligit carcerem: nemo in carcere de libertate sua gloriatur: ita nemo sub lege de iustitia & vita gloriari potest. Pueri carere mallent pædagogis, quàm ab eis coërceri, ita nos omnes natura mallemus carere lege, omnes cuperemus indulgere nostris adfectibus & cupiditatibus carnis, quæ affectio nostra erga legem pædagogum satis testatur, naturam nostram esse immundam & deprauatam, & à vera iustitia alienam. Vt pædagogus non largitur pueris hæreditatem, sed tantum instituit & continet eos in officio, ne hæreditatem amittant: Ita lex non adfert vitæ æternæ hæreditatem, nec tribuit iustitiam, sed tantùm instituit, coercet, & continet nos in officio, hoc est, adigit nos ad peccatorum agnitionem & seriam pœnitentiam, ne petulantia vel

tia vel securitate, vel hypocrisi, vel Epicuræo contemptu Dei hæreditatem amittamus. Vtq; pædagogus non semper adiungitur liberis, sed ad tempus tantùm, donec doctrina instituti, & iudicio confirmati suis rebus rectè vti norunt: Ita & lex non perpetuò ceruicibus nostris incumbere debet: sed vbi ad Christum nos perduxit, in quo nostra sunt confirmata iudicia per spiritum, officio suo est defuncta. Sic ergo lex pædagogus est in Christum, dum reuelat nobis naturæ nostræ immundiciem, accusat nostra peccata, denunciat iram Dei, infligit conscientiæ terrores, patefacit nobis tristissima vulnera nostra, & fulmine suo minatur nobis æternam damnationem. Hæc enim seuera concione pœnitentiæ docet, nos egere mediatore, & vrget nos grauiter ad inquirendum salutarem animæ medicum. Quando Nathan regi Dauidi dicit: Tu es ille vir dignus morte, vt qui adulterium & cædem commisisti: veluti pædagogus pœnitentiam prædicando deducit Dauidem ad quærendum mediatorem, & gratuitam cum Deo reconciliationem. Legis vocabulum omnes species hic complectitur. Tota enim politia Mosaica, decalogus, iudicia & ceremoniæ fuerunt pædagogia ad Christum ducens. Omnes leges et sacrificia nos de peccato admonuerunt, et fuerunt conciones pœnitentiæ, ac tandem

omnium

omnium legum finis fuit, vt agnito peccato per Christum saluaremur. In Philippi scriptis frequentissimè citatur hoc dictum Pauli, & passim exponitur de politico & ciuili legis vsu, in hanc sententiam, quòd Lex coërceat contumaces, vt de Christo doceri possint. Qui ruunt in scelera contra conscientiam, hi doctrinā de beneficijs mediatoris non apprehendunt: Externa disciplina ad hoc prodest, vt homines doceri & institui possint. Etsi autem externa disciplina suam habet laudem & testimonia & præmia in scriptura, de quibus alibi dicitur: tamen hæc non est mens Pauli in hoc insigni dicto. Rectiùs Lutherus de spirituali legis vsu exponit. Paulus non loquitur de gubernatione politiæ, neq; de ciuili hominum consuetudine, sed de iudicio Dei, & vsu legis, quo omnes concludit sub peccato. Excellens sanè fuit disciplina in Pomponio Attico, Regulo, Socrate, Aristide, Pharisæo. Luc. 18. & tamen à Christo fuerunt alienissimi. Quantacunque sit externa disciplina in homine, & quantumuis multum sese in doctrina Christi exerceat: tamen nisi lex spirituale suum iudicium ostenderit, non ducetur homo ad Christum, sed manebit superbus hypocrita & Christi contemptor. Sic ergo lex est pædagogus in Christum, quòd totum genus humanum accusat de peccato: non tantùm scelera-

tos externis flagitijs pollutos, verùm etiam iustissimos, sanctissimos & optimos coram mundo: quòd patefacit sublime iudicium Dei, in cuius conspectu innocens non est innocens: quòd reuelat humanæ naturæ fædam immundiciem, omnium virium corruptionem, & omnibus natura insitam malitiam: conuincit nos carere iustitia coram Deo, & esse reos æternarum pœnarum: atq; ita conscientia prostrata deducit nos ad inferos, vt in nobis ipsis desperare cogamur, & ipsa necessitas extrema cogat nos suspicere in cælum, et mediatorem inquirere. Hoc verè est pædagogum esse ad Christum, videlicet internam immundiciem significare, vt omnes & singuli pœnitentiam agant. Qui peccata sua interna non intelligit; nec desiderat nec quærit Christum, sed viuit securè, & imaginatur se externa disciplina coram Deo iustum esse. Qui verò in lege tanquam in speculo animæ suæ sordes intuetur, iudicio Dei premitur, & in conscientia dolores sentit infandos: is solet anxiè quærere opem & animæ medicinam. Pharisæus Luc. 18. honestate insigni ornatus erat, & colebat doctrinæ studia, securè tamen viuebat, peccatum in eo dormiebat, legis sententiam non intelligebat. Itaque lex non fuit ei pædagogus in Christum, etiamsi vsu politico absterreret eum à sceleribus. At

publi-

publicanus plenus est terroribus & consternatione: in ipso lex officium suum spirituale exercuerat, reuelauerat ei iram Dei, & æternam damnationem ei denunciauerat. Huic publicano lex pædagogus fuit in Christum: Implorat enim misericordiam Dei, & mediatoris beneficia seriò inquirit.

Quæri hic solet, cur tanto studio Euangelion & legem distinguamus, tanquam diuersa doctrinarum genera: cùm Paulus hìc videatur nullum discrimen statuere. Si enim Euangelion nihil nisi Christum docet, & lex pædagogus est in Christum: quod ergo monstrabitur inter legem & Euangelium discrimen? Verùm responsio expedita & solida est. Etsi lex & Euangelion, fine vltimo inter se conueniunt: vt nimirum per Christum saluemur: tamen ipsa doctrinarum genera prorsus inter se distincta sunt. Lex non est talis pædagogus, qui Christum monstret expresse, explicet eius beneficia, & gratis offerat iusticiam & vitam; sed monstrando nobis vulnera, incutiendo terrores, & denunciando iram Dei, cogit nos ad quærendum medicum & liberatorem. Lex conuincit, mediatore nobis opus esse, eò quòd omnes gloria Dei careamus: sed quis ille sit Messias, quæ eius sint beneficia, quo modo ille salutem nobis impetrauerit, quomodo

modo eam accipiamus: quòd pater æternus gratis absque nostro merito peccata remittere, & iusticiam largiri velit: non docet lex; sed propria est hæc Euangelij doctrina. Sunt ergo distincta dogmata legis & Euangelij. Lex flagitat nostram obedientiam, eamq; perfectam: Euangelion verò de Christi obedientia concionatur, quæ nobis indignis imputatur. Lex monstat & damnat nostra peccata: Euangelion verò gratis offert in Christo peccatorum remissionem, & vitæ donationem. Lex accusando terret, minitando frangit, damnando prosternit peccatoris animum: Euangelion verò consolando erigit, Christum monstrando exhilarat, & spiritum donando viuificat. Quæ valde illustres sunt differentiæ: vltimo tamen fine conueniunt. Nam & lex & Euangelion hoc tandem volunt, vt per Christum in fide iustificati & saluati Deo præstemus iusticiam.

Vt ex fide iustificemur) Quando lex suo functa est officio, consolatione Euangelij egemus. Ideo enim lege terremur, vt fide ad Christum confugiamus. Paulus igitur vbiq; Euangelij doctrinam de iusticia fidei cum legis concione connectit. Ideo inquit Paulus, per legem tanquam pædagogum ducimur ad Christum, vt

non

non in nostra dignitate, virtute aut operibus coram Deo iustificemur: Sic enim mediatore nihil opus fuisset: sed vt per fidem in Iesum Christum, quem Deus posuit propiciatorium, iustificemur, hoc est, à peccatis absoluamur, coram Deo iusti pronunciemur, & vitæ æternæ hæredes adscribamur. Hoc ergo illustre testimonium diligenter obseruetur, quòd ex fide iustificemur coram Deo. Ergo non ex operibus. Iusticia enim quæ ex fide est, ex diametro pugnat cum iusticia, quæ est ex operibus. Similia dicta de fide iustificante hic repetantur. vt Ioh.3. Qui credit in filium habet vitam æternam: Et, Qui credit in filium, non iudicatur. Rom.3. Arbitramur hominem iustificari fide, absq; operibus legis. Et Gen.15. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iusticiam. Psal.2. Beati omnes, qui confidunt in eo. Act.13. In hoc omnis, qui credit, iustificatur.

Veniente autem fide, non amplius sub pædagogo sumus.

Postquam Paulus vsum & finem legis monstrauit, tradit nunc doctrinam de eius abrogatione, & de libertate filiorum Dei, Fide veniente. id est Christo exhibito. Fidem nominat, quia fides in se totum complectitur Christum, & fides nihil est aliud, quàm lux in mente & voluntate

tate accensa per spiritum sanctum, & per Euangelij promissionem de gratuita remissione peccatorum, quæ Christum cum toto suo regno et omnibus beneficijs amplectitur, & eum nobis arctissimè coniungit. Figuratè igitur fidem pro ipso Christo ponit: vt si annulum nomines, cum tamen gemmam præcipuè respicias. De tempore enim exhibiti Messiæ loquitur. Ante Christum lege tanquam pædagogo indigebamus, tanquam pueri nondum ætatis maturæ. Cùm verò Messias nunc venerit: ætas nostra in spiritu maturuit; iudicium nostrum in Christo confirmatum est; iam manu missi sumus, & in libertatem vindicati. Non ergo indigemus amplius seuera legis pædagogia. Hæc planè apostolica est doctrina de abrogatione legis, & libertate Christiana spirituali. Non est tristior seruitus, quàm esse sub tyrannide peccati, accusari à lege, premi sensu iræ Dei, maledictionis fulmine feriri, mancipium esse Satanæ, & obnoxium esse damnationi æternæ. Hac seruitute premimur omnes à natura, eiusq; exactor grauis est lex. At filius Dei dominus noster Iesus Christus constitutus à Deo mediator & victima pro peccato, sua passione & morte nos ab hac tristissima seruitute liberauit, ac spirituali & æterna libertate donauit. Ipse enim deleuit peccatum, legem abrogauit, iram Dei placauit,

maledictionis fulmen sustulit, Satanæ tyrannidem fregit, inferni carcerem disrupit, viam verò in cælum nobis aperuit, gratiam impetrauit, vitam atq; iusticiam sempiternam nobis meruit, simul etiam spiritum sanctum dedit in corda nostra, & nos constituit filios Dei, & hæredes regni cælorum.

Hæc sanè omnium summa est libertas nostra, longè potior, quàm omnia regna, opes & triumphi totius mundi. Lex ergo non erit amplius pædagogus noster, postquam in hanc libertatem vindicati sumus, postquam ætas nostra maturuit in Christo, qui nobis factus est à Deo sapientia, iusticia, redemptio & sanctitas. Lex nihil iuris in nos habet, nec debet nec potest nos amplius accusare vel damnare. Christus enim vindex noster absoluit nos ab omni peccato. Docet etiam Paulus Christo exhibito vniuersam politiam Moysis, quæ pædagogia carnis erat, abrogari & finem habere: circumcisioni & sacrificijs & Sabbathis non est amplius locus. Corpore enim præsente, quid opus est vmbris. Spiritualis legis videlicet decalogi sapientia, manet quidem perpetuò: verùm ius nos accusandi, terrendi, damnandi ereptum est legi, eò quòd Christus sanguine suo pro nostris peccatis satisfecit. Hæc immensam præbent consolationem perterrefactis conscientijs. Dũ enim vera fiducia Christum mediatorem intuentur, etsi agnoscunt se procul abesse à legis perfectione, tamen statuere possunt, se immunes esse à maledictionis fulmine, se nec accusari nec damnari amplius posse: atq; ita pacem & lætitiam in Deo, adfert hæc consolatio conscientijs. Diligenter igitur scripturæ testimonia de totius legis abrogatione animis nostris infigenda sunt. Matth. 5. inquit Christus: Non veni soluere legem sed adimplere. Dum autem Christus implet legem nostro loco, soluit nos à maledictione eius. Matth. 11. Omnes prophetæ & lex vaticinati sunt vsq; ad Ioannem. Act. 15. Quid tentatis Deum imponendo iugum super ceruices discipulorũ, quod neq; patres nostri neq; nos portare potuimus: & visum est spiritui sancto et nobis, ne amplius imponeremus vobis onera, quàm hæc necessaria. Gal. 4. Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suũ, natum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret. Gal. 5. Ego Paulus dico vobis, quod si circumcidamini, Christus nihil vobis prodest. Ro. 6. Non enim estis sub lege sed sub gratia. Rom. 7. Nunc autẽ liberati sumus à lege, mortui ei, à quo detinebamur.

Hæc illustria testimonia scripturæ de abrogatione legis diligenter imprimenda sunt animis, vt

aduersus grauissimas tentationes, quæ ex lege oriri solent, probè muniti simus.

Omnes enim filij Dei estis per fidem in Christo Iesu.

Liberationem à legis pædagogia Christo exhibito probat Apostolus ab effectu iustificationis, & à proprietate filiorum Dei. Cuius ætas matura est, & iudicium confirmatum, is non amplius indiget pædagogo. Sed filiorum Dei ætas est matura et iudicium confirmatum. A Christo enim donati sunt spiritu sancto, Ergo filij Dei non indigent amplius pædagogo. Hæc non ita accipienda sunt, quasi patres in veteri testamento non fuerint filij Dei, Christo nondum exhibito, aut quod nos in nouo testamento adeò perfecti simus: Sed Paulus confert nunc inter se vetus & nouum testamentum, legis & Euangelij officium, veterem & nouum hominem: tempus veteris testamenti, quo lex valuit, & tempus noui testamenti, quo Christus apparuit. Ostendit Paulus, quo consilio lex promulgata, & vetus testamentum institutum sit, & quam gratiam filius Dei Messias attulerit. Abraham, Isaac, Moyses, Dauid fuerunt omnino filij Dei, & eatenus liberi per fidem à lege, verùm ratione promissionis de venturo Messia allaturo nouum testamentum. Ele-

Eleganter dicit Augustinus lib. 3. ad Bonifac. contra Pelag. Moysen fuisse ministrum veteris et hæredem noui testamenti. Nos verò in nouo testamento, etsi Christo exhibito plus lucis habemus quàm patres in veteri testamento, nam passio mors & resurrectio Christi nobis quasi ob oculos depicta sunt: tamen nondum sumus perfecti, nondum deposuimus omnem carnis vetustatem: atq; eo respectu carnis pædagogia nobis opus est. Verùm hic iam Paulus inter se confert diuersos effectus, cum veteris tum noui testamenti. Vetus enim tantùm generabat seruos: nouum verò constituit nos Dei filios. Ergo Christo exhibito & fide reuelata, pædagogia legis ad iusticiam coram Deo obtinendam non est opus. Diligenter hic consideranda est immensa consolatio, quam spiritus sanctus monstrat pijs mentibus, dum nominat nos Dei filios. Hac enim appellatione nihil glorioſius dici potest. Paulus enim præcipuè respicit illam proprietatem filiorum, quòd libertate gaudere solent, & inter mancipia minimè numerentur. Nos verò vniuersam filiorum Dei gloriam & amplissimam felicitatem animo complecti debemus, quantum quidem in hac vita licet.

1. Prima filiorum Dei gloria & felicitas est, quòd sint reconciliati cũ Deo, & ab æterno patre

verè & paterno amore diligantur. Deus enim omnem peccatorum memoriam abiecit: quodq; liberati sunt à potestate Satanæ, peccati, mortis, inferni, & iam pronuncientur ipsius Dei sententia iusti & sancti in Christo. Vniuersa enim Iesu Christi passio & obedientia ipsis competit. Hinc filius Dei natus ex spiritu nullum metuit hostem, non Satanam, non mortem, non infernum. Scit enim se tanquam filium à Deo diligi, ipsi curæ esse & protegi: Imò gloriatur, se à nemine accusari posse, siquidem ipse Deus pronunciet eum iustum. Vnde Paulus inquit: Rom. 8. Quis accusabit electos Dei, Deus est, qui iustificat.

2. Secunda gloria & felicitas filiorum Dei est, quòd regenerantur, viuificantur, sanctificantur per spiritum sanctum, quem Deus effundit in corda credentium. Vnde Paulus dicit: Quandoquidem filij estis, misit Deus spiritum in corda vestra clamantem abba pater. Quantum bonum sit hæc inhabitatio spiritus sancti, nulla voce exprimi potest, Imò ne cogitatione quidem plenè assequi possumus. Spiritus sanctus per fidem facit nos templa Dei, ita vt tota diuinitas, pater, filius, et spiritus sanctus in nobis habitet. Quemadmodum Christus testatur: Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Ioh. 14. Non est autem otiosus hospes spiritus sanctus in pijs, sed communicat eis summa bona, renouat in ipsis imaginem Dei, expurgat peccati sordes, in mente accendit lucem, voluntatem ornat iustitia, cor implet lætitia Dei, perpetuò gubernat hominem, tribuit ei sapientiam diuinam, erigit eum consolationibus, ac inchoat in eo vitam æternam.

3. Tertia gloria & prærogatiua filiorum Dei est, quod patet ijs semper liber ad Deum accessus in omni tentatione ac necessitate. Licet eis magna fiducia accedere ad Deum patrem & ab eo petere defensionem, auxilium & omne bonum: Sciunt enim se Deo reconciliatos esse: & Deus seipsis obstrinxit, quòd preces eorum exaudire velit. Dulcissimè dixit Christus: Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum: ad Deum meum & Deum vestrum. Reliqua hominum multitudo ad Deum accedere non audet, quin fugit eum, tanquam iratum iudicem. Est enim sibi conscia suæ inobedientiæ, propter quam pœnas metuit. Sola ergo filiorum Dei prærogatiua est, cum fiducia inuocare Deum in omni necessitate, & certò statuere posse, quòd vota nostra nunquam sunt irrita.

4. Quarta filiorũ Dei gloria et felicitas est, hæreditas regni cælorum. Hæc verò tam latè patet

quam mundus ipse, & vniuersa Dei creatura. Non solùm spiritualium bonorum, vt iusticiæ, sapientiæ, vitæ, lætitiæ hæredes simus, sed omnium bonorum & operum, quæ Dei nostri sunt, cæli & terræ & maris, & omnium, quæ in eis sunt. Hinc Paulus dicit, non esse hæredes mundi. Rom. 4. Et hac epistola cap. 4. dicit nos esse hæredes Dei. Et 1. Corinth. 3. Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia inquam vestra sunt, vos autem Christi, Christus verò Dei. Hæc sanè felicitas multò est opulentior, quàm si quis hæres esset omnium Imperiorum, Romani, Turcici, Moscouitici, et omnium quæ sunt in orbe. Ditissimi in mundo Monarchæ ne ad vnam quidem horam vitam suam prorogare possunt, ne leuissimis quidem morbis dominantur, nec omnia sunt in illorum potestate, quorum titulis gaudent. At filius Dei constituitur hæres & dominus vitæ & mortis, cæli & terræ, angelorum & omnium creaturarum. Hæc si firma fiducia amplecti possemus, & sine hæsitatione perpetuò hanc nostram gloriam & felicitatem in conspectu haberes; magno robore spiritus superaremus omnes ærumnas, exilia, opprobria, pericula, calamitates, & ipsam mortem nihili faceremus, Satanæ tyrannidem rideremus, atque omnia

nia in hac vita nobis dulcesserent. Verè pij, qui promissioni Euangelij adsentiuntur, & spiritu Dei recreantur, gustum aliquem percipiunt: verùm ipsa felicitas filiorum Dei & plena beatitudo reposita est nobis in cælis.

Quotquot enim baptizati estis in Christum, Christum induistis.

A B instrumentali causa nostræ regenerationis & ab efficacia baptismi probat nos esse Dei filios. Qui Christum induit, in ipso Christo viuit, est membrum Christi, vegetatur à spiritu Christi, ac proinde Dei filius est. Còm ergo baptismus, vt lauacrum regenerationis in hoc institutus sit, vt per eum recipiamur à Deo in gratiam, Christo inseramur, & ipsum induamus: manifestum est, eos esse filios Dei, qui in Christum baptizati sunt. Verba baptismi disertè hoc volunt: Baptizo te in nomine patris & filij & spiritus sancti. Ipse Deus hoc lauacro testatur & obsignat, se esse patrem tuum, se remittere omnia peccata, recipere te in gratiam, & adscribere te hæredem vitæ æternæ. Diligenter obseruandus est hic locus de efficacia Baptismi, quòd per eum renascamur, renouemur, Christo inseramur, & filij Dei efficiamur. Disertè enim Paulus inquit: Quotquot in Christum baptizati

estis, Christum induistis. Ratio humana vilipendit baptismi sacramentum. Aquæ enim aspersionem tantùm intuetur. Dei verò mandatũ & verbum non attendit: nostrum verò est spiritus sancti oraculis adsentiri, atq; ea firma fide amplecti, quæ diuinitus expresso verbo reuelata sunt. Christus inquit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit regnum cœlorum. Hic disertè adfirmat filius Dei, ex aqua & spiritu homines renasci. Ergo per baptismum liberat Deus hominem ex regno peccati, mortis, Satanæ & inferni, mundat eum ab omni peccato, & recipit eum in gratiam, renouat vires eius, donat eum spiritu sancto, constituit eum filium Dei, & adsumit in hæredem vitæ æternæ. Sic enim placuit omnipotenti Deo, per hoc medium, videlicet lauacrum regenerationis, salutem hominis operari. Hinc Paulus inquit ad Tit. 3. Quando verò apparuit bonitas, et erga genus humanum amor Dei saluatoris nostri, non ex operibus iustitiæ, quæ nos fecimus, sed secundũ misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis ac renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum saluatorem nostrum. 1. Pet. 3. Quod & nos illi figuræ respondens nunc saluat baptisma, non sordium carnis depositio, sed bonæ conscientiæ stipulatio apud Deum per resurrectionem Iesu Christi. Disertè affirmat Petrus baptismum esse medium, per quod Deus salutem in nobis operatur, et esse stipulationem bonæ conscientiæ erga Deum. hoc est, Deum ipsum in baptismo stipulata manu testari, quòd nos recipiat in gratiam. Ad Rom. 6. An ignoratis, quod quicunq; baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus. Sepulti igitur sumus vnà cum illo per baptismum in mortem, vt quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, sic & nos in nouitate vitæ ambulemus. Non dicit Apostolus baptismum esse signum aliquod, quo significetur nos esse socios populi Dei: sed nos per baptismum in Christi mortem sepultos esse, hoc est, à peccatis ablutos, in gratiam receptos, & spiritu viuificatos esse. Grauiter igitur errant Caluinus & Beza, qui negant per baptismum infantes à peccatis ablui, & in filios Dei regenerari. Contendunt enim sanctorum filios vi promissionis: Ero Deus tuus, et Deus seminis tui: ab vtero sanctos esse. Baptismum verò publicum esse testimonium, quòd infantes ad societatem Ecclesiæ pertineant. Hunc errorẽ Caluinistarum hic refellit Paulus, dũ inquit: Quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis. Christũ induere, hîc Paulo est sanguine Christi à peccatis ablui, eiusq; merito à Deo recipi in

gratiam,

gratiam, regenerari per spiritum sanctum in Dei filium, & arctissimè cum Christo copulari; ita vt simus membra corporis eius de carne & ossibus eius: ita vt et ipse in nobis, & nos in ipso simus & viuamus, atq; omnium beneficiorum regni eius participes efficiamur. Totum enim Christi beneficium intelligit Paulus, cum dicit: Christum induistis. Hinc verò manifestum est, nos duplici ratione induere Christum. Primùm per imputationem, cùm nobis æternus pater Christi passionem, mortem, obedientiam & vniuersam iusticiam imputat per fidem, & propter eam nos pronunciat iustos & vitæ æternæ hæredes. De qua inuitione propheta Isaias loquitur cap. 61. Gaudens gaudebo in domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimento salutis, & indumento iusticiæ circumdedit me, tanquam sponsum sacerdotali more ornauit magnificentia, & vt sponsam ornatam monilibus suis. Secundò effectiuè induimus Christum: cùm videlicet Christus nos in fide suo spiritu viuificat, facit nos membra corporis sui, habitat & viuit in nobis, impertit nobis lucem, iusticiam & vitam. Hoc in loco Paulus vtranq; rationem inuitionis, et totum Christi beneficium complectitur. Rom. 13. Paulus inquit: Induite dominum Iesum. Hîc de imitatione loquitur: Imitemini Christi patientiã, iusticiam, mansuetudinem.

Non

Non est Iudæus neq; Græcus, non est seruus neq; liber, non est mas neq; fœmina. Omnes enim vos vnus estis in Christo Iesu.

PSeudoapostoli iusticiam coram Deo in obseruatione legum & ceremoniarum constituebant, ac fingebant Iudæos circumcisos multò propiores esse regno Christi, quàm reliquas gentes, ac humana ingenia in hunc errorem facilè inclinant, vt statuant, externa discrimina rerum & officiorum, legum obseruationes, ritus & exercitia non solùm nos commendare Deo, verùm etiam magnam iusticiæ partem esse. Vt hunc errorem eximat Paulus, & mentes nostras abducat ab omni discrimine externarum rerum, ab omnium legum & ceremoniarum obseruatione, & doceat nos in Christo Iesu nihil prorsus valere, nisi fiduciam veram, quæ in solo Christo acquiescit, & omnia ab illo petit: sublimem tradit sententiam. nec Iudæum nec Græcum, nec seruum nec liberum, nec marem nec fœminam; & rectè hic additur, nec regem nec subditum, nec consulem nec ciuem, nec sacerdotem nec auditorem, nec patrem nec filium, nec præceptorem nec discipulum, & quæ similia sunt diuersorum officiorum

ciorum nomina. Hæc non ita accipienda sunt, ac si Paulus sublato omnium rerum et officiorum discrimine, horrendam confusionem, et veluti chaos quoddam inuehere vellet, quod Anabaptistæ & alij fanatici homines fecerunt. Non ignorat Paulus in hac communi vita & ciuili societate omnino necessariam esse rerum, personarum & officiorum distinctionem: atq; ipse Deus condidit marem & fœminam ad multiplicationem generis humani. Ipse Deus distinxit inter patrem & filium. Honora, inquit, patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. Omnis etiam potestas, vt Paulus testatur, à Deo est, & voluntas Dei est, vt sit discrimen inter regem & subditum, inter consulem & ciuem. Societas humana consistere non posset, nisi huiusmodi personarum & officiorum discrimina seruarentur. Imò non solùm ad politiæ gubernationem et œconomiæ administrationem, verùm etiam ad Ecclesiæ propagationem, in hac vita distinctione officiorum opus est. Vnde Paulus inquit: Deus aliquos constituit apostolos, prophetas, episcopos, doctores, gubernatores. Sic Paulus inquit, discrimina esse donorum spiritus. Hæc verò omnia ad hanc vitam pertinent. In hoc verò loco Paulus loquitur de regno Christi spirituali. In Christo inquit, non est Iudæus neq; Græcus. Id est, iu-

stitia spiritualis non consistit in illo discrimine externarũ rerum. Non ideo plus iuris habes in regno Christi, quia vel Iudæus vel Græcus, vel liber vel seruus, vel mas vel fœmina es: neq; ideo arctiore vinculo coniunctus es Christo, quia vel circumcisus es, vel præputium habes, quia vel consul vel ciuis es: quia vel Apostolus vel Episcopus, vel pastor vel auditor es: neq; ideo à regno Christi alienior es, quia vel circumcisus vel non circumcisus, quia vel diues vel pauper es. Regnum enim Christi, quasi nouum mundum & nouam creaturam constituit. Vetera, inquit Paulus, transierunt, omnia sunt noua. Quicunq; in Christo est, est noua creatura: In hoc regno spirituali Christus est et præstat omnia. Qui fide Christum amplectitur & induit, is omnia habet, cuiuscunq; sit conditionis, status, fortunæ aut sexus: Qui Christum non habet, etiamsi cætera mundana essent & haberet omnia, tamen non participaret regnum Christi. Quemadmodum de Seuero Imperatore historiæ referunt, eum dixisse: Omnia fui, & nihil mihi profuit.

Hic ergo discendum est nobis ingens discrimen esse inter iustitiam spiritus seu regnum Christi, & inter res mundanas, vt iustitiam ciuilem, leges politicas, officiorum discrimina, & quicquid ad hanc vitam pertinet. In Christo Iesu,

Iesu, inquit Paulus, nec præputium, nec circumcisio valet, sed fides, quæ per dilectionem est efficax. Et alibi: Regnum Dei non est cibus & potus, sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto Rom. 14. Turpiter ergo hallucinati sunt pseudoapostoli, qui contenderunt iustitiam apud Deum sitam esse in obseruatione dierum, festorum, ceremoniarum, in circumcisione & sacrificijs. Eodem modo errarunt, qui in distinctione ciborum collocarunt iustitiam apud Deum. Errarunt & Monachi, qui in discrimine vestitus, obseruatione ordinis, abstinentia ciborum, ieiunijs, peregrinationibus ad loca sancta, & austera vita Monastica iustitiæ spem posuerunt. Anabaptistæ dupliciter contra hanc Pauli doctrinam errarunt. Primùm enim sustulerunt officiorum & personarum discrimina, contra mentem Pauli & expressum Dei verbum. Secundò finxerunt iustitiam coram Deo esse propriarum rerum desertionem, omnium rerum communionem, & externam humilitatis simulationem.

Discat ergo lector has fanaticos errores vitare, & sciat Paulum concionari de re omnium summa, videlicet de iustitia spiritus in Christo. Non est Iudæus nec Græcus. hoc est, Ista externarum rerum discrimina, quæ ad Ecclesiæ collectionem & institutionem in hac vita, ad politiam, ad œconomiam, ad medicinam, ad scholas, ad generationem & liberorum educationem pertinent, nihil faciunt ad regnum Christi, neq; illa te vel commendant vel impediunt. Sicuti diuersa horarum spacia in locis diuersis nec iuuant nec impediunt Christianismum: sic perinde est, siue iuxta leges Gallicas, siue Germanicas, siue Polonicas hæreditatem adeas, in officio parentis succedas, & in politia iudicia exerceas. Prorsus alia res est Christi regnum spirituale, in quo omnia noua sunt, & tantùm valent fides, iustitia, pax & gaudium in spiritu sancto.

Omnes enim vnus estis:) hoc est omnes cuiuscunq; conditionis, siue Iudæi siue Græci estis, siue serui siue liberi, siue mares siue fœminæ, vnus homo & vnum corpus estis in Christo. Sæpe Paulus totam Ecclesiam, quæ in mundo colligitur verbo Dei, confert vni homini, cuius caput est, nos verò singuli membra: Qua pictura ostendit nos artissimè cum Christo copulatos esse, Christum in nobis viuere, & nos in ipso, nosq; ipsius spiritu adsiduè vegetari, sustentari & viuificari. Semper attendendum est, Paulum loqui de Christi regno spirituali, non de ciuili hominum societate. Nemo sic colligat: Nos omnes Christiani sumus vnum. Ergo consul non habet plus potestatis quàm sutor vel lictor in vrbe. Ergo pastor

vel Episcopus non magis audiendus est, quàm priuatus quispiam, vel puer, vel fatuus. Ergo filius authoritate par est patri, et nullam ei debet reuerentiam. Hæc pessima consequentia colliguntur: Rerum enim & personarum discrimina ad huius vitæ statum pertinent & in verbo Dei fundamentum habent. Paulus verò ostendit, Christi regnum spirituale in illo externo rerum discrimine non consistere; sed esse bonum cæleste et spirituale. Ita semper regnum mundi seu naturæ, distinguendum est à regno Christi.

Si autem vos Christi, ergo et Abrahæ semen estis, & iuxta promissionem hæredes.

Demonstrat Paulus Galatas baptizatos in Christum per fidem esse iustos coram Deo & hæredes vitæ æternæ, etiam sine legum obseruatione. Extra controuersiam erat Abrahæ & semini eius factam esse promissionem de iustitia & hæreditate vitæ æternæ. Ero, inquit, Deus tuus, & Deus seminis tui: At Christus est semen Abrahæ & Dauidis filius. Cùm ergo Galatæ in Christum baptizati Christum induerint, et Christo sint inserti, manifestum est, eos per fidem sine legum obseruatione & circumcisione esse Abrahæ semen, videlicet spirituale non carnale.

Quòd

Quòd si semen sunt: Ergo iuxta promissionem sunt hæredes, id est, iusti coram Deo, filij Dei, & hæredes omnium æternorum bonorum.

LOCI DOCTRINAE.

1. Primus est. Quòd Ecclesia Dei rectè instituta per Apostolos in errores seduci & præstigijs fascinari possit. Itaq; assiduè lectioni attendendum & precationi insistendum est: falsi doctores verò quàm diligentissimè cauendi.

2. Quòd spiritus sanctus non accipiatur ex operibus legis, sed ex prædicatione et auditu Euangelij. Deq; operationibus spiritus sancti in fidelibus.

3. De imputatione iusticiæ coram Deo per fidem. Quodq; homo non ex operibus legis aut propria dignitate; sed per fidem in Iesum Christum coram Deo iustificetur.

4. De vocatione gentium, ad quas promissio Abrahæ facta de semine benedicto non minus pertinet quàm ad Iudæos.

5. De officio legis prolixè concionatur in hoc capite Paulus & vsu eius spirituali. Docet non ideo promulgatam esse à Deo, vt nos iustificet; sed potius, vt arguat peccata, irã Dei denunciet, terrores incutiat, veluti carcere nos concludat, nobis maledicat, & seriam in nobis pœnitentiã operando veluti pædagogus ad Christum mediatorẽ deducat.

6. *De illustri discrimine inter legem & Euangelium.*

7. *De amplissimo officio Iesu Christi, qui factus est maledictum pro nobis, vt nos in ipso benedictionem & promissionem spiritus per fidem impetraremus.*

8. *De duplici mediatore: Legali & Euangelico. Moyses mediator fuit inter Deum & populum, verùm legis tantùm minister fuit, non reconciliauit populum Deo. Christus verò verus est mediator, qui sanguine suo placat Dei iram & nos cum Deo reducit in gratiam.*

9. *Quòd lex non pugnet cum Euangelio. Vnde Tertullianus rectè dicit: Euangelion est aliud non alienum; diuersum non contrarium. Lex enim per fidem stabilitur. Distincta autem sunt dogmata, vt suprà indicatum est.*

10. *De immensa gloria filiorum Dei, qui per fidem ex spiritu sunt nati.*

11. *De efficacia baptismi, per quem Christum induimus, & omnium beneficiorum eius participes efficimur.*

12. *De illustri discrimine inter regnum Christi spirituale & ciuilem societatem hominum. Discrimina rerum, personarum et officiorũ in mundo necessaria sunt, & ab ipso Deo in verbo sunt instituta, sed ad Christi regnum nihil faciunt.*

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

DIco autem quamdiu hæres puer est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium, sed sub tutoribus & curatoribus est, vsq; ad tempus, quod pater præfiniuit: Sic & nos, cum pueri essemus, sub elementis mundi eramus in seruitutem adacti.

QVemadmodum Paulus similitudine sumpta à carcere & pædagogo, officium & vsum legis declarauit: ita nunc vtitur similitudine à tutoribus & curatoribus desumpta, & illustri pictura ostendit, Christo exhibito nos non esse amplius sub imperio legis, neq; iustificatos in Christo onere legis amplius grauandos esse. Tutorum & curatorum munus non durat diutius, quàm ad tempus à patre præfinitum, quod vbi hæres attigit, sui iuris est, nec regitur amplius à tutoribus, sed tempus à Deo patre legi & toti veteri testamento tanquam tutori

præscriptum, iam elapsum est, siquidem Messias est exhibitus: ergo non amplius indigemus lege & politia Mosaica, vt elementis huius mundi: nec amplius sumus sub legis imperio. Elegans & insignis admodum est hæc similitudo: siquidem legis officium egregiè illustrat, ac docet per legem non contingere nobis iusticiam & vitam. Tutores non largiuntur hæreditatem pupillis, sed relictam à parentibus vel testatoribus. Tutores plerunq; sunt molesti pupillis, & mallent pupilli talibus rectoribus carere. Officium verò tutorum est cauere, ne pupilli vel amittant vel dilapident hæreditatem. Nec verò perpetuò durat officium tutorum & curatorum, sed ad præfinitum tempus: ita & lex non largitur nobis vel iusticiam vel vitam; valde etiam molesta est veteri homini, & mallemus ea carere: inuiti admodum obtemperamus legi, quod indicio est naturam nostram esse immundam & à iustitia Dei alienam. Legis autem officium est, custodire nobis ab alio partam hæreditatem; hoc est, securitatem excutere, ad seriam pœnitentiam nos vocare, vt salutis à Christo partæ efficiamur participes. Non autem perpetuum est legis imperium, vt nec tutorum: sed vbi præfinitum tempus Messiæ aduenit, atq; ille gratia sua nostra illustrat corda; nihil amplius in nos iuris habet. In Chri-

sto Iesu enim matura ætate sumus in filios Dei adoptati, ac ducimur spiritu Dei. Vniuersum tempus veteris testamenti confert Paulus pueritiæ eleganti figura. Nam spirituale regnum Christi non ita fulgebat spiritus sancti donis, atq; in nouo testamento: nec adeò clara & perspicua erant vaticinia omnia, vt in nouo testamento omnia sunt illustrata.

Sub elementis mundi eramus) Legem ipsam & totam politiam Mosaicam, cum omnibus sacrificijs & ceremonijs, vocat mundi elementa. Est quidem lex Dei, non inuentum humanum aut doctrina mundana, sed diuina & cœlestis sapientia, inprimis lex spiritualis, videlicet decalogus: verùm apostolus Paulus respicit hic ad politiam Mosaicam, quam pseudoapostoli maximè vrgebant. Tota politia cum omnibus sacrificijs & ceremonijs, mundana erant elementa, quia huic vitæ seruiebant, tantùm externam disciplinam extorquebant, non erant iustitia coram Deo, nec spiritum aut vitam conferebant. Nec verò tantùm de forensibus legibus & ceremonijs loquitur Paulus, verùm simul ipsum decalogum complectitur: etiam lex moralis est elementum mundi, quia pertinet ad veterem

hominem, coërcet nos, ne contra Deum ruamus, iusticiam ciuilem & mundanam quodammodo exprimit. Tota eius iusticia & exercitium ad vitam in hoc mundo pertinet. Non efficit lex nec largitur iusticiam spiritus, vitam cælestem, et læticiam æternam. Paulus subinde intuetur ingens discrimen inter spirituale & cæleste regnum Christi, & inter regnum mundi. Mundana elementa vocat, non quòd sint ex vel à mundo, sed quòd huic mundanæ te tẽporaneæ vitæ seruiant. Ac dicere vult Paulus, immensum esse discrimen inter sapientiam spiritualem seu lucem illam cælestem, quæ in Christo confert iusticiam & læticiam sempiternam: & inter mundi elementa, videlicet doctrinas & leges, quæ huic mundanæ vitæ seruiunt. Est quidem lex spiritualis & diuina sapientia; verùm nostro respectu considerata, quia natura nostra fracta & immunda est, ita vt nec legis fulmen ferre, nec perfectam ei obedientiam præstare queat, inter mundi elementa refertur: quia huic mundanæ & temporaneæ vitæ seruit, nos accusando, terrendo, coërcendo, & ad pœnitentiam impellendo. Lex in summo vsu suo, mundana tantùm præstat, quia terrores & mortem adfert: est ergo mundanum elementum. Pseudoapostoli summis laudibus euehebant legem & contendebant iusticiam & salutem ex lege

lege petendam esse. Paulus contrà contemptim de lege loquitur, vocat eam ministerium mortis & damnationis, literam occidentem, scriptam atramento, in tabulis lapideis: vocat infirma & egena mundi elementa, vt falsam pseudoapostolorum persuasionem retundat. Non quidem Deum legis authorem aut legem ipsam ignominia adficit apostolus; fatetur enim legem esse iustam, sanctam & bonam: sed propter carnis infirmitatem & corruptionem ita de lege loquitur. Culpa omnis in nobis residet, non in lege, quòd lex vocat infirmum & egenum elementum mundi. Quod impossibile erat legi, inquit Rom. 8. eò quòd per carnem infirmabatur. Item, Quod mihi in vitam datum erat hoc mihi cessit in mortem.

In seruitutem adacti:) Spiritualem intelligit seruitutem, quæ est accusari à lege, premi sensu iræ Dei, in conscientia percelli fulmine maledictionis & obnoxium esse morti æternæ propter peccatum.

Quando autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub legem, vt eos qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum acciperemus.

TEmpus finitæ tutelæ à Deo patre constitutum, & aduentus Messiæ vocat plenitudinem temporis. Hoc enim fuit illud illustre tempus, quo Deus æternus vniuersas suas promissiones, tot seculis in mundo decantatas, tandem impleuit, omnium patrum, & Prophetarum & totius mundi expectationi satisfecit. Vniuersus orbis ingenti desiderio lætum illum diem expectabat, quo saluator mundi nasciturus esset. Vniuerso mundo Deus spem fecerat, venturum illum diem, quo salus omnium gentium apparitura esset. Hoc ergo tempore elapso misit pater æternus vnigenitum filium suum de cælo, ac mundo illum dedit. Magno igitur spiritu Paulus vocat temporis plenitudinem, qua omnes Dei promissiones in natiuitate Iesu Christi impletæ sunt, & vniuerso mundo satisfactum est. Angelus celebrat hanc temporis plenitudinem, cum inquit: Annuncio vobis gaudium magnum, quia hodie natus est vobis saluator, Christus dominus. Doctrina, quæ nobis in hoc breui dicto apostoli proponitur, amplissima est: tantùm capita quædam indicabimus.

Apostolus Paulus hîc docet, quis sit verus Deus, & quomodo agnosci velit. Non tantùm vna est diuinitatis persona, vt Iudæi recentes, Mahometistæ, Sabellius, Arrius, Georgius Blandrata, & alij fanatici homines fingunt; Sed tres sunt in diuinitate distinctæ personæ: Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Vna autem est essentia diuina. Disertè dicit Paulus: Deus misit filium suum natum ex muliere. Ergo alius est pater; alius est filius. Pater non est factus homo, sed misit filium. Filius distincta persona est à patre, & tamen est eiusdem essentiæ cum patre; quia patris vnigenitus est filius, ab æterno natus à patre. Testimonium de Spiritus sancti diuinitate mox sequitur intextu. Ergo personarum in diuinitate descriptiones obseruentur.

Pater est prima persona diuinitatis, æterna, iusta, bona, verax, immensæ potentiæ & sapientiæ, quæ ab æterno genuit filium imaginem suam, & à quo procedit Spiritus sanctus: qui pater vnà cum filio & Spiritu sancto condidit & conseruat omnes creaturas, & filium suum misit in hunc mundum, vt mundus per eum saluus fieret.

Filius est secunda persona diuinitatis, æterna, iusta, bona, verax, immensæ sapientiæ & potentiæ, non facta sed genita ab æterno à patre, estq; patris verbum, & imago substantiæ eius: quæ persona statuto tempore adsumpsit humanam naturam

ram in vtero Mariæ virginis, & constituta est a patre, vt sit victima pro genere humano, redemptor, rex & sacerdos Ecclesiæ: quæ persona cum patre & spiritu sancto condidit & conseruat omnes creaturas.

Spiritus sanctus est tertia persona diuinitatis, æterna, iusta, bona, verax, immensæ sapientiæ & potentiæ, non genita nec facta, sed procedens à patre & filio: quæ persona à patre & filio mittitur, vt homines conuertat & regeneret, & in cordibus eorum accendat lucem, iusticiam, lætitiam, vitam, conscientiæ pacem, & similes motus Deo congruentes: quæ persona cum patre & filio condidit & conseruat cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt.

Secundò docet hic apostolus in domino nostro Iesu Christo duas esse distinctas naturas: diuinam, quæ ab æterno est, et humanam, quæ ex Maria virgine originem habet, easq; vnione hypostatica & indissolubili vnitas esse. Cùm Christum nominat filium Dei, diuinam eius & æternam demonstrat naturam. Non enim intelligit filium Dei adoptiuum, largitate gratiæ adsumptum, sed filium Dei vnigenitum patris essentia natum. iuxta dictum. Psal. 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et Ioh. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Est ergo dominus noster

noster Iesus Christus ὁμοούσιος καὶ συναΐδιος æterno patri. Damnat ergo Paulus blasphemum Arrij & Cerinthi errorem, qui negarunt diuinam Iesu Christi naturam, & eam inter reliquas creaturas reiecerunt. Humanam Christi naturam demonstrat Paulus, cùm inquit: Natum ex muliere. Non dicit apostolus Christum fuisse phantasma aut spectrum, vt Marcion & Manichæi delirarunt. Non dicit Christum carnem suam de cælo attulisse, vt Valentiniani olim finxerunt, & nunc Anabaptistæ nugantur. Non dicit Christi carnem esse guttam essentiæ diuinæ, vt quidam ex Swenckfeldianis mentiuntur: sed dicit filium Dei natum esse ex muliere, hoc est, verum hominem factum esse, & carnem et ossa de carne & sanguine Mariæ adsumpsisse, quod & angelus Gabriel diserte docet: Concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Execrandi sunt igitur Anabaptistarum furores, qui contendunt Iesum Christum de Maria nihil sumpsisse, sed carnem suam de cælo attulisse. Testatur etiam apostolus Paulus, duas in Christo naturas vnione hypostatica vnitas esse. dicit enim filium Dei natum ex muliere. Maria igitur verè fuit θεοτόκος, hoc est Deipara. Vnus enim Christus, est filius Dei & filius Mariæ: non sunt duo filij aut duo domini, sed vnus & idem Deus & homo,

homo, idem ille qui ab æterno natus est à patre, etiam ex Maria virgine est natus: secundum diuinitatem ab æterno natus est ex Deo: secundum humanitatem natus est ex Maria virgine. Turpiter igitur hallucinatus est Nestorius, qui personam Christi deuulsit, & duos constituit filios, alterum Dei, alterum Mariæ, negauit scilicet Deum ex Maria genitum esse. Mariam esse θεοτόκον, negauit Deum esse infantem duorum aut trium mensium: finxit ergo Deum in Christo habitare, eiq; adsistere, quemadmodum in alijs quoq; sanctis habitat Deus. Hic verò pestilens error nullo modo in Ecclesia admittendus est, fundamentum enim salutis nostræ euertit. Immensum discrimen est inter inhabitationem Dei in alijs sanctis, vt in Helia, Paulo, Stephano & alijs, & inter vnionem personalem duarum naturarum in Christo. In inhabitatione Dei in sanctis non fit talis communicatio idiomatum, vt quæ sanctis accidunt, ipsi Deo accidisse dicantur. Stephano patiente & moriente, non dicimus Deum esse passum & mortuum, etiamsi Deus in corde Stephani habitauit. Duæ verò naturæ in Christo ita sunt hypostaticè vnitæ, vt vna agat cum communicatione alterius, & vtriusq; naturæ idiomata toti personæ in concreto rectè tribuantur. Quæ enim corpori Christi acciderunt, illa λόγῳ

λόγῳ propria sibi fecit: & quæ λόγῳ sunt propria, illa propriæ suæ carni communicauit. Hæc vnio personalis fundamentum est doctrinæ de communicatione idiomatum. ἰδιωπάθια, id est appropriatio, est prædicatio de domino nostro Iesu Christo, in qua proprietas sua origine humanæ naturæ conueniens, tribuitur Christo Deo in concreto, propter vnionem hypostaticam. Sic Paulus rectè dicit: Filium Dei natum esse ex muliere. Sic rectè dicimus: Christus Deus accreuit ætate & gratia, sitiuit, & esuriuit, defatigatus est, contristatus est, fleuit, edit, bibit, dormiuit, flagellatus est, passus, crucifixus, mortuus & sepultus est, & tertia die resurrexit. Rectè dixit Paulus: Iudæi dominum gloriæ crucifixerunt. Et Act. 20. Deus sanguine suo redemit Ecclesiam. Non rectè dicitur, diuinitas est nata ex Maria, diuinitas creuit, sitiuit, fatigata, crucifixa, mortua est. Hæ enim locutiones euerterent naturam diuinam; ideoq; ab Ecclesia reiectæ sunt.

Κοινωπάθια, Id est communicatio idiomatum, Est prædicatio de domino nostro Iesu Christo, in qua proprietas diuinæ naturæ conueniens tribuitur Christo homini, propter vnionem hypostaticum. Rectè dicitur, Iesus Christus homo est ab æterno Deus, est spiritus infinitus, de patris essentia genitus, implet cælum & terram, & est conditor

ditor omnium rerum, videlicet secundum naturam diuinam. Pronunciatum enim de persona loquitur. Non rectè dicitur: Humanitas Christi est ab æterno, est spiritus infinitus, est essentia genita à patre, condidit cœlum & terram. Huiusmodi enim locutiones euerterent naturam humanam. Sana igitur loquendi forma de domino nostro Iesu Christo ex Paulo petenda est. De communicatione maiestatis & exaltatione carnis Christi alibi dicitur. Eutychetis quoq; deliria refellit hic apostolus Paulus, siquidem docet, duas in Christo naturas, seruata cuiusq; proprietate, manere. Nominat enim Christum Dei filium propter diuinitatem, & dicit natum ex muliere propter humanitatem. Non ergo sunt confusæ aut inter se mixtæ naturæ Christi neq; in vnam naturam duæ coaluerunt, sed vtraque mansit, seruata cuiusq; naturæ essentiali proprietate. Sicuti in veteri versu dicitur: Sum quod eram, nec eram quod sum, nunc dicor vtrunq;.

Tertiò. Pius lector repetat secum hoc in loco causas cur oportuerit mediatorem nostrum simul esse Deum & hominem. Ita & maiore studio adseruabit doctrinam de duabus in Iesu Christo naturis, & ampliorem ex hac sublimi doctrina consolationem hauriet. Paulus hanc causam monstrat, Quia legem ab homine impleri oportuit: ideo

ideo mediator noster factus est homo, vt nostro loco legis obedientia Dei iustitiæ satisfaceret. Quia verò purus homo legis maledictiorm superare, nec filiorum adoptionem impetrare poterat, mediatorem nostrum Deum esse oportuit. Hic aliæ causæ, quæ passim in verbo De monstrantur, addantur.

Causæ cur oportuit mediatorem esse hominem.

Prima. Quia homo peccauerat & mortem meruerat, oportuit mediatorem fieri hominem, vt mortem pro genere humano subiret. Augustinus inquit: Mediatorem oportuit esse hominem: nisi enim homo esset, non poterat occidi. Et Athasius inquit de incarnatione verbi: Cùm impossibile esset ipsum mori verbum, vt immortalem patris filium, corpus sibi, quod mori posset, accepit.

Secunda. Mediatoris erat agere inter Deum & homines, vt genus humanum Deo reconciliaret; solam diuinam maiestatem sine humanitatis inuolucro non potuissemus sustinere. Hinc Irenæus præclarè dicit lib. 3. Oportuit mediatorem Dei et hominum per suam ad vtrosq; affinitatem, ad amicitiam & concordiam reducere vtrosq; &

facere, vt Deus assumeret hominem, & homo se dederet Deo.

Tertia. Adsumptione humanæ naturæ voluit vnigenitus filius Dei immensum suum amorem erga genus humanum declarare. Siquidem non tantùm in nobis, veluti in templo suo, vult habitare, verùm etiam carnem nostram vnione personali arctissimè sibi copulauit.

Quarta. Euidentissimum exemplum humilitatis demonstrauit nobis vnigenitus filius Dei. Siquidem Deus æternus in tantum se demisit, vt etiam fragilem carnem nostram adsumpserit, Satanæ vero execrandam superbiam hoc exemplo pudefecit. Eleganter Augustinus inquit: Pertinebat ad iusticiam bonitatemq; creatoris, vt per eandem creaturam superaretur diabolus, quam se superasse gaudebat. Rectè idem Augustinus inquit: Ideo à Deo adsumptam esse carnem humanam, vt gratia Dei in nobis sine vllis præcedentibus meritis in homine Christo commendaretur.

Causæ cur oportuit mediatorem esse Deum.

Prima. Nullius creaturæ tanta est sapientia, vt vniuersum Dei consilium intelligat, ac mysterium Euangelij de gratuita remissione peccatorum, & redemptione generis humani perfectum mediatorem omnibus creaturis fuit ignotum. Vnde Ioannes inquit: Deum nemo vidit vnquam. At mediator in hoc constitutus est, vt non solùm legis sapientiam repetat atq; illustret, verùm multò magis, vt arcanum Dei consilium de redemptione generis humani, & Euangelij promissionem de gratuita peccatorum remissione nobis reuelaret, & de æterni patris erga nos voluntate nos redderet certissimos. Oportuit ergo mediatorem esse filium Dei, qui vniuersam patris sapientiam introspicit. Filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Et Iesai. cap. 9. Cùm nominat Christum consiliarium Dei, hanc monstrat causam.

Secunda. Mediatoris officium erat omnium hominum corda, gemitus & consilia introspicere, vt suorum fidelium profundos gemitus & arcanos clamores exaudire, veram fidem ab hypocrisi discernere, consilia & voluntates suorum hostium nosse, & omnes omnium hominum adfectus iudicare posset. Deum ergo esse oportuit. Creaturæ enim hoc est impossibile, Solus autem Deus est καρδιογνώστης.

Tertia. Mediatorem nostrum oportuit esse Deum, vt totam peccati molem in se recipere, totius legis maledictionem perferre, & vniuersam

Dei iram totius mundi peccatis accensam sustinere, placare et vincere posset. Id enim sola creatura non potuisset præstare. Dauid inquit: Si iniquitates obseruaueris domine, domine quis sustinebit. Et Moyses inquit: Deus est ignis consumens.

Quarta. Creaturæ obedientia non fuisset sufficiens ἀντίλυτρον ad impetrandam vniuerso generi humano, vitam, iusticiam & regni cælestis hæreditatem. Vt ergo mediatoris nostri passio & obedientia precium sit perfectum, plenum & sufficiens, pro quo pater æternus omnes credentes pronunciet iustos, donet eos spiritu sancto, lætitia & vita sempiterna, oportuit eum esse Deum omnipotentem.

Quinta. Mediatoris nostri officium erat omni fœditate peccati abolita, & ex natura nostra extirpata, veram in ea accendere atq; efficere iusticiam, cum voluntate Dei congruentem, atq; etiam omnibus naturæ nostræ vulneribus sanatis, & morte prorsus abolita, nouam vitam restituere, atq; omnes vires renouare, vt absque omni defectu in vera integritate cum Deo beati simus. Hæc verò neq; per hominem, neq; per angelum, vel vllam aliam creaturam possunt præstari. Renouatio enim & restitutio lucis, iusticiæ, vitæ, ipsius Dei opus est. In propheta Iesaia inquit

quit Christus cap. 34. Ego, ego sum, qui deleo peccata tua. Et Iohan. 10. Ego vitam æternam do eis. Iohan. 5. Ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et Ierem. 23. Hoc est nomen quod vocabunt eum, Iehoua iusticia nostra.

Sexta. Non potuit mediator noster esse, nisi æternus & omnipotens Deus. Creatura enim sola non potest vniuersæ Ecclesiæ esse caput, singulis membris omnibus in locis adesse, ex omnibus eripere periculis, omnia largiri bona, tam spiritualia quàm corporalia. Noster verò mediator debuit esse summum caput, perpetuus custos, assiduus defensor & omnipotens saluator Ecclesiæ, omnibus temporibus, omnibus in locis, in omnibus necessitatibus & periculis semper præsto esse debuit: singulis membris sui corporis per vniuersum orbem dispersis debuit adesse, omnium fidelium gemitus & vota exaudire, omnes Ecclesiæ hostes reprimere, suos ex omnibus periculis eripere, omnia necessaria largiri, in omni difficultate succurrere, omni momento salutaria consilia subministrare, & vniuersam omnium fidelium salutem operari, atq; etiam extremum & summum mundi iudicium exequi debuit: quæ sanè tanta sunt, vt quiuis facilè intelligat, non posse hæc præstari, nisi ab ipso æterno Deo. Hinc Christus inquit: Ecce ego vobiscum sum omnibus

diebus vsq; ad consummationem seculi. Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Et Ioh. 10. Nemo rapiet oues meas ex manu mea.

Septima. Vt Ecclesia sanguine mediatoris redempta, & à morte liberata, cum Deo arctissimè copuletur, & diuinæ lucis, sapientiæ & lætitiæ fiat particeps, eget omnino donatione spiritus sancti. Nam sine huius numine, nihil est in homine. Nec quisquam potest Iesum vocare dominum, nisi in spiritu sancto: multò minus potest quis esse templum Dei, & diuinæ naturæ consors fieri, sine spiritu sancto. Cùm ergo spiritus sanctus, qui est æternus Deus & dominus totius mundi, à nulla creatura nec effundi, nec dari possit: oportuit mediatorem nostrum esse Deum, vt nobis tam diuinum munus, & à patre impetraret, & in nos effunderet. Hinc Petrus Act. 2. ait: Christus dextera Dei exaltatus, & promissionem spiritus sancti à patre accipiens, effudit illud, quod nunc videtis & auditis.

Nisi mediator noster esset Deus omnipotens, non satis firmam haberemus aduersus horrendum regnum & immanem potentiam Satanæ consolationem. Non quidem infinita, sed tamen tanta est eius tyrannis, vt Christus nominet eum fortem, qui atrium suum tuto possideat, & principem,

cipem mundi. Constat etiam numerum ingentem spirituum cum Satana cecidisse, & in perniciem Ecclesiæ conspirasse. Vnde ergo certò potuissemus scire, penes mediatorem nostrum, & nos certò fore victoriam contra Satanam, si noster mediator tantùm creatura extitisset. Ne verò vlla nobis daretur ansa dubitandi, idcirco voluit æternus pater, vt vnigenitus filius eius dominus noster Iesus Christus, Deus omnipotens noster esset, mediator & redemptor, qui nobis efficacissimam impertit consolationem. Iohan. 16. Princeps huius mundi venit, & in me non habet quicquam: Confidite in me, ego vici mundum. Cùm fortior superueniens vicerit eum, vniuersa eius arma aufert, in quibus confidebat, & spolia eius distribuit. Luc. 11.

QVARTO. Tradit hîc apostolus Paulus doctrinam de officio Iesu Christi. Non ideo misit Deus filium suum in hunc mundum, vt imperia constituat vel occupet, gentibus dominetur, & partiatur prouincias: neq; vt sit legislator, & veluti alter Moyses iudicet & condemnet mundum. Aeternus pater non constituit filium suum ministrum peccati & mortis, neque misit eum, vt meliora præcepta præscribat, quàm Moyses dedit populo Israël. Satis superq; lex Moysis da-

mnat vniuersum genus humanum: neq; hoc consilio pater æternus misit filium in mundum, vt tantùm perfectum sanctæ vitæ exemplum in Christo haberemus: vt Lactantius loquitur, neq; vt tantùm pro peccato originali satisfaceret, vt Thomas Aquinas loquitur: sed vt morte sua vniuersæ legi pro nostris peccatis satisfaceret, & legis impletione nobis iusticiam & vitam apud Deum patrem impetraret. Quemadmodum Christus ipse officium suum verbis dulcissimis exponit Ioan. 3. Deus enim non misit filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt mundus per eum saluus fiat. Voluit omnino Deus immota regulæ suæ iusticiæ satisfieri. Oportuit igitur mediatorem nostro loco mortem subire, quam Deus inobedientiæ minatus fuerat. Athanasius inquit: Indignum quidem si in verbis suis mentiretur Deus: ac decernente illo mori hominem per mandati præuaricationem, postquam præuaricatus esset, non moreretur, sicq; sententiam diuinam mutaret. de incarna: verbi. Vniuersa creaturæ insolubilia erant argumenta. Veritas Dei æterna et immota est: at dixerat Deus: Quacunq; die comederis de arbore ista, morte moreris. Immota igitur erat sententia Dei, hominem lapsum moriturum esse. Item: Iusticiæ Dei decretum æternum & immutabile est, vt creatura inobe-

nobediens Deo damnetur & abijciatur. At homo fuit inobediens Deo. Ergo immutabili decreto Dei homo erat damnandus & abijciendus. Nullius creaturæ sapientia hæc argumenta dilui potuissent: quod Adam post lapsum in corde suo fatale sensit. Ipse verò æternus pater monstrauit nobis solutionem. Veritas et iusticia Dei æterna & immota est. At pater æternus misit filium in mundum, vt pro genere humano legem impleret, & eos qui sub lege erant, ex maledicto legis, morte, & æterna damnatione redimeret, & æternam salutem illi impetraret. Ita officium est filij Dei, esse agnum Dei, qui tollit peccata mundi.

QVINTO. Quòd filius Dei Iesus Christus mediator noster legem nostro loco impleuerit, testatur amplius, cùm inquit: Factum sub legem, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Idem Christus ipse testatur Matth. 5. Non veni soluere legem, sed adimplere. Dupliciter autem Christus pro nobis legem impleuit. Primùm per solutione pœnæ, deniq; passione & morte. Secundò integra obedientia. Quia nos inobedientia legem transgressi eramus, obnoxij fuimus maledictioni, morti, & damnationi. Hoc verò debitum nostrum in se transtulit filius Dei, ac pro nobis persoluit. De hac persolutione pœnæ loquuntur dicta, Matth. 20. Filius hominis non venit in mun-

dum, vt ipsi ministretur, sed vt ipse ministraret & daret animam suam λυτρον pro multis. Ioh. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ioh. 10. Ego pono animam meam pro ouibus. Ad Col. 2. Deleto quod aduersus nos erat chyrographo, quod nobis erat contrarium per decreta. Iesa. 53. Liuore ipsius sanati sumus. Rom. 8. Quod impossibile erat legi, eò quòd per carnem infirmabatur, hoc fecit Deus, mittens filium suum in multitudinem carnis peccati: & de peccato .i. victima pro peccato, damnauit peccatum. Gal. 3. Christus pro nobis factus est maledictum, vt eos, qui sub maledicto erant, redimeret. Hæc plena consolationis dicta testantur, filium Dei sua passione & morte legi Dei pro nostris peccatis satisfecisse.

Secundò. integra sua obedientia impleuit filius Dei vniuersam legem, vt integra eius iustitia nobis imputari posset. Iesaias inquit cap. 53. Qui peccatum non fecit, & in cuius ore non est inuentus dolus. Et Paulus 2. Corinth. 5. Eum, qui non nouit peccatum, fecit peccatum. i. hostiam pro peccato, vt nos fieremus iustitia Dei in ipso. Rom. 5. Per vnius obedientiam iusti constituuntur multi. Phil. 2. Exinaniuit se ipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Psal. 45. Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. In his dictis consolatio proponitur: filium Dei obedientia sua totam impleuisse legē, vt nobis legis iustitia per fidem in Christum imputaretur. Hæc omnia complectitur Paulus simul cùm inquit: Filium Dei factum esse sub legē. Cargius quidam finxit Christum tantum sua passione nobis vsui esse ad iustificationem, non autem obedientia, abusus dicto: Lex obligat vel ad obedientiam vel pœnam. Sed grauiter hallucinatus est. Lex enim perpetuò obligat nos ad obedientiam etiam pœna persoluta: nec posset alicui contingere salus, nisi integra & perfecta legis obedientia sit ornatus. Hac ergo cùm omnes destituamur, nemo nostrum salutem adipisci posset, nisi Christi iustitia nobis imputaretur. Quando prophetæ et apostoli dicunt: indui nos indumento iustitiæ & vestimento salutis, simul complectuntur & passionem Christi, & perfectam eius obedientiam. Explodendus est igitur error Cargij ex Ecclesia. Diligenter autem infigenda est animis consolatio ingens, quā nobis suppeditat hæc impletio legis per Christum facta. Vna est enim de summis et difficilimis tentationibus, quando conscientia iudiciū Dei in lege patefactum adspicit et fulmine legis terretur. Nullius leonis rugitus tam horrendus est, nullū incendium tam est truculentum adspectu, nullius fremitus maris impetuosi,

nullam

nullum fulmen, nullum tonitru tam est terribile, atque vox legis accusantis immundam conscientiam nostram. Moyse tonante in conscientia: Maledictus omnis qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius, vt faciat ea. homo optare solet, se nunquam natum esse, & si liceret, ex vniuerso mundo se subduceret. Deus enim est ignis consumens. In hoc verò sensu iræ diuinæ consolatio efficacissima est, quòd Christus nostro loco legem impleuit, non solùm mortem pro nobis obeundo, sed etiam perfectam obedientiam præstando, vnde in fide gloriari possumus, nos in conspectu Dei ornatos esse perfecta legis iustitia, siquidem Christi obedientia nobis imputatur.

SEXTO. Paulus docet duplicia Christi esse beneficia. Primum est: Redemptio ex maledictione legis, liberatio à peccato, à morte, à potestate Satanæ, ab inferno, & reconciliatio cum æterno patre, atq; imputatio iustitiæ. Alterum beneficium est adoptio filiorum Dei, quæ est donatio spiritus sancti, viuificatio, renouatio & salus æterna.

Quoniam autem filij estis, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra, clamantem Abba pater.

Alterum Christi beneficium videlicet adoptionem filiorum & viuificationem illustrat Paulus, monstrat ipsam causam efficientem, videlicet ipsum spiritum sanctum, ostendit etiam signa, ex quibus certi esse possemus, nos verè Deo reconciliatos esse, & spiritum sanctum in nobis habitare. Aeternus pater non solùm remittit nobis peccata, & pronunciat nos iustos propter filium, verùm etiam viuificat & renouat nos spiritu suo sancto effuso in corda nostra, vt incipiamus obedire Deo in hac vita, & motus cum Deo congruentes in nobis accendantur. Ipse Deus vult in nobis habitare, ac suam lucem & sapientiam nobis communicare. Multiplex autem doctrina in hoc dicto proponitur Ecclesiæ.

1. Primò. Paulus nominat spiritum sanctum tertiam personam diuinitatis spiritum filij Dei. Manifestum est ergo, quòd spiritus sanctus tam à filio quam à patre procedat. Quemadmodum & Ioh. 16. Christus testatur: De meo accipiet & annunciabit vobis. Et Act. 2. Christus dextera Dei exaltatus & promissionem spiritus accipiens à patre effudit hoc quod videtis & auditis.

2. Docet Paulus duplicem esse missionem spiritus sancti. Alia enim est visibilis missio spiritus, quando linguis ardentibus in capitibus apostolorum & reliquorum Christianorum spiritus sanctus

aus conſpectus fuit. Alia verò eſt inuiſibilis effuſio ſpiritus ſancti in corda credentium: vt hoc loco inquit Paulus. & ad Corinth. 3. An neſcitis, quòd templa Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis.

3. Doctrina de inhabitatione Dei in fidelibus diligẽter hic eſt obſeruanda. Paulus inquit: Deus miſit ſpiritum filij ſui in corda veſtra. Deus non ſolùm eſt efficax in pijs, quemadmodum ſol ſua efficacia in terram operatur: verùm etiam Deus ſubſtantialiter præſens eſt in cordibus fidelium, quemadmodum Chriſtus dulciſſimè inquit. Ioh. 14. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem faciemus apud eum. Et Ieſa. 57. Sic dicit excelſus & ſublimis inhabitans æternitatem, & cuius nomen ſanctum eſt. Ego ſimul excelſum & ſanctum inhabito, & cum contrito & ſubmiſſo ſpiritu, vt viuificem ſpiritum ſubmiſſorum, & viuificem cor contritorum. Non poteſt homo in terris maius bonum intelligere, vel ex parte, quàm huiuſmodi Dei inhabitationem & præſentiam. Sic enim omnia habet, verè beatus eſt, viuit in tuto, Deum præſentem habet, quem ſingulis momentis conuenire atq; omnia ab eo petere poteſt: à quo & gubernatur et ſuſtentatur, in morte ſeruatur, & ad vitam æternam transfertur.

tur. Sanctè ergo, caſtè, prudenter, moderatè, modeſtè, temperanter & iuſtè viuant fideles perpetuò, ne tantæ maieſtatis hoſpitem offendant.

4. Cùm Paulus dicit ſpiritum ſanctum effuſum in corda noſtra clamare Abba pater, docet veram inuocationem fieri non poſſe, niſi in ſpiritu, & diſcernit hîc veram fidelium inuocationẽ à murmure idolatrarum. Semper ergo pijs in conſpectu ſint articuli, qui ad veram inuocationem veri Dei pertinent. 1. Primus eſt: vt verum Deum inuocemus, videlicet patrẽ domini noſtri Ieſu Chriſti, eumq; diſcernamus ab omnibus alijs commentitijs numinibus. 2. Secundus, vt Deum patrem in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti inuocemus, hoc eſt, vt non adferamus noſtram dignitatem aut opera, non nitamur noſtris meritis, ſed omnem fiduciam collocemus in immenſam Dei miſericordiam & in meritum domini noſtri Ieſu Chriſti. 3. Tertius, vt mandatum Dei, quo iubet nos omnis generis bona ab ipſo petere, expẽdamus. 4. Quartus. Vt promiſſionem conſideremus, qua obſtrinxit ſe Deus vota noſtra non fore irita. 5. Quintus. Firma fiducia atq; fidei ſemper ſtatuendum eſt, verè exaudiri noſtras preces, qualiſcunq; ſit rerũ euentus, et Deum plura largiri, quàm vnquã petere audeamus. 6. Sextus. Mens noſtra ſemper aliquid à Deo petere debet, cum ſpiritualia tum corpo-

corporalia bona, eo ordine quem ipse Deus nobis præscripsit, & quidem iuxta Dei voluntatem.

5. Paulus insignem hic tradit doctrinam de certitudine fidei & πληροφορίᾳ, quòd pij in Christum credentes certi esse possint de Dei erga se voluntate, quòd verè iusti sint coram Deo, quòd sint filij Dei & hæredes vitæ æternæ, quæ certitudo conscientiæ & immensum bonum est, & lætitiam adfert ineffabilem: Spiritus sanctus habitans in corde nostro excuscitans gemitus & clamans abba pater, viuum dicit testimonium, quòd Deo reconciliati simus, quòd pater æternus nos in filios adoptauerit, & hæredes regni cælorum adscripserit. Non solùm suauissima pax conscientiæ victrix omnium dolorum, quæ sequitur fidem in Christum, testatur nos Deo reconciliatos esse: verùm etiam ipse Spiritus sanctus dat testimonium spiritui nostro, quòd simus filij Dei. Vt Paulus testatur ad Rom. 8. Quemadmodum maleficus sceleris alicuius sibi conscius metuit et fugit iudicem, imò adit eum: ita quamdiu homo non est reconciliatus Deo per fidem, non vocat eum patrem filiali adfectu, nec statuit se diligi à Deo, sed potius metuit Deum, vt offensum et iratum iudicem: vbicunq; potest fugit eius conspectum. Ita propria conscientia testis est, tales non esse Dei filios. Nos verò etsi agnoscimus

mus nostram immundiciem: tamen quia scimus nos Deo per Christum reconciliatos esse, non fugimus Deum, sed magna fiducia eum inuocamus in omni necessitate, & clamamus veris gemitibus, Abba pater. Habemus ergo testimonium euidens in corde nostro, quòd simus filij Dei & hæredes vitæ æternæ. Pontificij docent dubitandum esse de gratia & voluntate Dei erga nos, nec posse nec debere quenquam certò statuere, quòd sit filius Dei & hæres vitæ æternæ, & quidem sine omni verecundia fatentur, se addubitare de Dei gratia. Sic scribit Iacobus Payua Andradius lib. 6. Orthodoxæ explicationis: De me id certè testari possum, quòd certissimè credo, & nulla ratione dubito, mihi ad iusticiam aditum ad patrem, si sincera fide, veraq; pœnitentia ad diuinæ gratiæ thronum accessero: Sed an id verè ac integrè aliquando præstiterim, constare mihi certè nunquam potuit, neque alicui constabit vnquam, nisi singulari Dei beneficio illi fuerit diuinitus reuelatum. Fatetur Andradius sibi non certò constare, an sit in gratia: ergo domestico testimonio conuincitur, quòd non sit filius Dei, nec hæres vitæ æternæ: Vix possent Pontificij se ipsos grauiore sententia damnare. Sciant ergo lectores, Pontificiorum doctrinam prorsus Ethnicam esse, sceleratam atq; blasphemam. Accusat

enim Deum mendacij atq; periurij. Qui enim non credit in Deum, mendacem eum facit; inquit Ioannes. Imò periurij eum arguit. Iureiurando enim confirmauit Deus suam promissionem: nec tamen Pontificius idolatra fidem habet sanctissimo Deo. Doctrina de dubitatione ex Christo mediatore facit seuerum iudicem & crudelẽ tyrannum: fingit enim nolle Christum gratis remittere peccata, sed peccatores tantùm in æternam damnationem abijcere. Dubitatio obstruit fontem omnium consolationum, tollit discrimen legis & Euangelij: imò promissionem Euangelij in vniuersum delet: est perpetua tortura & tristis carnificina conscientiæ, quæ nusquam veram consolationem inuenire potest. Etsi enim promissiones in verbo sunt amplissimæ et vberrimæ, tamẽ Pontificiorũ doctrina contendit eis non esse assentiendum. Sic impedit veram inuocationem, extinguit omnem pietatem, damnat omnes sanctos stultitiæ, quòd Deo frustra crediderint: æternum patrem accusat crudelitatis, vt qui filium sine causa subiecerit morti: filium Dei accusat stultitiæ, qui sine causa peccata nostra in se transtulerit: spiritum sanctum accusat mendacij, qui falsò promittat nobis peccatorum remissionem, cui adsentiri non oporteat: In summa, ex vniuersa religione Christiana nihil prorsus reliquum facit,

facit, & tandem hominem ad desperationem proturbat. Nemini igitur sit dubium ab ipso Satana ex inferis adductam esse pontificiorum doctrinam de dubitatione: nos verò muniamus pectora nostra testimonijs spiritus sancti, in quibus explicatur doctrina de fide, quæ firmus est assensus et certa fiducia, qua statuimus nobis remissa esse peccata propter Christum, et nos esse filios & hæredes vitæ æternæ. Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Hic verò etiã attendat lector, nullam esse doctrinam sub sole, quæ certam reddat conscientiã de gratia Dei, et clementi erga nos voluntate, præter Euangelion Iesu Christi. Quicquid enim homo vel fingit vel suscipit, vel conatur, vel præstat, vel largitur, vel patitur: siue is sit Ethnicus, siue Iudæus, siue Papista, siue Moscouita, siue Turca, siue Anabaptista, siue cuiuscunq; religionis sit: tamen manet perpetuò in dubitatione, nec potest eius conscientia statuere, quòd sit in gratia et filius Dei: destituitur enim spiritu sancto. Camillus, Cymon, Aristides, Palamedes, Fabricius, Scipio, Pomponius Atticus, heroicis virtutibus præditi fuerunt, et res magnas gesserunt: attamen in dubitatione manserũt, num placerent Deo: imò tandem mersi sunt in desperationem, quia mediatorẽ Christum non agnouerũt, vt ipsorum historiæ testantur. Pharisæi et scribæ magna

diligentia iuxta legem vixerunt, ac seſe varijs obſeruationibus exercuerunt: Moyſen quotidie tractarunt in ſynagogis, & tamen de gratia Dei dubitarunt, quia fide in Chriſtum caruerunt. Carthuſianus, Carmelita, vel alius quiſpiam ex Monachis etiam cùm duriſſimam & aſperrimam vixerit vitam, regulas ſuas obſeruauerit ſtrictiſſimè, tamen incertus eſt, num placeat Deo: non enim habent verbum Dei, & ſemper accuſantur à propria conſcientia, quòd non habeant ſatis operum: ſemper dubitant conſcientiæ, num integrè præſtiterint legem. Agathon in extremo agone vociferatur: Aliud eſſe Dei, aliud hominum iudicium. Adeò nulla opera, nec vlla vita quantumuis ſancta, certam reddere poteſt conſcientiam: neq; ipſa lex Dei huiuſmodi certitudinem in nobis efficere poteſt. Maiora enim & ſublimiora opera flagitat, quàm humana noſtra natura præſtare poteſt. Diliges, inquit, dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis viribus tuis, & proximum tuum ſicut teipſum. Hic iam ſi examinet ſe homo, num huiuſmodi perfectam dilectionem Dei & proximi præſtiterit vnquam: conuincitur à propria conſcientia ſe procul ab illa perfectione abeſſe: Vnde neceſſe eſt, eam expaueſcere Dei iudicium: quemadmodum Paulus inquit: Lex iram

iram operatur. Hinc neceſſe eſt omnes homines, qui tantùm legem norunt, & fide in Chriſtum deſtituuntur, non ſolùm dubitare de Deo, ſed etiam in deſperationem ruere: Nam dubitatio proximus gradus eſt ad deſperationem. Deſperatio verò guſtus & initium eſt damnationis æternæ. Euangelion verò de gratuita remiſſione peccatorum propter Chriſtum data, & de donatione Spiritus ſancti per fidem reddit conſcientiam noſtram certam, ita vt firmiter ſtatuere poſſimus, nos verè ab omnibus peccatis liberatos, & Deo reconciliatos eſſe, iuſtos eſſe coram Deo, filios atq; hæredes vitæ æternæ. Euangelion enim monſtrat & offert nobis perfectam Chriſti obedientiam & legis impletionem, quæ nobis per fidem imputatur. Promiſsio æterni Dei, qui eſt ipſa veritas, fallere nos non poteſt, ac vult Deus, vt ei adſentiamur. Deus iureiurando ſuam promiſsionem ſtabiliuit, vt omnem nobis dubitandi anſam eriperet. Chriſtus Ieſus pro nobis crucifixus reſurrexit ex morte, ac demonſtrauit regnum peccati ac mortis per ſe deletum eſſe. Adhæc effundit æternus pater in corda credentium ſpiritum ſanctum, qui clamat abba pater. Ipſa etiam pax Chriſti, quæ fidem ſequitur, & ſenſum humanum ſuperat, viuum teſtimonium dicit in corde noſtro, quòd ſimus Deo reconciliati.

Deniq; ardens inuocatio Dei, læta gratiarum actio, alacris confessio veritatis in periculis, non simulata dilectio proximi & similia ostendunt nos duci spiritu Dei. Hoc est quod Paulus vocat πληροφορίαν. Et Augustinus rectè dicit in hanc sententiam: Credens scit se credere.

Itaq; iam non es seruus, sed filius. Quòd si filius, etiam hæres Dei per Christum.

Ex donatione spiritus sancti, qui clamat in cordibus nostris, Abba pater, probat apostolus, nos non amplius esse seruos, qui lege coercendi sint, sed filios, qui Deo simus reconciliati. Ipse enim spiritus sanctus nos regenerat in Dei filios. Quia verò filij sumus, colligit Paulus nos esse Dei hæredes, hoc est, esse iustos coram Deo, & mundi dominos. Per Christum inquit non per opera, neq; per obseruationem legum. De immensa gloria filiorum Dei, & de amplitudine hæreditatis nostræ dictum est suprà.

Digressio.

Sed tunc quidem ignorantes Deum seruiebatis ijs, qui natura non sunt dij:

dij: at nunc posteaquam cognouistis Deum, magis verò cogniti estis à Deo: quomodo conuertimini denuo ad infirma et egena elementa, quibus denuo seruire vultis: dies obseruatis & menses, & tempora & annos. Metuo de vobis, ne forte frustra laborauerim erga vos.

Postquam apostolus commemorauit summa illa beneficia Christi, & felicitatem cælestem, quam adepti sunt per doctrinam Euangelij, admonet eos prioris infelicitatis et cæcitatis, quòd ignorauerint verum Deum, et coluerint fœda idola; vt in eis excitet maius studium tuendi diuinã lucem & summam felicitatem. Extrema miseria est in tenebris viuere & Deum ignorare: summa verò beatitudo est, viuere in luce doctrinæ cælestis, agnoscere verum Deum, & intelligere beneficia mediatoris. Itaq; summo studio adnitendum est, ne tantum bonum amittamus. Graue est, quod Paulus dicit: Legis obseruatores pares esse gentibus, quæ fœda colant idola: & quòd Mosaicarum ceremoniarum obseruatio sit Ethnica Idolatria: sed habet Paulus grauissimas causas sit loquen-

loquendi: Ante exhibitum Christum Mosaicæ legis obseruatio non erat idolatria, sed obedientiæ erga Deum, præsertim si in fide præstaretur. Qui verò exhibito Messia, & lege abrogata obseruabant dies, tempora & annos, & in hac obseruatione quærebant iusticiam, vitam & salutem, hi non minus idolatræ erant quàm Ethnici. Non enim agnoscebant verum Deum, patrem domini nostri Iesu Christi, qui promissionem suam in Christo impleuerat: non agnoscebant mediatorem Iesum Christum, qui pro nostris peccatis satisfecit, & morte sua nobis iusticiam impetrauit. Imò ipsam legis obseruationem fabricant sibi idolum, siquidem in ea quærunt salutem. Grauissima hæc est admonitio Pauli, qua hortatur Galatas, vt fugiant Pseudoapostolorum præstigias, & persistant in veritate Euangelij, quam à Paulo didicerunt. Hic videmus omnes iusticiarios, Monachos, Sacrificulos, Pelagianos, Anabaptistas, & omnes, qui salutem & iusticiam in operibus vel ceremonijs statuunt, non minus esse idolatras, quàm Ethnicos, qui solem & lunam, boues, capras, crocodilos adorarunt. Adorant enim figmenta suarum cogitationum & opera manuum suarum.

Magis verò cogniti:) Dulcissima est correctio: plus enim est in eo consolationis, quòd cogniti

cogniti sumus Deo, quàm quòd nouimus Deum. Nos enim per speculum videmus in ænigmate, & Deum cognoscimus ex parte, & cum hac luce multum adhuc est in nobis caliginis, quæ abolebitur in vita æterna. At cognitio Dei, qua nos nouit, purissima & perfectissima est, ac cognitio Dei simul etiam dilectionis adfectum complectitur. Dominus nouit suos: id est, diligit, fouet, ardenti amore complectitur suos. Christus dulcissimè inquit: Ego cognosco oues meas. hoc est: Ego curam ouium mearum ago diligentissimè, pro eis sum sollicitus, defendo eas, & non patior vllam perire. Ad Moysen inquit Deus: Noui te ex nomine. id est, ardentissimo amore te amplector. Ingentia igitur beneficia Dei monstrat nobis, cùm dicit, nos esse cognitos à Deo.

Ad infirma & egena elementa:) Non loquitur Paulus de doctrina Philosophorum vel legibus humanis vel ceremonijs ab hominibus inuentis. Ac mirũ est sanè quòd adeò contemptim loquatur de lege, quæ ab ipso Deo lata est. Non solùm enim de lege ceremoniali, verùm etiam de morali seu de decalogo loquitur. Hæc cùm sit æterna & immota Dei sapientia: cur vocat Paulus elementa infirma & egena? Sed respondendum est, Paulum respicere legis vsum, ac docere velle, quòd lex non iustificet, nec conferat vitam:

atq; istis appellationibus retundere vult pseudo-apostolorum inanem persuasionem. Hi enim vrgebant circumcisionem, obseruationem Sabbathi, Neomeniæ, festorum, oblationes, vota, incensa, & totam legem Mosaicam, vt necessariam ad salutem, ac contendebant, sine circumcisione & legis obseruatione neminem per fidem in Christum iustificari posse. Ostendit igitur Paulus magno spiritu legi non inesse hanc faculatem iustificandi et viuificandi. Est sanè lex res potentissima, multò potentior ac validior, quàm omnia fulmina & tonitrua in conscientia & in suo foro, verùm ad mortem non ad vitam, ad damnationem non ad salutem. Vnde Paulus dicit: Virtus peccati lex est. Et vt peccatum fiat supra modum peccans peccatum. Et rursus: Quod datum mihi fuit ad vitam, hoc cessit mihi ad mortem. Ita lex validior est cælo & terra, & omnibus imperijs mundi sed ad mortem. Ad vitam verò nihil est infirmius, magis egenum & ineptum. Tantum enim abest, vt nos iustificet vt potius damnet: tantum abest, vt vitam tribuat, vt potius inferat mortem. Subinde enim clamitat: Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius, vt faciat ea.

Elementa nominat, quia vix rudimenta quædam à nobis obtinet obedientiæ. Difficulter tandem

dem extorquet externam disciplinam. Non tribuit lex spiritualem vitam & obedientiam, tantùm veterem hominem inuitum & recalcitrantem vix difficulter absterret ab externis sceleribus. Hæc verò externa disciplina nihil valet ad vitam æternam & spirituale regnum Christi, sed vsu atteritur, & tandem homines cum ea ruunt in interitum. Verè igitur lex est egenum & infirmum elementum: hoc est, quod Paulus passim vrget de legis officio, ad Galat. 3. Quotquot sub lege sunt, sub maledicto legis sunt. Et ibidem: Nam si lex data esset, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iusticia. Hebr. 7. dicitur: Eius mandatum fuisse infirmum & inutile, igitur abolitum esse. Ad iustificationem nimirum & salutem efficiendam inutile erat mandatum. Lex enim est ministerium mortis & damnationis. 2 Corinth. 3. Cauendum est igitur, ne in lege iusticiam & salutem quæramus. Hinc liquet quàm turpiter errent Pontificij, qui adfirmant, omnẽ nostram iusticiam et salutem in hac lege positam esse: Diliges dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum. Quòd si leges diuinæ egena sunt elementa, quo ad vitam & iusticiam; multò magis leges, cere moniæ, ritus, statuta, ordines, & totius mundi atque nationum figmenta erunt egena, infirma & in-

& inutilia elementa ad iustitiam & vitam impetrandam.

Dies obseruatis & menses) Non loquitur de Physicorum & Mathematicorum vel Oeconomorum obseruationibus. Medicus diligens insectione venæ, vel dandis potionibus, non omnino negligit tempora nouilunij et plenilunij. Hortulanus potius crescente quàm decrescente Luna plantat herbas. Hæc obseruatio cùm physicas habeat causas & experientia comprobetur, superstitiosa non est. Paulus verò de Leuitica seu Iudaica, imò Pharisaica obseruatione dierum loquitur, cui attexitur opinio cultus, aut necessitatis, aut quòd in ea consistat nostra salus. Hoc sensu enim pseudoapostoli vrgebant obseruationem dierum & mensium, quasi sine ea iustificatio & salus per Christum in fide nobis contingere non posset. Non enim intelligebant Christum esse legis impletionem. Taxat ergo Paulus hunc Pharisaicum errorem & docet, eum nihil ab Ethnica idololatria differre, fiduciam enim in operibus collocabant. Sic cùm Pontificij dies & menses obseruant; feria sexta & septima abstinant ab esu carnium: Tempore quadragesimali ieiunijs esse macerant: & sanctorum festa obseruant strictissimè: idq; cum opinione cultus, meriti, necessitatis: inter idolatras, qui opera manuum suarum adorant, meritò recensentur.

Ecclesia verò Christi liberrimè obseruat dies festos, tantùm ordinis gratia: quia oportet certa esse tempora, quibus populus conueniat ad audiendas conciones, & peragenda sacra: Non autem statuit hanc obseruationem esse cultum, aut mereri remissionem peccatorum, aut necessariam esse: sed cum absq; scandalo fieri potest, liberè mutat dies festos.

Metuo de vobis ne fortè frustra laborauerim erga vos) Dolorem suum testatur Apostolus, quem cæpit ex lapsu & seductione Ecclesiæ Galatarum: ostendit & metum, & paternam suam sollicitudinem: ne prorsus euertatur illa Ecclesia errore, quam tanto labore eruditit.

Hoc animo semper pius pastor erga suos auditores esse debet, vt sit sollicitus de Ecclesia, & cogitet vno errore totas Ecclesias laudatissimè constitutas euerti posse: Ideo vigilandum est doctrina & precibus. Magni sunt labores, quos sustinemus in ministerio. Varijs obijcimur periculis, adsiduis vrgemur certaminibus: Pijs pastoribus vix respirandi tempus conceditur. Hæc cùm videmus sine fructu abire, hæreticis turbantibus Ecclesiam, & auditores seducentibus; ingens

gens dolor oboritur cordi nostro. Verùm animus semper erigendus est dulcissimis consolationibus: Non erit labor vester inanis in domino. Verbum meum non redibit ad me vacuum. Qui manet in me, & ego in eo, fructum multum feret.

Sitis ut ego, quia ego sum ut vos: fratres rogo vos. nihil iniuriæ mihi feciſtis.

BLanda oratione compellat Galatas, tanquam fratres, rogat eos vt in viam redeant; ne quis calumnietur, Paulum asperitate correptionis dominari velle fidei Galatarum: Potius testatur, se paterno adfectu ipsorum expetere salutem. *Sitis vt ego:* h. est. Eo animo accipite hanc obiurgationem, quo à me profecta est. Vestras admonitiones & excusationes libens accipiam: Tantùm candidè mecum agite. Statuite me pio animo vos castigare, & monere in vestrum commodum & salutem: non vt meæ iracundiæ vel liuori indulgeam. Pij auditores non debent calumniosè exagitare, si quid vehementiore adfectu dixerint pastores. Ad fundamentum doctrinæ imprimis respiciendum est: deinde quo fine ista fiant.

Rogo

Rogo vos.) Spiritus sanctus miscet mandata, commonefactiones, preces, adfectus, promissiones & comminationes: & tentat omnes modos, vt lucretur & in viam reducat hominem.

Nulla iniuria me adfeciſtis:) Ostendit se non habere causam, cur esset in eos animo infenso, aut malè illis vellet, aut vlcisci sese cuperet. Seipsos potius iniuria adfecerant Galatæ: siquidem se salutari doctrina spoliauerant: et errorem pro veritate susceperant in suam perniciem.

Scitis quòd per infirmitatem carnis euangelizauerim vobis prius. Et tentationem meam, quæ fuit in carne mea, non contempſiſtis, neq; reſpuiſtis: ſed tanquam angelum Dei ſuſcepiſtis me: tanquam Chriſtum Ieſum.

AB exemplo proprio Galatarum declaratæ pietatis & zeli reuocat eos ad agnitionem veritatis & pristinum pietatis studium. Antea, inquit, declarastis insignem pietatem, & magnum fidei robur. Etsi enim in magnis miseriis, ærumnis, contemptu et odio mundi prædicaret vobis Euangelion Christi: hoc scandalo tamen crucis offensi

offensi non estis: non abhorruistis à meo ministerio & prædicatione propter varias adflictiones & tentationes, quibus Deus carnem meam exercuit: quod euidens fuit argumentum, fidem vestram in Christum crucifixũ sinceram tum fuisse, & pectora vestra fuisse gubernata à spiritu sancto. Plerique auditores mox resiliunt à prædicatione Euangelij, cùm vident oriri certamina: verbi præcones esse in odio potentum: se cum pastoribus venire in periculum. Multi etiam adeò offenduntur adflictionibus & periculis præconum verbi, vt hinc colligant, non esse veritatem, quæ à tam exosis hominibus circumfertur. Ante annos duodecim, cùm Caluinus publico scripto mihi obijceret mea exilia, quòd Goslaria, Rostochio, Heidelberga eiectus essem: ad stuporem vsq; miratus sum, quid doctori alioquin celebri, qui Euangelion crucis profiteretur, qui & ipse exilia sustinuisset, venisset in mentem, quòd exilia obijceret præconi crucis Christi. Sed cogitaui abreptum iræ vehementia non potuisse attendere, quantam Christo et Apostolis iniuriam inferret, & quàm grauiter seipsum accusaret, dum exilia ministro Euangelij obijceret. Filij huius seculi hoc genere argumentorum vti solent: vt ex ærumnis & exilijs & periculis pastorum, impietatem eorum demonstrare conentur. Quæ ratiocinatio

natio si consisteret, quomodo Iesus Christus toties pulsus, tandem crucifixus: quomodo Paulus, imò omnes Prophetæ, Apostoli & Episcopi suam tuerentur innocentiam. Pij verò intelligunt, isto argumentandi genere nihil futilius, nec quidquam Christiano homine indignius proferri posse. Paulus gloriatur se toties pulsum esse in exilium, toties virgis cæsum: se στίγματα Iesu Christi gestare in corpore suo. Pij ergo, qui Euangelion crucis amplectuntur, adflictionibus, infirmitatibus & tentationibus suorum pastorum offendi non debent. Hanc laudem Galatis tribuit Paulus: Vos, inquit, auidè arripuistis veritatem: Beneficia mediatoris pluris feciſtis, quàm mundi furorem: suscepistis me vt angelum Dei: habuistis fidem meæ prædicationi: in qua consilium Dei vobis exposui. Tantam beneuolentiam & dilectionem erga me declarastis, vt maiorem non potuissetis, etiamsi ipse filius Dei dominus noster Iesus Christus saluator vester corám fuisset.

Quæ erat ergo beatitudo vestra? Testimonium enim tribuo vobis, si possibile fuisset, etiam oculos vestros eruentes dedissetis mihi. Ergo inimicus vester factus sum, veritatem vobis annuncian-

Aa do?

do? Æmulantur vos non bene: Imò excludere vos volunt, vt ipsos æmulemini: Bonum autem est æmulari in bono semper: & non tantùm cum præsens sum apud vos. Filioli mei, quos iterum parturio, donec in vobis formetur Christus. Vellem autem nunc coram esse vobiscum & mutare vocem meam: quia anxius sum in vobis.

QVia pristinæ pietatis ipsos admonuerat, ostendit, quantò tũ fuerint beatiores, quàm nunc sint, cùm sequendo pseudoapostolos perturbatam habeant Ecclesiam et conscientiam. Annon hæc erat (inquit) vestra felicitas & gloria tum? nimirum vera Dei agnitio, quam hausistis ex mea prædicatione: salutaris intellectus beneficiorum Christi, qui vobis ob oculos crucifixus est: pax conscientiæ coram Deo, quam fides in Christum adferebat: Inhabitatio spiritus sancti, qui efficiebat vos templa Dei: amor sincerus Apostolorum: seriũ pietatis studium: insignis zelus tuendi veritatem: robur animi in contemnendo scandala crucis: et optimè constituta Ecclesia. Hac summa beatitudine et gloria nunc pseudoapostoli vos spoliare

liare conantur, falsam doctrinam obtrudendo. Itaq; exhorrescere debebatis ad tantũ periculum.

Testimonium enim vobis perhibeo:) Insigni laude ornat Galatas, dum testimonium illis perhibet, quòd Paulum apostolum inuisum mundo, & variis oneratum ærumnis, ardentissimè dilexerint, ita vt non dubitauerint vel vitam pro ipso profundere. Talis adfectus debet omnino existere in pijs auditoribus erga suos Episcopos et pastores. Summa enim beneficia accipiunt auditores à suis pastoribus: veram Dei agnitionem, intellectum beneficiorum Christi, liberationem à peccato, pacem conscientiæ, salutaria consilia in omni necessitate, efficaces consolationes in omni aduersitate, et contra terrores mortis, & salutem ipsam. Nunquam ergo auditores suis Episcopis et pastoribus satis dignas referre gratias possunt: etiamsi vitam pro ipsis effunderent. Nam & ipsi Apostoli, Episcopi, et pastores vitam suã in discrimen adducunt pro salute auditorum. Indicat autem Apostolus veræ fidei professionem semper cũ periculo vitæ coniunctam esse: Mundus enim odit veritatis alacrem confessionem, nec quidquam minus ferre potest, quàm doctrinæ Christi apertam professionem. Pij verò nihil pluris facere debent: siquidem veritatis confessione & gloria Dei & salus Ecclesiæ continetur.

Num ergo inimicus factus:) Ostendit Galatas non habere iustam causam interpretandi hanc epistolam, quasi ex hostili animo profecta. Cùm enim antea eum dilexerint ardentissimè, nunc verò veritatem illos doceat, & in memoriam reuocet, quæ antea ipsis proposuit: non possunt hinc colligere Paulum mutasse animum, & hostiliter erga eos adfectum esse. Hoc verò mundi furentis proprium est: ardentes odij flammas concipere erga ministros Euangelij veritatem anunciantes. Ministri enim redarguunt opera mundi mala: errores, scelera, blasphemiam, impietatem: & taxant eius superbiam & malitiam: Id indignè fert mundus: Nec curat futuri seculi gloriam, sed hic cupit licenter viuere. Homines sanos autem, & eos inprimis, qui veritatem sitiunt & salutem quærunt, non decet abalienari animo propter veritatis prædicationem.

Aemulantur vos non bene) Potiorem nunc culpam huius lapsus transfert in pseudoapostolos, vt Galatæ posthac circumspectiores sint, & sibi à talibus caueant diligentius. Nominat autem pseudoapostolos zelotas, qui magno studio & ardore hoc agant, vt auditores ad se alliciant, & ipsorum animos occupent & sibi deuinciant. Non hoc student, vt regnum Christi amplificetur, turba-

turbatis conscientijs rectè consulatur, puritas doctrinæ cælestis ad posteritatẽ propagetur, dogmata explicentur, et controuersiæ euoluantur: sed tantum suam stabilire conantur factionem: se volunt suspici: suũ dogma celebrari. Ideo in omnibus concionibus, lectionibus, libris, suum dogma vrgent: perinde ac si parum referret, quid de alijs articulis iutelligas. Quòd si Sectarios, Caluinistas, Osiandristas, Adiaphoristas, Maioristas, Synergistas, Arrianos, Swenckfeldianos, Anabaptistas aspicias, videbis eos totos ardere in promouendis suis erroribus, & amplificanda sua factione. De alijs fidei articulis non ita sollicitos esse. Hic verò non est laudabilis zelus: qui est ardens & seria dilectio Dei, orta ex vera Dei agnitione & fiducia mediatoris, accensa à spiritu sancto, qua pius animus inflammatus & impulsus nihili facit omnia pericula vitæ: et omnes fortunas suas postponit gloriæ Dei: summis autem viribus conatur tueri, vindicare, & propagare sanctum Dei nomen, & tollere idola & blasphemias. Hic Zelus insignis virtus et opus bonum est congruens cum primo præcepto. At ab hoc zelo secundum scientiam, procul abest zelus sine scientia & spiritu, ex errore & adfectu carnis. Vt intempestiuus zelus Saulis interficientis Gibeonitas; Eliab fratris Dauidis; Iosephi & Azariæ Maccab. 6. Se-

ctariorum, non est laude dignus : non enim ducitur spiritu Dei, nec regitur verbo: non quærit Dei gloriam : sed potius nomen Dei prætexit iniustæ suæ cupiditati. At Zelus in Phinea, Elia, Dauide, Ioiada, Matthia patre Maccabæorum, in Samuele, Nobili Nicomediensi, qui discerpsit impium Imperatoris mandatum, laude fuit dignissimus.

Excludere vos volunt.) scilicet à libertate Christiana, & ab amore nostri abterrere, vt tantùm ipsos suspiciatis & admiremini. *Vel excludere nos volunt ab amore vestro, vt ipsos tantùm æmulemini. hoc est, Toti in hoc sunt, vt nostram eleuent authoritatem, & auditores post se abducant, vt soli emineant, & sint in authoritate : Adeò non quærunt, quæ sunt domini Iesu: sed quæ sua sunt : seipsos potius quàm Christum prædicant: suam gloriam et existimationem quærunt. Hæc nota est fanaticorum doctorum, quòd volunt haberi in precio, & alios premant calumnijs & deformationibus, vt soli magnifiant. Dum verò vulgi quærunt applausus, non audent taxare errores & scelera, ne excidant gratia, quam venantur. Caluinianæ Exegeseos author plurimum laborat, vt nomen & doctrinam Lutheri suspectam reddat, eiusq; authoritatem eleuet & opprimat : Philippum verò in cælum vsque tollit : hunc sanctum prædicat : hunc solum vult*

vult suspici : hunc vult, vt præceptorem Ecclesiæ, coli : In huius verba inquirere nefas esse ducit. Cùm Philippus ipse fateatur, se quicquid sanæ Theologiæ intellexerit, à Luthero accepisse: Et negari non possit Philippum in quibusdam post Lutheri obitum impegisse. Hanc impiam æmulationem improbat Apostolus. Pro Christo, pro veritate, pro salute Ecclesiæ zelo ardere debebamus. Hoc Paulus vocat æmulari in bono: Videlicet fide sincera, animo constanti, recto spiritu amare sinceros Ecclesiæ doctores, & non tam ministros, quam ipsum Deum et veritatem respicere. Atq; ita monet Galatas, vt ad pristinum suum amorem erga Apostolum redeant : & non solùm præsentem, sed etiam absentem apostolum amore prosequantur. Non enim de persona Apostolorũ, sed de veritate fidei agitur. Reuerentia erga sinceros Euangelij præcones egregium iudicium est solidæ & bene fundatæ pietatis. Amamus enim eos propter verbum, quod sonant, & propter opus quod administrant, imò propter dominum, qui eos ministros verbi constituit, & cuius gloriæ inseruiunt. Sic Lutherum meritò diligimus & magni facimus, non propter personam, quæ nunc in domino quiescit, nec indiget nostra vel dilectione vel commendatione: sed propter salutarem Euangelij lucem, quam Deus per hoc organon

spiritus mundo restituit, & propter ingentia beneficia, quæ Deus mundo contulit, per hunc seruum suum fidelem. Et hic verus zelus, non solùm præsentes sed & absentes; non solùm viuos sed & mortuos diligit, vt nunc Paulum, Athanasium, Augustinum diligimus, quia doctrina & beneficia ipsorum durant perpetuò. Significat etiam Paulus pios & salutares doctores non tam sollicitos in hoc esse, vt ipsi sint in precio, quam vt ametur Iesus Christus saluator omnium. Sciunt enim hanc regulam esse immotam: Quicunque Christum diligit ex animo, & veritatem Euangelij seriò amplectitur, is non simulatè Christi ministros colit, & veneratur & diligit. Quòd si quis errori applaudit, ab exercitijs pœnitentiæ alienus est, & nomine Christi abutitur, is etiamsi vultu, sermone & officijs magnam præ se fert beneuolentiam: tamen ex animo non diligit pium pastorem, nec vera animi reuerentia colit eum, sed clàm eum prosequitur odio.

Filioli mei quos rursus parturio, donec in vobis formetur Christus:) Paternum suum adfectum et sollicitudinem pro ipsorum salute rursus testatur: vt reuocet eos in viam. ita spiritus sanctus obiurgationibus miscet blandas compellationes, vt ostendat se omnia ad ipsorum dirigere salutem.

Quos

Quos rursus parturio) Metaphora est, qua conuersio & regeneratio electorum, quæ fit voce Euangelij & spiritu, significatur. Psal. Pro patribus tuis nati tibi sunt filij: Constitues eos principes super omnem terram. Et 1. Corint. 4. In Christo Iesu per Euangelium vos genui. Vt in generatione carnali nihil est nostrum, nulla est nostra vel operatio vel cooperatio; sed toti fingimur & efficimur: Ita in regeneratione nullæ sunt partes nostræ; sed tantùm sumus subiectum patiens: regeneramur à spiritu Dei per verbum, quod pij pastores sonant. Parturio, inquit: Vt gerens vterum mulier plena est anxietate, circumsessa est vndiq; multis periculis, singulis momentis est sollicita, & tandem graues sustinet partus labores: Ita pios pastores decet perpetuò esse sollicitos, vigilare, prouidere, monitionibus instare, pericula & scandala vitare, vt generent per verbum filios Dei, viua corporis Christi membra.

Donec formetur in vobis Christus) Embryon formatur, nutritur & fouetur in aluo materna ad iustum vsque tempus, quo in lucem prodeat: quod si ruperit χόριον ante tempus præfinitum à Deo, fit ἔκτρωμα: Sic nos in Ecclesia inclusi tenemur verbo, donec formemur

viua Christi membra. Verbo continemur, verbo nutrimur, verbo regimur, educamur & formamur: fanatica ingenia vagantur extra verbum & ludunt opinionibus. Fiunt ergo ἐκτρώματα, & Ecclesiæ pestes.

Formatur autem in pijs Christus, quando per verbum & spiritum sanctum vera Dei agnitio, sincera fides, dilectio Dei, & spirituales motus in ipsis accendantur: tum enim noui fiunt homines: ex filijs iræ nascuntur filij gratiæ: ex seruis fiunt liberi: ex peccatoribus nascuntur iusti: ex damnatis fiunt hæredes vitæ æternæ. De hac spirituali regeneratione & formatione, loquitur in multis locis spiritus sanctus Psal. 51. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Psal. 87. Homo & homo nascetur in ea. Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit regnum cælorum. Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Gen. 6. Nominantur filij Dei, nimirum qui ex Deo nati fuerant. Psal. 22. Populo qui nascetur, quem fecit dominus. Hac spirituali natiuitate restituitur imago Dei, et nouus homo, qui ad imaginem Dei in iustitia & sanctitate vera conditus fuit. 2. Corinth. 3. Paulus vocat transformationem. Hæc Apostolica loquendi forma insigniter commendat efficaciam ministerij, quòd Deus per verbum summas res operetur: nimirum regenerationem & salutem hominum. Confirmat etiam articulum de mortuorum resurrectione & vita æterna. Non enim frustra accendit Deus in nobis nouam & spiritualem vitam: cuius fructum præcipuum in hac vita non percipimus. Et quia Deus cooptat nos in filios, hæreditatem paternam nobis non est denegaturus. Matthias Illyricus hunc & similes locos de formatione spirituali, impiè depranauit. Formationem enim noui hominis ille de infusione nouæ substantialis formæ exposuit. Formare, inquit Illyricus, transformare, regenerare, creare, renouare, voces sunt substantiam significantes. Ergo quoties homo ad Deum conuertitur, noua ei substantialis forma animæ induitur. Verùm hæc crassa sunt deliramenta Illyrici. Manet enim in conuersione eadem substantia carnis & animæ: qualitates verò mutantur: tenebræ discutiũtur, et noua lux in mente accenditur: Voluntas ad Deum conuertitur: in corde fides, dilectio Dei, et alij motus spirituales accendũtur. Verba ipsa, creare, regenerare, renouare, non nouæ substantiæ effectionẽ: sed diuinæ maiestatis omnipotentem significant actionẽ, qua substantia in melius reformatur, perinde ac si de nouo conderetur. Scriptura dicit, nos transformari à claritate in claritatem, de virtute in virtutem, ex fide in fidẽ, de die

de die in diem: Intelligit ergo qualitatum mutationem. Lutherus, sanctæ memoriæ, non dubitauit adserere, hominis christiani formam esse fidem, qua apprehendimus Christum, & nouos motus, qui à spiritu sancto accenduntur. Cor fiducia præditum, inquit Lutherus, habet veram formam Christi. Prorsus noua & toti antiquitati ignota portenta sunt, quæ Illyricus de infusione nouæ substantialis formæ finxit, quoties homo conuerteretur ad Deum. Quòd si vetus forma substantialis animæ aboleretur & noua infunderetur, non fieret renouatio, sed abolitio et corruptio naturæ. At Dauid inquit: Sana animam meam: non dicit, dele me vel animam meam. Dele peccatum, inquit: sed non dicit, dele animam. Ideo autem dicitur creatio & regeneratio, quia humanis viribus ea effici non potest; sed diuinum planè opus est. Caueant ergo sibi pij ab isto pernicioso Illyrici errore, qui multos fidei articulos euertit.

Optarim nunc vobis adesse, & mutare vocem:) Subinde miscet blandos adfectus, vt suum testetur amorem, & asperitatem correptionis leniat. Ostendit se magno desiderio expetere Galatarum salutem, et se omnia tentare velle, vt reducat ipsos in viam: mallet præsens illos alloqui, quàm absens per literas agere: Literæ enim non possunt se accommodare ad captum & adfectus & varios motus legentium & occasiones. Qui corám est, lenire potest orationem, si quid videtur asperius dictum, interpretari commodè potest, si quid sinistrè accipiatur: si opus est maiore seueritate propter somnolentos & præfractos, acuere potest orationem: Si tristes animos videt indigere consolatione, mox eos erigere potest diuinis promissionibus: Epistola id præstare non potest. Hoc vocat mutare vocem: vel blandius loquerer si opus sit, vel asperius.

Quia dubito de vobis.) Hæreo, inquit, perplexus sum animo, vix statuere apud me possum, quid magis præstet. An lenius vel acrius vobiscum agere debeam: si acrius vos increpem, metuo ne in nimis grauem mœrorem vos conijciam: Si lenius vobiscum agam, metuo ne putetis in errore pseudoapostolorum parum inesse periculi. Non de doctrina sed de suo adfectu & animo dubitat: & qua orationis forma erga absentes potius vtendum sit.

Hactenus Apostolus aliquantulum fuit digressus à disputatione, de liberatione à lege: & grauissimam interposuit castigationem & admonitionem. Cuius digressionis hæc sunt capita. 1. Commonefacit Galatas, ex quibus tenebris erepti

erepti sint per vocem Pauli. 2. Dementiam eorum arguit, quòd seruitutem ament, & libertate proiecta ad seruitutem sponte reuertantur. 3. Paternam suam sollicitudinem & amorem erga Galatas testatur. 4. Hortatur eos ad candorem, pristinum studium pietatis, constantiam in fide, & ardentem dilectionem, qualem antea declarárunt. 5. Accusat & taxat grauiter adsentationem pseudoapostolorum.

TERTIA PARS CAPITIS.

DIcite mihi, qui sub lege esse vultis, legem non audiuistis? Scriptum est enim, quòd Abraham duos habuit filios, vnum ex ancilla, & vnum ex libera. Sed qui ex ancilla, secundum carnem genitus est: qui verò ex libera, per promissionem: quæ allegorica sunt. Nam duo hæc sunt testamenta: vnum à monte Sina, in seruitutem generans, quæ est Hagar: Hagar enim Sina mons est in Ará-

Arabia, pertingens ad Ierusalem, quæ nunc est, seruit autem cum liberis suis. Quæ verò suprà est Ierosolyma, libera est, quæ est mater omnium nostrum.

SVprà absoluerat Paulus insignem tractatum de liberatione à lege, & subiecerat insignem adhortationem plenam adfectibus: Nunc verò redit ad disputationem de liberatione à lege, quam ex ipsa lege demonstrat, explicata historia Abrahæ per allegoriam. Sententia Pauli est: Ipsa lex Mosaica, nimirum historia patris nostri Abrahæ testatur, duplicem esse populum Dei, & duplex pactum. Et ingens esse discrimen inter populum noui testamenti, qui liber est, & inter populũ veteris testamenti, qui seruitute premitur. Qui ex liberis parentibus & genere nobili nati sunt, hi non sunt redigendi in seruitutem. At nos qui in Iesum Christum credimus ex libera et domina Sara, hoc est, ex spirituali matre Ecclesia nati sumus, per promissionem et spiritum sanctũ: Non ergo legis iugum nobis imponendum est, nec sumus sub lege, sed sub gratia, et libertate Christi gaudemus. Prædicat Paulus ingens hoc beneficium, quòd filius Dei Messias nos liberauit à legis maledicto & iugo, & per spiritum sanctum

nos

nos vindicauit in libertatem: Et monet vt summam hanc felicitatem magnifaciamus, & diligentissimè custodiamus. Cuius esset dementiæ, cùm liceat libertate frui, mergere seſe in seruitutem omnium trisissimam. Legis seruum esse, extrema est calamitas: premitur enim ira Dei, maledicto legis, & tyranide mortis, qui est sub lege. Cùm ergo scriptura tota adfirmet, nos ex libera Sara natos esse; nos per Christium ex legis seruitute vindicatos esse, nos filios esse promissionis, & spiritu libertatis donatos: omnium hominum stultissimi essemus, si pateremur per pseudoapostolos iugum legis nobis rursus imponi. Hoc enim esset, pro vita mortem eligere. Hanc grauissimam doctrinam denuo hic explicat Paulus, indicans allegoriam historiæ Abrahæ. Cùm dicit, qui vultis sub lege esse: speciatim accipit legis vocabulum, de ea parte doctrinæ, quæ requirit opera: Cùm verò dicit, legem non audiuistis, generatim accipit, pro doctrina Ecclesiæ, & libris Moysi, in quibus tam promissiones, quam præcepta de operibus continentur. De patrum polygamia non est opus hîc disputare. Consuetudo illa fuit istius seculi: Deus concessit propter multiplicationem populi sui Israëlitici: & Deus verbo approbauit. Deut. 21. Si alicui viro fuerint duæ vxores, altera dilecta, altera odiosa; non poterit filium dilectæ

dilectæ facere primogenitum. Itaq; patres bona conscientia plures habuerunt coniuges, vt Abraham, Iacob, Dauid, Ioas, Elkana. In nouo testamento non conceditur. Ab initio non fuit sic, inquit Christus. Ac leges ciuiles seuerissimè prohibent polygamiam.

DE ALLEGORIA.

SAcra scriptura plena est varijs figurarum luminibus, & picturis elegantissimis. Deus enim salutis negocium depinxit nobis ob oculos, tanquam in tabula, & semper voluit nos de ipsius cogitare voluntate & beneficijs. Ferè omnes historiæ veteris testamenti sunt mysticæ, & per allegoriam significant multa. Allegoria nihil aliud est, quàm continuata metaphora: cùm tota oratio est figurata, & aliud verba sonant, aliud verò per similitudinem intelligitur. Vt Ieremiæ 31. Populus Israël in ore habebat: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Hoc est, patres peccauerunt, & liberi plectuntur. Canticum Iesaiæ cap. 5. de vinea in cornu filio olei, totum est allegoricum. Et ipse propheta exponit allegoriam. Vinea est populus Israël: vites sunt ciues Ierosolymitani: Labruscæ sunt impietas, idolatria, & omnis generis peccata. Iob. 6. Qui timent pruinam irruet super eos

nix: hoc est, qui fugiunt miserias piorum, incidunt postea in longè atrociores calamitates. Eccles. 10. Qui ruperit sepem, mordebit eũ coluber. Hoc est, qui turbat concordiam Ecclesiæ, et author est dissidij, grauissimè à Deo punietur, & attrahet sibi atroces calamitates. Totum canticum canticorum est perpetua allegoria, de immenso amore filij Dei Messiæ, erga dilectissimam sponsam suam Ecclesiam. Sic 12. cap. Ecclesiastæ de sene moribundo, totum est allegoricum, varijs scatens metaphoris, quibus partes corporis humani pinguntur. Et omnium sapientũ sermones pleni sunt allegorijs, picturis et allusionibus. Sic et in scriptis Propheticis multa sunt allegorica: sed ea rectè accommodanda sunt, & semper opera danda, vt expositio sit analoga fidei. Nec tamen omnia scripturæ dicta in allegoricum sensum contorquenda sunt. Sicuti Origenes passim lusit allegorijs, et verũ scripturæ sensum sepositi et neglexit, in multis locis deprauauit. Veteres quidam interpretes in nobilissima illa promissione: Ponam inimicitias inter te & mulierem, inter semen tuum & semen mulieris, ipsum conteret caput tuũ: allegoriam quæsiuerunt. Mulierem interpretati sunt rationem inferiorem: Semen mulieris, operationẽ eius bonam: semen serpentis, suggestionem eius prauam. Quod Deus dicit: Ponam inimicitias inter

inter te & mulierem: intelligendum esse de lucta illa, cùm diabolus mediante suggestione mala, oppugnat rationem inferiorem, quæ est mulier, vt si consentiat delectationibus, deijciat Satan per eam virum, hoc est, rationem superiorem. Hoc sanè non est explicare, sed peruertere sacram scripturam, ex qua nobis salus est petenda. Regnum spirituale constituit in illa promissione æternus pater, & promisit semen mulieris, hoc est, Iesum Christum vnigenitum filium suum venturum in mundũ, vt destrueret opera diboli, & nos à morte et inferno liberaret. Basilius conc. 2. in ἑξαὴ: queritur, esse quosdam interpretes, qui omnia in allegorias transforment. Aquas supra firmamentum exponant, spirituales virtutes, et angelos bonos: Aquas verò sub firmamento, interpretentur spiritus malos. Sed valde grauiter dicit: τὰς ἢ πιθάνας λόγες ὡς ὀνειράτων ψυχρίσας καὶ γραωδεῖς μύθες ἀποπεμψάμθνοι, τὸ ὕδωρ ὕδωρ νοήσωμθμ. hoc est, Huiusmodi sermonibus tanquam somniorum compositionibus & anilibus fabulis reiectis, aquam aquam intelligamus. Adeò vsitata fuit illa ratio allegorizandi apud veteres, Vt & Augustino in prioribus scriptis adhæserit. Nemo certè eruditus illam allegoricam interpretationem probare potest, quæ apud Augustinum extat lib. 13. confess. cap. 24. Vbi lucem interpretatur

iuſtam animam, tenebras iniuſtam animam, firmamentum Prophetas & ſcripturam, Mare impios, aridam animam piam, animam viuentem, opus miſericordiæ. Item terra producat animam viuam, id eſt, motus animæ pios: et quæ ſunt eius generis. Commentarius in pſalmos, qui ſub nomine Hieronymi fertur, dictum Pſalmi: Qui dat eſcam omni carni, & pullis coruorum inuocantibus eum: allegoricè exponit, et coruos dæmonas interpretatur, & eorum cultores: pullos coruorum eos, qui ex idolorum cultoribus nati ſunt. Hæc & falsò & ineptè dicuntur: & magis obſcurant quàm illuſtrant ſcripturam, imo euertunt eam. Nec minus inepti fuerunt, qui tradiderunt quadruplicem ſcripturæ ſenſum, & ſingula pene dicta quadrifariam expoſuerunt. Primùm hiſtoricè iuxta literam, deinde tropologicè, tertiò allegoricè, quartò per anagogen. Vt hiſtoricè vel grammaticè Hieruſalem ſignificat ciuitatem: tropologicè interpretati ſunt de politia & gubernatione: deinde allegoricè de Eccleſia militante: quartò per anagogen de vita æterna. Atq; iſto modo neceſſe fuit multa valde violenter contorquere. Fuit autem hoc figmentum indoctorum hominum, qui non attenderunt, quænam figuratè, quæ propriè dicta eſſent: vbi allegoria locum haberet, vbi non. Si omnes ſcripturæ ſententiæ in

tiæ in tam diuerſos & varios ſenſus torqueantur, quid certi erit in tota ſacra ſcriptura. Hæretici, Manichæi, Angelici, Apoſtolici, & alij, pleraq; in allegorias transformarunt: quia putârunt ſe campum habere iſtic liberum pro arbitrio ludendi & opiniones fingendi. Auguſtinus lib. de Gene. ad literam imperf. ſcribit, ſuo quoque tempore fuiſſe ſcripturarum tractatores, qui quatuor modis ſcripturam expoſuerint. Primò ſecundum hiſtoriam: ſecundò iuxta allegoriam: tertiò ſecundum analogiam: quartò ſecundum ætiologiam. Hiſtoriam vocârunt, cùm res geſta commemoratur: Allegoriam, cùm figuratè dicta intelliguntur. Analogiam, cùm veteris & noui teſtamenti congruentia demonſtratur. Aetiologiam, cùm dictorum factorumq; cauſæ redduntur. Hæc quidem diuerſa ratio interpretandi, non varias & diuerſas ſcripturæ ſententias adfinxit, ſed ordinem in interpretando diuerſum monſtrauit. Sciamus ergo, non omnia dicta ſcripturæ in allegoricum ſenſum pertrahenda eſſe. Grauiter & eruditè inquit Epiphanius: πάντα τὰ θεῖα ῥήματα οὐκ ἀλληγορίας δεῖται ἀλλὰ ὡς ἔχει· θεωρίας δὲ δεῖται καὶ αἰσθήσεως, εἰς τὸ ἑκάστου ἐκάστης ὑποθέσεως δυνάμιν. *h.e. Non omnes diuinæ ſententiæ allegoria egent, ſed vt ſe habent, accipiendæ ſunt: conſideratione autem et*

sensu indigent, ad intelligendam vniuscuiusq; argumenti vim. Attendendum est, vbi nam scriptura figuratè loquitur, vbi propriè. Quando Christus dicit: Si dexter oculus scandalizauerit te, erue eum: manifestum est, Christum non præcipere mutilationem corporis; sed de amicis, qui nobis perinde cari sunt atque oculi, deserendis; quando nos in pietatis studio impedire conantur. Quando Christus ad Iacobum & Ioannem filios Zebedæi inquit: potestis calicem bibere, quem ego bibiturus sum? manifestum est eum de subeunda cruce, adflictionibus & tum imminente passione loqui. Matth. 9. inquit Christus allegoricè: Nemo frustum panni rudis adsuit vestimento veteri: aufert enim supplementum & peior ruptura fit. Et nemo vinum nouum in vtres veteres mittit: rumpuntur enim vtres, & vinum effunditur. Per veterem vestem, & veteres vtres hîc significantur homines carnales nondum renati, sed veterem tantùm carnem circumferentes, nondum intelligentes doctrinam Euangelij de beneficijs mediatoris. Hîc non conueniunt dura exercitia ieiuniorum & abstinentiæ. Aut enim inflant eos superbia propriæ iusticiæ opinione, aut prorsus deterrent eos à studio pietatis. Atq; ita rumpuntur vtres. Prius docendi sunt homines de regeneratione, de fide in mediatorem, de beneficijs regni

ni Christi, de auxilio spiritus sancti: Tum nouum vinum, cæremoniæ & exercitia pietatis, nouis vtribus committi potest. In huiusmodi dictis Allegoria locum habet. Alia verò sunt dicta scripturæ, quæ propriè loquuntur: ideóque per allegoriam nequaquam sunt contorquenda. Vt, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam. Verba decalogi: Honora patrem & matrem. Non occides. Non mœchaberis. Et promissio Euangelij: Miserebor cuius misereber: & clemens ero, cui clemens fuero. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. In huiusmodi sententijs allegorias fingere nihil aliud est, quàm euertere sacram scripturam, & ex oraculis altissimi Dei, quibus salus nostra continetur, ineptos atque nefarios ludos agere. Alia ratio est, in historijs veteris testamenti & cæremonijs Mosaicis, quæ omnes typi sunt, rerum spiritualium in regno Christi. Hîc singula prius iuxta historiæ veritatem intelligenda sunt, & vt verba iuxta Grammaticam sonant: deinde imagines rerum spiritualiũ, quæ significantur, concinnè & iuxta ἀναλογίαν fidei inquirantur. Scitè & eleganter Augustinus lib. 6. de gen. ad lit. Proprietas rerum gestarum, primitus, in huiusmodi narrationibus, omni

obseruatione fundata est. Et lib. 8. Proprijssimè primitus accipiantur ad literam: deinde ex illis, quid etiam futurorum res illæ gestæ significauerint, exculpatur. Veræ enim narrationes sunt rerum gestarum, in quibus tamen latent significationes rerum figuratarum. Verissima est rei gestæ historia, quòd Abraham filium Isaac mactare & Deo offerre voluerit. Significatum est autem generi humano ista historia, quòd pater æternus non esset parsurus proprio & vnigenito filio, sed traditurus eum in mortem propter peccata nostra, & in redemptionem nostri. Verè res ita gesta est, vt scribit Moyses: Quòd Pharaone cum exercitu submerso, populus Israël per mare transiuit & saluatus est. Noster Pharao est Satanas, qui genus humanum tenet captiuum, nec vult dimittere. Tandem Deus per filium educit Israëlem ex seruitute. Satanam demergit in lacum sulphureum, credentes in Christum, per omnis generis miserias & mortem ipsam deducit in vitam æternam. Rem verè gestam narrauit Moyses, cùm scribit, se Dei iussu æneum serpentem erexisse, & omnes, qui eum aspicerent, sanatos esse. Allegoriam verò in se transtulit Christus: Quemadmodum Moyses serpentem exaltauit in deserto: sic exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat

habeat vitam æternam. In hunc modum Paulus Abrahæ Patriarchæ historiam ad allegoriam transfert: plena enim fuit imaginibus rerum spiritualium, quia Deus constituit eum patrem multarum gentium. Abraham est imago æterni Dei. vt ille duas habuit coniuges: ita Deus duos habet populos. Agar est imago Synagogæ & veteris testamenti: Sara est imago Ecclesiæ electæ, & noui testamenti: Ismaël repræsentat eos, qui sunt ex lege, & secundum carnem sunt filij Abrahæ: Isaac significat per fidem liberatos à lege, per spiritum regeneratos, & electos ad vitam æternam. Hac illustri pictura, quæ in historia Abrahæ, quam legem vocat Apostolus, extat, illustrauit Paulus doctrinam, quam suprà argumentis demonstrauit, iusticiam nimirum & vitam non prouenire ex lege, neq; ex viribus arbitrij, neq; ex operibus legis; sed ex promissione per gratuitam misericordiam Dei, nos per spiritum regenerantis, & in gratiam propter filium recipientis, & gratis per fidem saluantis. Vrget Paulus quòd Ismaël ex ancilla secundum carnem est natus: Isaac verò ex libera secundum promissionem. Sic non illi sunt electa Dei Ecclesia, qui sunt secundum carnem nati, et legi seruiunt operibus: sed qui ex promissione per spiritum sunt renati & per Messiam libertate donantur.

Hæc duo sunt testamenta:) Etsi prophetæ de duplici pacto seu fœdere Dei loquuntur, vt Ieremiæ cap. 31. tamen quia in vtraq; similitudine eadem vis inest, Apostoli duo vocant testamenta. Et septuaginta interpretes Ierem. 31. fœdus διαθήκην transtulerunt. Simul enim & pactum & testamentum significat. Apostoli magis delectati sunt voce testamenti, quia pactum hoc, morte vnigeniti filij Dei Iesu Christi confirmatum est.

Duo fœdera seu testamenta esse dicit: Non ergo vnum & idem est substantia, vt Caluinus et Heluetij contendunt. Ipsis enim promissionibus, quæ sunt testamentorum substantia differunt. Lex vitam promittit, sed cum conditione impletæ obedientiæ: Euangelion verò gratis offert iusticiam & vitam credentibus sine legis impletione: Et hac ratione meliores sunt promissiones noui testamenti, quàm veteris. Nec propterea Abrahæ vel alijs patribus in veteri testamento denegatur salus: Ministri enim fuerunt veteris testamenti, sed noui hæredes: vt eleganter Augustinus: Vtrunq; fœdus & vetus & nouum ad Abraham pertinuit: & legis & promissionis. Si Agar vetus & Sara nouum significarunt, testamentum neutrum illi ignotum fuisse constat. Licet apostoli & prophetæ in illa insignia tempora pro-

promulgatæ legis in monte Sinai et exhibiti Messiæ plerunq; respiciant. Alioquin semper à primis Ecclesiæ fundamentis, atq; adeò in Paradiso, & vetus et nouũ testamentum Ecclesiæ Dei patefactum fuit: nimirum lex et promissio Euangelij. Cùm ergo Apostolus diserte dicat, duo esse testamenta, non est reformanda vox spiritus sancti, neque substantia vnum testamentum adserendum.

Dignum quoq; reprehensione est, quod Illyricus in claue scripturæ tria audet adserere testamenta: quasi ille plus aliquantò viderit, quàm spiritus sanctus in apostolo Paulo. Discipulos nos decet esse Apostolorum, non reformatores. Labefactata Apostolicorum scriptorum authoritate, quidnam certi habituri sumus in vniuersa religione Christiana? Meminerimus ergo mandati diuini: Nihil ad verbum meum addas: neq; quicquam detrahas.

Vetus testamentum seu fœdus, est promulgatio legis & constitutio sacerdotij & politiæ in populo Iudaico, in quo obligauit se Deus huic populo, promisit ei vitam æternam et corporalia bona, videlicet certam regni sedem, pacem, defensionem, fertilitatem agrorum, multitudinem sobolis, victoriam, & in tota vita admirandam felicitatem, cum hac conditione: si omnia Dei præcepta seruarent: simul etiam mortem & omnis generis

neris plagas minatus est inobedientibus: In hunc finem, vt populus legis tanquam carcere conclusus teneretur, & ad agnitionem peccati impelleretur: tum vt promissio de Messia adseruaretur. Præcipua ergo pars & fundamentum veteris testamenti est lex, perfectam flagitans obedientiam.

Nouum testamentum seu fœdus est ipsa promissio Euangelij, in qua pater æternus de cælo annunciauit, se generi humano lapso in mortem, vnigenitum filium suum daturum, qui morte sua sit expiaturus peccata mundi, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Ingens discrimen est inter hæc duo testamenta: Primùm quòd legis doctrina congruit quodammodo cum iudicio rationis: Euangelij verò promissio incognita est vniuersæ rationi humanæ. Secundò quòd lex promittit vitam et omnia bona, sed cum conditione impletæ obedientiæ. Euangelion verò gratis sine omni nostra dignitate credenti offert salutem. Tertiò lex accusando terret, damnando morti nos tradit: nullam verò præbet consolationem vitæ: eò quòd eam præstare non possumus. At Euangelion erigit & consolatur perterrefactos, adfert iusticiam & vitam credenti. Hoc in loco Paulus secundum et tertium discrimen vrget, quod lex non adferat libertatem,

tatem, iusticiam & vitam, sed potius generet ad seruitutem, arguat nos de peccato & efficiat mortem.

Vnum inquit testamentum à monte Sina, ad seruitutem generans, quæ est Agar:) Apostoli & prophetæ plerunq; respiciunt in illa maximè illustria tempora promulgatæ legis & exhibiti Messiæ: Alioquin vtrunq; testamentum & lex et promissio perpetuò in Ecclesia fuerunt. Quia verò Iudæi maximè fidebant illa magnifica legis promulgatione, Paulus ostendit, nihil illud testamentum valere, nisi ad seruitutem. A monte Sina cæpit hoc fœdus, quia in hoc monte legem promulgauit, & super ea conditione cum populo Israel pactum inÿt. Hoc testamentum est Agar ancilla, quæ tantùm ad seruitutem genuit Ismaëlem. hoc est: Quantumuis sancta & glorioſa sit lex, admiranda pompa promulgata: & insignem de cælo reuelans sapientiam: non tamen adfert iusticiam & vitam, non constituit nos Dei filios, non perducit nos ad vitam æternam: sed potius redigit nos in seruitutem, concludit nos in carcerem, veluti durus exactor cogit nos, & tandem morti nos tradit. Internam enim spiritualem & perfectam à nobis flagitat obedientiam: quam cùm nemo nostrûm

præ-

præstare possit, tantùm abest, vt nobis iusticiam, libertatem & vitam conferat: vt potius arguat nos de peccato, detrudat in carcerem, impleat nos terroribus, & morti adiudicet. Comminatio illa seuerissima: Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus quæ scripta sunt in libro legis huius, pars est veteris testamenti: Cùm ergo nemo Iudæorum permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vetus testamentum omnibus denunciauit maledictionem. Hæc est tristis illa seruitus, ad quam lex seu vetus testamentum veluti ancilla Agar populum legis generauit, nimirum vacare iusticia Dei, seruire peccato, esse mancipium peccati, maledici à lege, conclusum esse sub peccato, obnoxium esse morti, & plus quàm ferreis catenis vinctum esse ad æternam damnationem. Ergo ex lege non est iusticia: nam iusti sunt liberi à peccato, ducuntur spiritu Dei, sunt filij Dei, fruuntur vita, & sunt hæredes salutis æternæ: quæ omnia ex diametro pugnant cum illa tristissima seruitute, quam adfert lex. Magna ergo stoliditas erat, quòd Galatæ ex lege adeò atrociter nos damnante, quærebant iusticiam & salutem. Moyses ipse, quatenus est minister veteris testamenti, & nihil nouit præter decalogum, est seruus peccati, & premitur maledicto legis: est obnoxius morti

morti & damnationi. Dauid rex felicissimus, quatenus est minister veteris testamenti, & tantum intuetur decalogum, est peccati seruus, non est Dei filius, non habet spiritum sanctum, non est liber spiritu, non est hæres vitæ æternæ: Lex enim accusat ipsum, vt omnes homines, vnde inquit: Ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Quòd ergo liberi facti, quòd iusticiam consecuti, quòd spiritu & vita donati sunt Moyses, Dauid et alij veteris testamenti ministri, beneficium est promissionis gratiæ, quæ est nouum testamentum.

Agar enim Sina mons est in Arabia) Chrysostomus & Theophylactus fatentur montem Sina Arabum lingua nominari Agar. Monet Paulus veteris testamenti proprietatem & efficaciam ex ipsa appellatione petendam esse. Cùm Sina appelletur Hagar, populus veteris testamenti, quod in Sinai monte cœpit, non potest de libertate gaudere: Ex Agar enim ancilla nati sunt ad seruitutem. Significat Apostolus Deum varijs picturis adumbrasse populo, quòd ex lege non esset iusticia & vita.

Qui contiguus est ei, quæ nunc est Ierusalem, seruit autem cum filijs suis.)

Mirum

Mirum sanè est, cur Paulus coniungat Ierosolymam cum monte Sinai: cùm tamen ex Sion egressa sit prædicatio Euangelij: ex Sinai promulgatio legis. Verùm Paulus grauissimas habet causas: & vt artifex tractat allegoriam. Obijcere poterant pseudoapostoli, etiamsi populus in deserto oberrans, seruitute & miserijs premebatur: tamen de ciuitate Dei Hierosolyma & ciuibus eius hoc dici non potest. Annon illa ciuitas, in qua tot reges & prophetæ vixerunt, fuit libera? Non inquit Paulus, Ierosolyma quæ nunc est, h. e. terrena illa ciuitas, contermina & contigua est monti Arabiæ Sinai; hoc est, eiusdem est conditionis, cum monte Sinai, pertinet ad testamentum vetus, Regnum quidem hîc fuit sed terrenum & temporale: sacerdotium hîc fuit sed externum: Etiam cùm florentissimum esset regnum Hierosolymis, vt sub Dauide & Salomone: tamen Hierusalem seruiuit cum filijs suis: Illa enim politia & tota lex non conferebant iusticiam, non ostendebant placatum patrem, non dabant spiritum sanctum, non liberabant à peccato, non erat vita æterna: multò magis arguebant Iudæos de peccato, denunciabant Dei iram aduersus peccatum, vrgebant legis maledictionem, redigebant populum in seruitutem spiritualem, & in carceres detrudebant: vt tandem intelligerent, se liberatore et Messia indigere, eumq; ardentius quàm gentes expeterent. Non idcirco condidit Deus politiam Moysis, ædificauit ciuitatem Hierosolymam, constituit regnum Dauidis, & sanxit sacerdotium Aaronis; vt Iudæi de sua iusticia gloriarentur, & perpetuò in terris beati essent: sed multò magis, vt promissio de Messia adseruaretur, vt de naturæ suæ immundicia & prauitate admonerentur, vt per legem de peccato conuincerentur, vt multiplicibus castigationibus de cælo iram Dei aduersus peccatum expenderent, vt quotidie seriò pœnitentiam agerent: vt ex circumcisione, multitudine cæremoniarum & sacrificiorum suam immundiciem colligerent, adsidua legis voce conscientiæ pauores, & mortis metus in ipsis excitaretur: vtq; fatigati legis onere & maledictione, & de suis viribus desperantes, Messiæ aduentum ardenter expeterent, qui ipsos liberaret, à peccato, ab ira Dei, à maledictione legis, à tyrannide Satanæ, à potestate mortis & inferni: & ipsos iusticia, vita, spiritu, lætitia, libertate & salute æterna donaret. Admoneri autem de naturæ immundicie, conuinci de peccato, terreri voce legis, sentire iram Dei, premi legis maledictione, concludi sub peccato, ac veluti in carcere custodiri, fatigari intolerabili onere, adsiduè accusari de peccato, &

morti atq; inferno adiudicari: quæ tota lege, politia & sacerdotio exercebantur Hierosolymis, sanè seruire erat, non libertate spiritus gaudere. Tota ergo ratio legis, Mosaicæ politiæ & sacerdotij, non conferebat iusticiam, vitam, Spiritum, salutem: non constituebat Iudæos filios Dei: sed salus hæc aliunde, nimirum ex promissione de Messia venturo, petenda erat.

Quæ verò suprà est Hierosolyma, libera est, quæ est mater omnium nostrum.) Vt Sara mater Isaac erat libera & domina: ita Ecclesia electa, quæ est cælestis et spiritualis Hierosolyma est verè libera spiritu, iusta & sancta, atq; illa mater est omnium fidelium. Non vocat Paulus Ecclesiam, quæ in cælis est, videlicet angelos & beatos homines, Hierosolymam quæ suprà est: sed cætum Ecclesiæ, quæ in terris voce Euangelij colligitur, intelligit. Hæc Ecclesia non est externum aliquod regnum, vel ciuitas terrena, sed est cælestis Hierosolyma, & ciuitas Dei, & regnum Christi spirituale: quod filius Dei Messias perpetuò tuetur, gubernat, propagat suo spiritu: non muris vel aggeribus, sed diuino fauore munita est hæc ciuitas: semper adest ei omnipotens Dei filius: perpeuò voce Euangelij conuertit homines ad Deum, & generat in ea Dei

Dei filios: Dispersi sunt ciues huius regni per totum orbem: & tamen omnes inter se consociati sunt, fide, cultu, confessione, ministerio, spiritu, inuocatione, mutua dilectione, & spe vitæ æternæ. Non est ergo terrena hæc ciuitas, vt Hierosolyma, sed est cælestis, vtpote Deo cognita, à Deo electa, diuinitus condita, & semper conseruata. Bifariam ergo Apostoli & prophetæ de Ecclesia Christi loquuntur: aliàs de visibili cætu Ecclesiæ loquuntur, in quo sonat doctrina Euangelij & sacramenta à Christo institutа, sunt in vsu. vt 1. Pet. 2. Vos estis genus sanctum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitus, vt annuncietis virtutes eius, qui vos ex tenebris vocauit, in admirandum lumen ipsius. Hic cætus, quem tam glorioso titulo ornauit Apostolus Petrus, conspici in terris poterat: Et sciri potest, qui nam audiant vocem Christi, vt ipsius oues. At in hoc cætu visibili semper bonis mali mixti sunt: vt paleæ tritico, & reperiuntur inter hos conuiuas, qui nuptiali veste destituantur. Aliàs verò Apostoli loquuntur de electa Ecclesia, & de viuis membris corporis Christi, quatenus sancti & electi soli Deo noti sunt. Vt 2. Timoth. 2. Firmum est fundamentum Dei, habens hoc sigillum, dominus nouit suos. Et Iohan. 10. Nemo rapiet

oues meas ex manu mea. Rom. 8. Quos elegit hos & vocauit. In hunc modum & hoc loco loquitur Apostolus, de electis & sanctificatis Ecclesiæ ciuibus. Ac docet hunc cœtum electorum cognitum Deo, & vocatum per verbum, esse liberum, hoc est, verè liberatum ab ira Dei, maledictione legis, seruitute peccati, tyrannide Satanæ, & potentia mortis & inferni: & donatum esse remissione peccatorum, imputatione iusticiæ, spiritu sancto, libertate cælesti, læticia & vita sempiterna per fidem in dominum nostrum Iesum Christum, pro nobis crucifixum et resuscitatum. Non ergo ex veteri testamento, non ex lege, non ex operibus venit iusticia & libertas: sed tantùm seruitus. Ex promissione verò Euangelij de morte et resurrectione Iesu Christi venit iusticia & libertas per fidem. Nam pater æternus per filium largitur spiritum, per verbum conuertit corda, & gratis cooptat nos in filios, & donat nos libertate & vita æterna. Cælestis ergo illa Hierosolyma, in qua lucet vera Dei agnitio, in qua sonat Euangelion Iesu Christi: quæ est sponsa filij Dei, est mater omnium nostrûm fidelium: hoc est, ex aqua & spiritu renati sumus, Filius Dei Messias dedit nobis potestatem filios Dei fieri. Non ergo ex operibus legis, neq; viribus liberi arbitrij in Dei filios cooptati sumus; sed ex Deo nati

nati sumus, Christo largiente nobis spiritum. Docet hic Apostolus non externam professionem religionis, vel societatem cum Ecclesia, constituere veros Ecclesiæ ciues, sed spirituali renascentia opus esse, vt constituamur filij Dei.

Scriptum est enim: (Iesa. 54.) Lætare sterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis: quia plures sunt liberi desertæ, quàm eius quæ maritum habet. Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filij sumus.

PErpetuam hanc esse doctrinam spiritus sancti in Ecclesia, Filios Dei non ex operibus legis, neq; humano arbitrio; sed ex Deo procreari, & diuinitus verbo promissionis colligi & propagari Ecclesiam, insigni testimonio Iesaiæ prophetæ probat. Sicuti Sara sterilis ex promissione enixa est Isaac: ita filius Dei, Messias maritus et conditor Ecclesiæ, promittit ei numerosam sobolem, & ostendit se verbo generare Dei filios.

Vera Dei Ecclesia semper grauissimis exercetur tentationibus: crescit indies hominum securitas prophana, & ferox impietas: contemptim

habetur ministerium Euangelij: Populus Dei variis schismatibus distrahitur, & horrendis scandalis deformatur. Turbant Ecclesiam blasphemi hæretici: insurgunt in eam crudeles Tyranni: pij doctores interficiuntur, cœtus discentium & docentium dissipantur. Ecclesia premitur paupertate, pellitur in exilium, deformatur calumnijs: & innumeris obijcitur periculis: vnde & Iesaias inquit: O paupercula, tempestatibus acta, & consolatione destituta! Omni enim præsidio & solatio humano orbata est Ecclesia Dei electa. Hinc subinde metuunt pij, fore vt intereat, et penitus opprimatur Ecclesia. Quomodo enim miser Ecclesiæ cœtus sustineat tot potentissimorum tyrannorum furores, & tot sycophantarum & hypocritarum fraudes et dolos! Et cùm ipse Deus sæpe sinat euerti nobilissimas Ecclesias & scholas, in varia loca dispergat doctores, ratio aliud colligere non potest, quàm actum esse de Ecclesia. Eversa Hierosolyma, templo deleto, collegio sacerdotum dissipato, & populo in captiuitatem abducto, & per varia regna dispersos; quid aliud pij cogitare potuerunt, quàm Ecclesiam et veritatem prorsus interituram. Sic oppressis Iudæis per Antiochum Epiphanem, et collocatis idolis in templum Dei, pij metuerunt, ne penitus deleretur sanctorum semen. Sic Romanis imperatoribus passim

sim trucidantibus pios, et comburentibus sacros codices, et summa seueritate interdicentibus Christianorum conuentus, anxiè sollicita fuit Ecclesia ne prorsus extingueretur. Ardente bello Schmalcaldico, cùm passim doctores Euangelij pellerentur in exilium, scholæ dissiparentur, et pontificia Tyrannis dominaretur in Germania, pij omnes in metu erant, ne doctrina Euangelij deleretur, & Ecclesia funditus excinderetur. His ergo grauissimis tentationibus piorum opponit spiritus sanctus dulcissimas & efficacissimas consolationes, iubet Ecclesiam lætari & exultare: quia numerosam esset habitura sobolem, et perpetuò conseruabitur.

Mundus iudicat Ecclesiam esse sterilem et repudiatam à viro: Cùm enim ciuili gladio et mundana potentia armata non sit, nec visibile habeat caput, vt cætera regna, existimat ratio eam verbo nihil efficere posse, nec habituram sobolem, nec propagari ad posteritatem, neq; defendi posse contra hostes. At spiritus sanctus ostendit Ecclesiam multò fœcundiorem fore, quàm ea quæ maritum habet. hoc est, Ecclesia magis florebit multitudine fidelium, quàm regnũ Israël, aut alia mundi imperia. Salomon, Assa, Nebucadnezar, Cyrus, Xerxes, Alexander magnus, quasi mariti erant suorum regnorum: ab illis consilium & defensio petebatur. Omnia tamen illa regna, cum omni

multitudine & florentissimis principibus, interierunt. At Ecclesia, quæ sterili & repudiatæ est similis, propter exilia & miserias, & quòd non habet caput visibile : manet perpetuò, semper aliquis est pius cætus iuuocans Deum in orbe. Euangelion sparsum est per Apostolos per omnia regna in totum orbem terrarum : nullis sectis opprimi, nulla tyrannide deleri potuit. Atque ita consolatur Spiritus sanctus Ecclesiam à marito omnipotente, qui est Christus Iesus sedens ad dexteram Dei : qui & condidit Ecclesiam, & fœdere æterno eam sibi desponsauit. Non ergo repudiata est, vt ratio iudicat. Deinde à multitudine sobolis, semper fore aliquos fideles rectè inuocantes dominum, & de veritate testificantes: At in nouo testamento, plures ex gentibus in omnibus regnis ad Christum conuersum iri, quàm in veteri testamento sub regno Israël. Consolatur etiam eam à remissione peccatorum, à collatione impiorum, quæ omnia interitura sunt: à præstantia filiorum, quos spiritus sanctus excellentibus donis ornaturus est, & à felicitate perpetua. Siquidem labor noster non est inanis in domino. Apostolus verò hoc in loco inprimis vrget discrimen inter Ecclesiam coram mundo sterilem, sed apud Deum fœcundam, & inter populum Israël, qui de regno & sacerdotio gloriabatur. Et ostendit fi-

lit filios Dei non generari ex operibus legis, neq; ex sanguinibus, neq; vi liberi arbitrij, neque studio vel voluntate humana; sed ex diuina promissione, Deo propagante suam Ecclesiam suo Spiritu. Atq; hinc discendum est bifariam Apostolos de Ecclesia Dei loqui : alias de illo cætu visibili, in quo sonat doctrina legis & Euangelij, in quo cætu bonis mali mixti sunt. Aliàs ioqui de Ecclesia, vt ea est soli Deo nota, cuius omnia membra viua & sancta sunt. Quando de visibili Ecclesia fit mentio rectè sic definitur, quòd sit cætus amplectentium incorruptam doctrinam legis & Euangelij, vtentium Sacramentis à Christo institutis, & obedientium ministerio : in quo cætu semper efficax est Deus, & multos regenerat ad vitam æternam : sed simul multi mali bonis sunt mixti, qui non sunt sancti, nec ducuntur Spiritu Dei, licet de doctrina consentiant, & moribus honestis studeant. Quando verò de semine sancto et de electis dicitur; hoc modo Ecclesia definienda est, quòd Ecclesia sit cætus hominum ab æterno in Christo Iesu à Deo electorum, quos Deus verbo suo vocauit, gratia sua iustificauit, & Spiritu suo sanctificauit, qui cætus rectè Deum agnoscit, colit & inuocat, diuinitus in terris perpetuò regitur & defenditur, & ordinatus est ad societatem æternæ vitæ & beatitu-

dinis. Hæc est illa cælestis Hierosolyma, quæ supernè est. Docet etiam Propheticum testimonium, diuinitus per verbum & spiritum sanctum generari filios Ecclesiæ, & omnibus temporibus Ecclesiam verè in orbe mansuram esse. Etsi imperia mundana omnia rectè per eam intelliguntur, quæ maritum habet: tamen Paulus maximè vrget discrimen inter populum legis & populum gratiæ: Ac legem, imò totum vetus testamentum, regnum & sacerdotium vocat maritum Synagogæ, quæ spurios & nothos genuit, non Dei filios, vt Iesa. cap. 1. conqueritur. At in nouo testamento filij Dei nascuntur verbo: Non ergo inanis est labor, qui ministerio Euangelij impenditur, etiamsi nos Ecclesiæ augmentum non animaduertamus.

Et nos secundum Isaac promissionis filij sumus:) Accommodat apostolus & allegoriam & testimonium Prophetæ de spirituali generatione filiorum Dei ad se & Galatas. Nos inquit, non secundum carnem nati sumus, non ex operibus legis, non ex voluntate carnis, non ex libero arbitrio: sed sicuti Isaac diuinitus per promissionem generatus est: ita & nos promissionis filij sumus, hoc est, Deus ex immensa misericordia & bonitate propter mortem sui filij mediatoris nostri recepit nos in gratiam, condonauit nobis omnia peccata, pronunciauit nos iustos fide, effudit in nos spiritum sanctum, per quem nos regenerauit, & in filios & hæredes vitæ adoptauit.

Sed quemadmodum tunc is, qui secundum carnem natus erat, persecutus est eum, qui secundum spiritum, sic & nunc. Sed quid dicit scriptura? Eijce ancillam & filium eius. Non enim hæreditatem adibit filius ancillæ, cum filio liberæ. Ergo fratres non sumus ancillæ, sed liberæ filij.

EX allegoria perstringit Paulus Pseudoapostolos & Iudæos, qui lege & externa Ecclesiæ societate gloriabantur: et ex impio conatu ipsorũ demonstrat, eos non esse viua Ecclesiæ membra. Simul etiam indicat, quæ sit perpetua Ecclesiæ veræ conditio, nimirum quòd oppugnetur à falsa Ecclesia. Hac tamen prærogatiua præstat vera Ecclesia, quòd Dei voluntate & mandato obtinet hæreditatem, ejecta falsa Ecclesia, cum filijs suis. Moyses refert Gen. cap. 21. Ismaëlem fuisse derisorem et subsannasse Isaacum: id spiritus sanctus in

tus in Paulo interpretatur de persecutione. Et dubium non est, quin Ismaël inuiderit Isaaco gloriam promissionis, & quòd liberæ filius esset & hæres omnium. Etiam huius historiæ allegoriam texit Apostolus. Vt filius ancillæ, secundum carnem natus, persecutus est filium liberæ secundum promissionem & spiritum natum: Ita semper populus legis, Synagoga & Ecclesia falsa, quæ fidit operibus legis et carnali natiuitate: gloriatur de titulo, de authoritate muneris, de patribus, de successione, de magnis virtutibus: semper ex alto despicit, subsannat & persequitur Ecclesiam ex spiritu natam, verbo adsentientem, & fiducia mediatoris se sustentantem. Pontifices & principes qui templo domini fidebant: persecuti sunt Ieremiam & auditores eius: Prophetæ Baal persecuti sunt Eliam prophetam. Pharisæus Luc. 18. ex alto despicit Publicanum sustentantem se promissione gratiæ: Sacerdotes, pontifices & Iudæi, qui gloriabantur se patrem habere Abraham, horribili odio persecuti sunt Christum & Apostolos, veram Ecclesiam. Pseudoapostoli & Pharisæi persecuti sunt apostolum Paulum et eius discipulos. Et nunc Pontifex Romanus, Cardinales, Episcopi pontificij, Monachi, & tota illa multitudo Papistica, quæ titulum Ecclesiæ arroganter sibi vendicat, immani crudelitate persequi-

sequitur veram Ecclesiam profitentem Euangelion Christi, & fide acquiescentem in promissione gratiæ. Tantum ergo abest, vt secundum carnem nati filij Abrahæ, id est, falsa illa Ecclesia, quæ gloriatur de operibus legis, de viribus arbitrij, de propria dignitate, & externum titulum prætendit: verè sit iusta coram Deo, spiritu regatur, & hæres sit vitæ æternæ, vt magis persequendo veram Ecclesiam spiritu genitam, demonstret, se alienam esse à vera iustitia & pietate, & furoribus Satanæ agitari. Persequi enim sanctos Dei filios, argumentum euidentissimum est, non duci tales hostes à spiritu Dei, nec esse veros Dei filios. Ita Paulus singulis vocibus ostendit, ex lege non esse iusticiam. Nemo ergo imponat sibi externo titulo vel societate Ecclesiæ: nemo fidat natiuitate carnali, quòd à patribus sanctissimis prognatus, à præceptoribus doctissimis institutus est: nemo glorietur successione ordinaria, muneris authoritate, externo sacramentorum vsu, donorum excellentia, aut vlla re externa. Nam omnia ista etiam in impijs existere possunt: Sed quisquis exploret sese, num verbo & spiritu sit renatus: num verè adsentiatur Euangelio: num omnem fiduciam collocet in mediatorem Iesum Christum crucifixum & resuscitatum, & num spiritu Dei ducatur. Non enim

quo

qui in manifesto Iudæus est, neq; quæ in manifesto in carne circumcisio est, (valet apud Deum:) sed qui in occulto Iudæus est, & circumcisio cordis, in spiritu non litera: cuius laus non est ex hominibus sed ex Deo. Rom. 2.

Sed quid dicit scriptura? Eijce ancillam:) Vt monuit Paulus hanc esse perpetuam veræ Ecclesiæ conditionem, vt in mundo vexetur à falsa Ecclesia, & persecutionem sustineat: ita consolatur eam fore, vt ab ea persecutione liberetur, et æternæ vitæ hæreditate exhilaretur. Non perpetuò falsa Ecclesia dominabitur in fideles Christi: sed aliquando dicet Deus: Eijce ancillam cum filio: hoc est, separabit aliquando falsam Ecclesiam à vera, impios à pijs, subsannatores et persecutores à fidelibus, aut in hac vita cælesti quadam liberatione. Vt: cùm submerso Pharaone in mari Israëlem liberauit: cùm absorptis Core, Dathan & Abiram ornauit Mosen et Aharonem: cùm extincto Saule Dauidem constituit regem: Et oppresso Absolomo Dauidem et pios reduxit in regnum: cùm deletis Tyrannis Romanis Christianis dedit pacem: cùm euersa Hierosolyma & excisa gente Iudaica, testimonium de cælo dedit doctrinæ & Ecclesiæ Christi & Apostolorum: cùm patefacto Antichristo Romano, lucem Euan-

Euangelij restituit mundo, & ostendit, quæ sit vera Christi Ecclesia. Hoc sanè est, Eijce ancillam forás cum filio. Sic enim detrahit laruam Deus falsæ Ecclesiæ: & testimonium dat veræ Ecclesiæ. Aut verò si sinat hîc opprimi quosdam pios à falsa Ecclesia: tamen in resurrectione mortuorum eijciet ancillam in tenebras exteriores; & procul hostes nostros à nobis remouebit; non enim hæreditabunt nobiscum. Hæreditas hîc complectitur reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum, imputationem iusticiæ, donationem spiritus sancti, pacem conscientiæ, læticiam in Deo, & æternæ vitæ beatitudinem. Hanc spiritualem & cælestem hæreditatem soli filij Dei ex promissione spiritu nati, & in mediatorem Christum credentes adibunt: Caro verò & sanguis regnum Dei non possidebunt.

Sustineamus ergo magna patientia et constanti fide, quicquid ærumnarum & vexationum nobis imponit dominus: non frangamur, etiamsi videamus falsam Ecclesiam ad tempus florere opibus, gloriari de titulo, & occupare ministeria, dominari scholis & Ecclesiis. Veniet hora, cùm de cælo sonabit vox: Eijce ancillam: Et cælestis illa hæreditas, quam in fide nunc possidemus, in altera vita reipsa consequemur, abundè compensabit omnes miserias.

Ergo

Ergo fratres non ancillæ, sed liberæ filij sumus) Concludit Paulus tractationem allegoriæ, & vt de seipso pronunciat, se non ancillæ sed liberæ esse filium. non enim ex lege erat iustificatus: sed ex mera gratia. Cùm in lege viueret hostis & persecutor erat Ecclesiæ: At pater de cælo vocauit eum ad pœnitentiam, conuertit & saluauit eum: et per spiritũ adoptauit Paulum in filium. Ita ostendit se non dubitare, quin & Galatæ malint liberæ, quàm ancillæ esse filij: non velint haberi pro persecutoribus filiorum Dei, non velint eiici domo magni patrisfamilias, non velint excludi ab hæreditate cælesti: Statuant ergo se non ex operibus legis, non ex circumcisione, non secundum carnem; sed mera Dei gratia, per promissionem, spiritu in fide & iustificatos & in Dei filios cooptatos esse.

LOCI DOCTRINAE.

1. De spirituali vsu legis, quòd sit noster tutor in Christum, & de causis constitutæ politiæ Mosaicæ.
2. Doctrina de tribus distinctis personis diuinitatis. Patre æterno, filio vnigenito & spiritu sancto.
3. De duabus in Iesu Christo naturis, diuina & humana personaliter vnitis, & quòd æternus Dei filius veram carnem humanam ex Maria virgine adsumpserit.
4. De communicatione idiomatum, quòd Maria virgo reuera filium Dei genuerit.
5. De officio Iesu Christi: Ideo pater æternus filium suum misit in mundum, vt pro nobis totì legi satisfaceret, & pœnam soluendo, & obedientiam præstando, vt nos à maledicto legis redimeret, & nos filiorum adoptionem impetraremus.
6. De donatione spiritus sancti: quòd pater æternus spiritum filij sui effundat in corda credentium.
7. De vera inuocatione, quæ fit in spiritu & veritate.
8. De amplissimis beneficijs mediatoris, quòd per ipsum liberemur à lege, cooptemur in Dei filios, donemur spiritu sancto, & constituamur hæredes cæli & terræ.
9. Legem esse infirmum & egenum elementum ad iustificationem.
10. De reuerentia & beneuolentia erga ministerium, apostolos & pastores Ecclesiarum, vt Dei angelos, vt ipsum Christum Iesum excipiendos esse.
11. De duplici zelo: in bono & in malo.
12. De tractandis scripturæ allegorijs.

13. De discrimine duorum testamentorum veteris & noui, & vtriusq; efficacia.

14. De discrimine veræ & falsæ Ecclesiæ.

15. De perpetua veræ Ecclesiæ fœcunditate, felicitate, conseruatione & consolatione.

16. De diuersis filijs Abrahæ: alijs secundum carnem, alijs secundum spiritum natis.

17. De perpetua conditione Ecclesiæ veræ, quòd vexetur & adfligatur à falsa Ecclesia in mundo.

18. Quòd pater æternus falsam Ecclesiam & impios omnes tandem eiecturus sit è domo sua: vel in hac vita illustri exemplo iudicij sui: vel in resurrectione mortuorum: at veræ Ecclesiæ & omnibus pij daturus æternam hæreditatem.

CAPVT V.

IN libertate igitur, qua Christus nos liberauit, state: & ne rursus iugo seruitutis implicemini. Ecce ego Paulus dico vobis: quòd si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit. Testificor autem rursus cuiuis homini, circumciso, quòd

quòd debitor est totius legis faciendæ. Exinaniti estis à Christo, quicunq; in lege iustificamini, gratia excidistis.

MVltis argumentis docuit hactenus Apostolus, nos à lege per dominum nostrum Iesum Christum liberatos esse: ita vt lex deinceps nihil iuris in nos habeat, non possit nos accusare vel damnare: non possit nobis maledicere: non possit nos ad seruitutem cogere: siquidē Christus pro nobis factus est maledictum: sua morte persoluit omne debitum: sua obedientia toti legi satisfecit pro nobis. Et nos iam reconciliati Deo per fidem et renati per spiritum sanctum in filios Dei, libertate spiritus gaudemus, & spiritu Dei ad præstandam Deo obedientiā ducimur. Concludit ergo nunc apostolus et infert cū graui obtestatione, hanc sanguine et obediētia Iesu Christi partam libertatē, summo studio tuendam et custodiendam esse: ac vt fieri solet in epilogo omniū validissima argumenta repetit, vt hæreant infixa menti.

Ex superioribus constat satis, Paulum non loqui de externa, ciuili vel corporali libertate, quæ non impedit fidem in Christum, nec salutem animæ: multò minus loqui eum de licentia scelerū,

quam parte Epistolæ quarta seuerissimè prohibet: sed de spirituali & cælesti libertate: quæ est felicitas per filium Dei dominum nostrum Iesum Christum nobis parta, qua liberi sumus ab ira Dei, maledictione legis, à peccato, à tyrannide Satanæ, à morte & æterna damnatione. reconciliati autem Deo per fidem ducimur spiritu sancto, qui in nobis accendit nouum lucem, vitam spiritualem, pacem conscientiæ, & lætitiam in Deo: & flectit corda nostra, vt sponte & animo prompto Deo obtemperemus: qua etiam liberi sumus ab omnibus cæremonijs & forensibus legibus Moysi, tum à traditionibus & mandatis hominum, quod ad conscientiam & salutem nostram æternam attinet. Hanc spiritualem libertatem, quæ filio Dei magno constitit, & nobis immensa Dei bonitate contigit, vt diligentissimè tueamur, hortatur apostolus Paulus. Ciuilis libertas, corporalis quædam est felicitas & facultas, qua nobis licet secundum iustas leges, sine cuiusquam tyrannide viuere, sobolem in timore domini educare: familiam regere, munus nostrum obire: & bonis nostris pro nostro arbitrio vti & frui. Si quis hac libertate frui potest, fruatur in timore domini: sed nihil ea facit ad iusticiam coram Deo, & salutem æternam consequendam: quemadmodum opes, vel regnum vel valetudo corporis nihil faciunt ad iusticiam coram Deo et salutem obtinendam. Seruitus enim ciuilis, morbi, paupertas, non impediunt iusticiam coram Deo & salutem æternam. De ciuili ergo libertate nihil hîc agit Apostolus. In quacunq; vocatione quis vocatus est, inquit ad Corinth. in ea permaneat. Sine spirituali autem libertate nemo salutem æternam adipisci potest. Itaque annitendum est, ne eam præstigijs errorum eripi patiamur.

Vsitatè quatuor recensentur libertatis Christianæ gradus, vt amplitudo beneficiorum Christi attentius expendatur. Primus gradus est liberatio ab ira Dei, à maledictione legis, à peccato, à doloribus conscientiæ, à potestate Satanæ, à terroribus mortis, & ab æterna damnatione. De hoc gradu loquitur Christus Ioan. 8. Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis. Et Psal. 126. Cùm liberauerit dominus captiuos Zion, erimus sicut somniantes. Secundus gradus est donatio spiritus sancti, qui accendit in nobis per fidem, nouam vitam, lucem & lætitiam in Deo, & flectit nostra corda, vt sponte Deo obtemperent. De hoc gradu Christus inquit: Quantò magis pater vester cælestis dabit spiritum sanctum petentibus. Luc. 11. & Psal. 110. Populus tuus spontaneus offeret tibi in die victoriæ in ornatu sancto. Et

Psal. 51. Redde mihi læticiam spiritus, & spiritu principali confirma me. Tertius gradus est liberatio à legibus Mosaicis, ceremonialibus & forensibus. De quo gradu Christus inquit Matth 11. Lex et Prophetæ vsq; ad Ioannē: et Apostoli Act. 15. Nunc ergo quid tentatis Deum, vt imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neq; patres nostri, neq; nos portare potuimus. Et hîc inquit Paulus: Si circumcidamini Christus vobis nihil proderit. Quartus gradus est liberatio à traditionibus & mandatis hominum, quibus conscientiæ astringendæ non sunt, quasi in ijs salus æterna consisteret. De hoc gradu Christus inquit: Frustra me colunt, docentes doctrinas, mandata hominum. Matth. 15. Paulus hîc vno fasce omnes gradus complectitur. State, inquit, quasi in acie, animo forti: Aduersarius enim vester varijs telis vos adoritur, vt spoliet vos hac libertate, & redigat vos in pristinam seruitutem: Huic magna diligentia & robusto animo resistendum, & pro libertate, in quam nos vindicauit Christus, non liberi arbitrij virtus, non nostra natiuitas, non opera legis, non monachorum ordines, non vota Monastica, non lex Mosaica: maiore zelo, quàm pro aris & focis præliandum est.

Ne rur-

Ne rursus iugo seruitutis implicemini:) Vt gratissimum nomen est libertatis: ita inuidiosum nomen seruitutis. Ne ergo specioso legis titulo se seduci patiantur, incalcat seruitutem, quam lex adferat. Tristis sanè seruitus, cùm quis seruire cogitur fædo & sæuo Tyranno: puta Turcæ vel Moscho: vel conclusus tenetur carcere. At longè tristior est seruitus, quando homo seruit maledictioni legis, peccato, morti, Satanæ, inferno. Hæc enim seruitus experitur intolerabilem Dei iram, & adfert tandem æternam damnationem. Nemo adeò desipit, vt si natus sit ciuilem libertatem, sponte redire velit in seruitutem tristem. Cuius ergo est dementiæ, cùm vos Galatæ per dominum Iesum spiritualem nacti sitis libertatem, sitis reconciliati Deo, donati iustitia Christi, sitis cooptati in filios Dei, ducamini spiritu Dei, & sitis hæredes vitæ æternæ: velle vos nunc proiecta hac summa felicitate redire ad pristinam seruitutem: hoc est, velle premi ira Dei, velle sustinere maledictionem legis, velle seruire peccato, tradere se rursus in potestatem Satanæ, subdere colla morti, & implicare se æternæ damnationi: Nam hæc omnia complectitur seruitus legis. Cauete ergo vobis, vult dicere, quàm chara est vobis salus vestra.

Ecce ego Paulus dico vobis: quod si circumcidamini:) Repetit hîc apostolus Paulus, vt in Epilogo, argumentum omnium validissimum, à contrarijs & à discrimine legis & Euangelij.

Quicunq; iusticiam coram Deo ex obseruatione legis quærit: illi nihil prodest Christus. nam iusticia ex lege & iusticia per fidem pugnant inter sese.

Sed vrgens necessitatem circumcisionis, exhibito Messia, quærit iusticiam coram Deo ex obseruatione legis. Ergo vrgenti necessitatem circumcisionis, exhibito Messia, nihil prodest Christus cum toto suo regno.

Hoc sanè argumentum & grauissimum & validissimum est in hac causa. Adeò enim legis obseruatio & circumcisio non confert iusticiam coram Deo, vt potius spoliet nos omnibus beneficijs mediatoris, & excludat ex toto regno Iesu Christi. An verò quicquam tristius dici aut cogitari potest, quàm summis illis beneficijs regni Christi spoliari, & cum domino Iesu Christo vnico iusticiæ & salutis fonte nihil commune habere?

Mirum est autem cur apostolus Paulus sic pronun-

pronunciet. An non lex obseruari poterat, & simul retineri Christus? An non patres in veteri testamento Abraham, Moses, Dauid & circumcisi sunt, & tamen beneficio Christi salutem sunt adepti? An non Paulus etiam post exhibitum Christum circumcidit Timotheum? cui tamen profuit Christus. Respondeo. Quod ad patres in veteri testamento attinet, omnino oportuit eos circumcidi: quia sub lege tanquam tutore custodiebantur. Sed non cum hac opinione circumcidebantur, quasi per illud opus & legis obseruationem, & iusticiam coram Deo impetrarent: Hoc animo si legem obseruassent, Christus nihil illis profuisset: sed potius vt seipsos admonerent suorum peccatorum & sordium, pœnitentiam agerent, & intelligerent Christo liberatore & mediatore sibi opus esse. Ad agnitionem igitur peccati profuit illis circumcisio: ad iusticiam verò Christus, in quem credebant. Ad Timotheum quod attinet, eum circumcidit Paulus, non necessitate legis tunc abrogatæ, multò minus ad impetrandam iusticiam: sed tantùm in charitate fraterna & iure libertatis, imbecillioribus Iudæis, qui doctrinam de abrogata lege Mosaica, & delenda politia Mosaica nondum assecuti erant, parceret, ne illi à consuetudine Timothei, qui illos instituere debebat, non abhorrerent. Hoc iure

libertatis & sine opinione necessitatis & iusticiæ licuisset et alijs vsurpare circumcisionem non amisso Christo: sed alia erat mens Pseudoapostolorum. Non quidem reijciebant aut negabant Christum: sed tamen ita vrgebant circumcisionem, & legis Mosaicæ obseruationem, quasi per Christum nemo posset iustificari & saluari, nisi simul circumcideretur & legem obseruaret. Atque ita in conscientia & legis opera & Christi merita coniungebant. Hoc erat Christum cum toto suo beneficio sepelire, & inane nomen Christi relinquere. Tali enim sensu & opinione circumcisio seu lex, & Christus prorsus inter se pugnant. Et impossibile est, vt simul in conscientia coram Deo consistant. Paulus itaq; hîc & legis naturam & Christi proprietatem insigniter exprimit. Quod si ad circumcisionis necessitatem & legis obseruationem respicias, postulat lex perfectissimam & omnibus numeris absolutam obedientiam, quam si examinet conscientia, necesse est eam coram Deo concidere. Tantùm ergo terrores incutit lex, & fidem extinguit. Contrà Christus meram gratuitam Dei misericordiam prædicat, & sua offert merita, quibus & iram Dei placauit, & iusticiam nobis impetrauit: solus ille totam impleuit legem, solus præstat omnia, non ergo vult nos respicere ad legis necessi-

tatem, vel ad vllum opus, sed fidem totam in illum collocare, & in ipso solo acquiescere. Si ad legem conuertimus oculos, vacillat fides in Christum: Si opera requirimus, dubitamus de merito Christi. Legis itaque necessitas & Christus, in conscientia quærente iusticiam coram Deo, simul coniungi non possunt: aut solùm legem ibi dominari oportet ad desperationem, aut solum Christum ad salutem æternam. Quòd si legi insistis, & operibus Deo vis placere, diffidis Christo: ac tum necesse est legem suam exercere maledictionem. Quòd si Christum fide apprehendis, tum omnia omnium sanctorum opera tibi præ tanta & tam incomprehensibili iusticia sordent: nec quicquam amplius præter Christum desideras. Discamus ergo summa diligentia inprimis in certamine conscientiæ quærentis iusticiam coram Deo, discernere legem à Christo. Pontificij, Maioristæ, & alij nolunt videri, quasi fidem in Christum damnarent, aut beneficia mediatoris reijcerent: sed conantur fidem coniungere cum operibus, vt Pseudoapostoli legem & Christum in iustificatione miscere tentabant. Verùm hoc est, vt Paulus hîc testatur, ex diametro inter se pugnantia connectere, & cœlum terra miscere. Extra articulum de iustificatione hominis coram Deo, bene conuenit

inter

inter fidem & opera: vt inter arborem & fructus, matrem & filias. Etiam inter legem & Christum bene conuenit extra articulum de iustificatione: Lex enim est pædagogus in Christum: & vicissim per fidem legem stabilimus, & finis legis est Christus. At vbi conscientia quærit iusticiam coram Deo: ibi ex diametro pugnant inter se lex & Euangelion, fides & opera, Moyses & Christus. Si enim ex lege est iusticia, Christus frustra est mortuus, & nihil prodest nobis. Quòd si à Christo per fidem est iusticia, lex prorsus nihil facit vel confert ad iustificationem. Si per fidem in Christum placemus Deo: Ergo nulla sunt nostra opera in ipsa iustificatione, quæ Deus respiciat. Quamprimum ad opera respicimus, perit nobis Christus: si fiducia recumbit in Christum, prorsus omnium operum obliuiscitur. Adeò in conscientia petente à Deo iusticiam & salutem solus Christus cum sua gratia & merito vult dominari: Lex enim iram operatur, opera adferunt dubitationem: Nunquam enim statuere possumus, quando satis habeamus operum. Vt ergo grauissimè peccarunt pseudoapostoli, quòd circumcisionis necessitatẽ vrgendo, totum Christum sepeliuerunt: Ita qui docent bona opera necessaria esse ad salutem, & impossibile esse, vt quisquam sine bonis operibus saluetur: vel oportere concurrere in iustificatione hominis dilectionem Dei, humilitatem, patientiam, & alias virtutes: vel bona opera esse necessaria, & oportere existere in saluandis: graues nectunt conscientiæ laqueos, & obscurant doctrinam Euangelij de beneficijs mediatoris. Quòd si enim necesse est existere bona opera in saluandis, & nemo sine bonis operibus saluatur, & bona opera sunt causa sine qua non iustificationis & salutis: tum fiducia in solo Christo acquiescere non potest: Nec conscientia certò statuere potest, an illa bona opera habeat, an talia sint; quæ & qualia ad salutem sint necessaria. Vnde necesse est conscientiam hærere in dubitatione: conscientia dubitante & ad opera respiciente, Christus amittitur. Non ergo satis est, quod Philippus & alij dicunt: nos non vtimur illa verborum forma: bona opera necessaria sunt ad salutem: quia intelligitur de merito: sed ipsa doctrina vt blasphema & perniciosa reijcienda est. Idcirco Paulus tanta diligentia vrget exclusiuas particulas: Sine lege, absq; operibus, gratis, duntaxat per fidem. Gal. 2. vt prorsus excludat opera de iustificatione, & non tantùm causam, meritum, dignitatem, gloriationem, prærogatiuam, efficaciam: verùm etiam omnem præsentiæ necessitatem, & causam sine qua non. Quia etiam sine operibus credenti in eum, qui iustificat

stificat impium, contingit iustitia et salus ex Deo. Adeò vnus, totus & solus Christus in conscientia per fidem dominari vult ad iustitiam et salutem. Idem ferè argumentum suprà cap. 2. posuit. Si ex lege est iustitia, Christus frustra mortuus est. Non reijcimus bona opera: non impugnamus necessitatem bonorum operum: sed appendicem illam, Ad salutem, impugnamus: quia obscurat beneficia Christi, & laqueos ponit conscientiæ. In lucta conscientiæ cum ira Dei, quando petit homo remissionem peccatorum; tum præsentissima pestis est necessitas bonorum operum ad salutem, vt ipsa legis necessitas in conscientia.

Theodorus Beza in quæstionibus adserit: Bona opera esse necessaria ad salutem tanquam fructus fidei: sed inepta & stolida est oratio, dicere; fructus esse necessarios ad constituendam arborem. Verùm gratificari voluit Vuitebergensibus Maioristis: vt ipsi vicissim pilam redderent Caluinismi approbatione: Ita mutuum scabunt muli. Nos verò ex Paulo muniamus pectora nostra aduersus tales præstigias.

Testificor omni circumciso, quòd debitor est totius legis seruandæ:) Aliud argumentum hîc repetit, quod & suprà vrsit, sumptum ab officio & seruitute legis.

Qui

Qui totius legis seruandæ debitor est, is sub maledicto est: nam aliud non potest lex, quàm maledicere hominibus.

At qui circumciditur cum opinione necessitatis, quasi sine circumcisione salutem adipisci non possit, totius legis seruandæ est debitor. Lex enim non tantùm vnius præcepti obedientiam poscit, sed perfectam flagitat omnium mandatorum obedientiam.

Ergo qui circumciditur cum opinione necessitatis, sub maledicto legis est: tantùm abest vt iustitiam & libertatem sit adeptus.

Hoc sanè fulmen est contra eos, qui iustitiam coram Deo ex operibus quærunt: si quis ex circumcisione quærit iustitiam, vniuersæ legi adhuc est obstrictus. Qui verò sub legis est imperio, is accusatur, terretur, damnatur & maledicitur à lege coram Deo. Nam lex integram & perfectam flagitat obedientiam, quam nemo hominum præstare potest. Vno aliquo præclaro opere lex non est contenta. Præclarum et insigne fuit opus Iosephi, quòd abstinuit ab heri coniuge: Non propterea iustus fuit secundum legem: nam ea alia quoque requisiuit, vt cor eius esset purum & immaculatum, atque omnis concupiscentiæ esset expers, quòd non fuit. Postulauit

lex vt

lex vt Deum diligeret ex toto corde, & tota anima, quod præstare non potuit. Qui ergo in operibus iusticiam quærunt, nihil aliud agunt, quam quòd fatentur, se maledictione implicatos teneri. Et quò quis plus studet operibus legis, & ardentius nititur ex lege iustificari, & propius legis iudicium adspicit: hoc magis accusatur, terretur, damnatur, legis maledictione premitur, & in desperationem tandem adigitur: Quia lex iram operatur: Et quò diligentius expenditur, hoc atrociore fulmine percellit conscientiam. subinde enim repetit: Nondum perfectam præstitisti obedientiam: Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius. Huius rei euidentissima exempla in papatu sunt in conspectu. Quò diligentius legem obseruarunt, quò maiore studio opera cumularunt, quo maiores senserunt pauores, & cruciatus conscientiæ: Subinde enim propius adspexerunt legem, & sublime Dei iudicium attentius considerarunt: ac quia deprehenderunt se adhuc procul ab illa plenissima perfectione, quam lex seuerissimè flagitat, abesse: tantò magis consternati sunt animis, & sensu iræ Dei in conscientia fuerunt excruciati. Lutherus de se aliquoties fatetur, quòd licet religiosissimè vixerit, & strictè ordinem suum seruarit: tamen subinde pauores

ores in ipso creuerunt: quia vidit se non pertingere ad illam perfectionem, quam lex requirit: Et legem mutila nostra obedientia contentam non esse. Atq; hinc est quòd Pontificij, Monachi, Monniales, & iusticiarij subinde cumularunt opera, ordines, cultus, satisfactiones, & id genus remedia. Quia nunquam sibi satisfecerunt, nunquam in conscientia certi fuerunt, quòd legem seruassent, & à maledictione liberi essent. Inde est quòd Agathon, qui vixerat religiosissimè, horrendis terroribus in agone mortis excruciatur: quia sensit aliud Dei, aliud hominum esse iudicium. Adeò ex lege nulla est tranquillitas conscientiæ, neq; iusticia neq; libertas. Etsi enim omnibus omnium sanctorum virtutibus niteres: tamen de legis impletione gloriari non posses. nemo enim sanctorum (vnico mediatore Iesu Christo excepto) vniuersæ legi satisfecit. Quamdiu verò lex in te reperit aliquem defectum, maculam, labem & delictum, non potest aliud sonare, nisi Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius. Nunquam ergo ex lege potest quis habere pacatam conscientiam. Quæ ergo stultitia est, ex circumcisione petere iusticiam et vitam coram Deo. Monet hîc Paulus legis vnam esse perpetuam sententiam, quæ non frustulatim sed particulatim

nostra obedientia sit contenta: sed quæ semper integram & omnibus numeris absolutam obedientiam vrget & poscit. Qui deliquerit in vno, reus est omnium. Nihil te iuuat, quòd non sis periurus, non seditiosus, non adulter, non homicida, non fur, non calumniator: sed magnis virtutibus castitatis & beneficentiæ es præditus: Si frustra irascaris fratri tuo, reus es omnium: quia totam legem non seruasti. Maledictus autem omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius. Grauissima est igitur hæc Pauli sententia. Qui circumciditur cum opinione scilicet necessitatis, is debitor est totius legis seruandæ: non tantùm de cæremonialibus & forensibus, sed inprimis de morali seu spirituali lege loquitur. Qui vnum aliquod opus præstat, puta castitatem, vel largitur Eleemosynam, hoc fine vt iustus sit ex lege coram Deo, is omnibus vniuersæ legis præceptis prius satisfacere debet, quàm de legis iusticia glorietur. In summa ex operibus quærens iusticiam, semper hæret in dubitatione, & tandem ruit in desperationem.

Abalienati estis à Christo, qui in lege iusticiam quæritis, Gratia excidistis.)

Repetit, vrget & inculcat Paulus superius argumentum sumtum à contrarijs. Iusticia, quæ est ex lege, prorsus contraria est iusticiæ, quæ est per fidem in Christum: nec possunt simul coniungi: sed vna euertit alteram. Vos in lege quæritis iusticiam: Ergo à Christi iusticia abalienati estis, gratia excidistis, à toto Christi regno spirituali, & ab omnibus beneficijs mediatoris exclusi estis. Hoc argumentum vult Paulus infixũ animis Galatarum hærere: quòd error iste Pseudoapostolorum euertit vniuersum Euangelion, & abijciat omnia beneficia mediatoris. Hoc sanè pseudoapostoli nolebant videri facere: neq; Galatæ sic accipiebant: Quin Christum cum legis obseruatione coniungere volebant. At Paulus propius aspexit et detexit insidias Satanæ: Nomine requirebant Christum: re tollebant. Vbi enim ad opera respicitur in iustificatione, euanescit fides in Christum. In conscientia agente cum Deo, & corã tribunali eius petente remissionem peccatorum et iusticiam, simul stare non possunt lex & Christus, gratia et debitum, fides & opus, ad iusticiam dico: Habet lex suum vsum ad condemnationem: habet & debitum suum vsum in compensatione operum: habent & opera suum locum in demonstratione fidei. At in actu iustificationis nullo modo coniungi possunt. Si ad legem te conuertis, vt per eam iustificeris, totus Christus cum omni regno suo

spirituali tibi perijt: si ad debitum respicis, gratia prorsus euanescit: Si opera expendis, fides extinguitur. Quia lex iram operatur. Adeò solus Christus, sola gratia, sola fides in Christum in conscientia petente coram tribunali Dei iusticiam, vult dominari. Fides quidem cum peccatis vastantibus conscientiam & proposito peccandi stare non potest. Contritionem enim veram praecedere oportet fidem: Opera verò ignorat: imò fatetur omnem iusticiam nostram esse pannum menstruatæ, dum iusticiam in Christo apprehendit. Atq; ideo Paulus adeò vrget particulas exclusiuas: Absq; lege; sine operibus legis; gratis; non ex operibus. Hinc æstimet pius lector, quales præstigiæ Satanæ fuerint, quòd contendit nos iustificari simul fide & operibus: vel fide formata dilectione. Prorsus enim sepelit ista corrupte la Christum, & excludit nos à gratia, & veram fidem, quæ solo mediatore nititur, extinguit. Vigilemus igitur in tuenda puritate doctrinæ Euangelij: nec permittamus doctrina operum obscurari gratiæ promissionem.

Nos enim spiritu ex fide spem iusticiæ expectamus. Nam in Christo Iesu neq; circumcisio quid valet, neq; præ-

putium: sed fides, quæ per dilectionem est efficax.

NOn satis est falsas refellere sententias: sed etiam veræ tradendæ sunt, vt conscientiæ liberatæ ab errore rectè erudiantur, & certam consolationem habeant. Paulus ergo errore refutato ponit adfirmatiuam sententiam: & repetit propositionem principalem, quomòdo iustificemur, nimirum fide in dominum nostrum Iesum Christum. Suo etiam exemplo illustrat doctrinam, & separat se à Pseudoapostolis, vt Galatæ habeant, cuius fidem imitentur, ad veram iusticiam impetrandam: & ne existiment leue esse certamen: prorsus idem hic repetit, quod suprà dixit: Scientes quòd non iustificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem in Iesum Christum: Et nos in Christum Iesum credidimus, vt iustificemur ex fide Christi: & non ex operibus legis. Hanc enim propositionem & doctrinam vult lucere in animis Galatarum, & omnium fidelium, vt consolationem contra peccatum, mortem, & Satanam habeamus. Et præit nobis illustri exemplo: siquidem omnibus suis operibus renunciat: & sola fiducia mediatoris Iesu Christi nititur.

Nos spiritu) Perstringit pseudoapostolos, vt do-

vt doctores carnales, qui carnales tantùm habeant cogitationes & imaginationes, quæ ex iudicio rationis oriuntur, & cum lege congruunt: quò et ea quærant, quæ grata sint carni: quodq; alieni sint à spiritu Dei & eius iudicio reuelato in verbo, se verò dicit spiritu duci: Ex reuelatione spiritus sancti hanc proferebat doctrinam: Spiritu erat ad Deum conuersus: spiritu ducebatur in ministerio: Et per Euangelion spiritum conferebat auditoribus. Longè igitur alia fuit doctrina & mens Pauli quàm pseudoapostolorum.

Ex fide) Idem valent phrases, ex fide, per fidem, in fide, & fide: Instrumentum enim significant, quo iusticiam per Christum nobis partam, & in promissione Euangelij oblatam apprehendimus. Fides verò omnem nostram excludit dignitatem, meritum & opera: & omnia tribuit Christo, & vtitur sola Dei gratia.

Spem iusticiæ expectamus.) Spes aliàs pro adfectu sperantis, aliàs pro re sperata accipitur: Spe salui facti sumus Ro. 8. Hîc pro adfectu sperantis ponitur: id est, fiducia & spe salutē expectamus. Coloss. 1. Propter spem repositam nobis in cœlis: hîc rem speratam significat: scilicet vitā æternam. Id est, Spe ipsam iusticiam expectamus: Iusticiam et salutē æternam spe apprehendimus. Quòd

Quòd dicit (*Expectamus*) monet se non loqui tantùm de iustificatione & reconciliatione cum Deo: sed de toto Christi beneficio, et consummata iusticia nostra. Nos quidem per fidem, qua credimus in dominum nostrū Iesum Christū, Deo reconciliati sumus, remissionem peccatorum accepimus, & obedientia Christi nobis imputata est: atq; hac remissione peccatorum omnium, et imputatione iusticiæ Christi perfectæ, coram Deo iusti sumus: Simul etiam donamur spiritu sancto, qui in nobis inchoat nouam lucem, vitam, læticiam, & dilectionis motus. At integro Christi beneficio nondum fruimur: Tantùm primitias spiritus accepimus: & inchoata est in nobis renouatio mentis: reliquiæ verò errorum & tenebrarum, prauorum adfectuum, carnis et multarum infirmitatum adhuc inhærescunt nobis. existunt adhuc terrores in corde, sæpe tentamur, & morti obnoxiū est corpus. Vnde apostolus Paulus exclamat: Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius? In altera verò vita, & omne peccatum erit expurgatum: & mors erit absorpta: & nos ornabimur integra & perfecta iusticia, & vita fruemur æterna: hoc totum et consummatum beneficium Christi Paulus vocat spem iusticiæ, quam expectamus. Sic prophetæ et apostoli sæpe de completo Christi beneficio loquuntur. Iere. 23. Et hoc

est nomen eius, quo vocabunt eum Iehoua iustitia nostra. Iesa. 45. Et dicet: Tantùm in Domino sunt mihi iustitiæ. Dan. 9. Et adducetur iustitia sempiterna. Aliàs verò distinctè loquuntur Prophetæ & Apostol de beneficijs Christi, quæ ostendunt esse duplicia: videlicet Gratiam & veritatem. Gratia est remissio peccatorum, iustificatio gratuita, reconciliatio & imputatio obedientiæ Christi per fidem. Atq; de hoc beneficio agitur, quando de iustificatione coram Deo agitur, qua re placeamus Deo ad vitam æternam: propter quam rem pronunciemur iusti & hæredes vitæ æternæ. videlicet non propter nouos motus vel habitus: sed propter obedientiam filij mediatoris, quæ nobis per fidem gratuitò imputatur, & propter quam omnia nobis peccata condonantur. Et hæc est iustitia fidei seu iustitia Dei, seu iustitia Euangelij per fidem. Veritas est alterum Christi beneficium, videlicet noua lux, vita, nouæ vires, obedientia, pax conscientiæ, lætitia in Deo, & inhabitatio spiritus sancti in nobis. Hoc alterum Christi beneficium magnum & ingens quidem est, sed perfectum non est, quamdiu in hac vita mortali versamur. Manent in nobis tenebræ, errores, infirmitates, praui adfectus, reliquiæ veteris Adami, peccatum originis, tentationes, terrores & pauores conscientiæ, metus mortis. Paulatim

latim quidem transformamur à claritate in claritatem: subinde maiorem lucem accendit in nobis spiritus sanctus scripturæ lectione: paulatim extinguit & detergit carnis vitia, indies roborat fidem, suscitat spem, flectit cor ad patientiam, auget dilectionem: inspirat huius vitæ & mundi tædium: accendit ardens & purum vitæ æternæ desiderium. At propter hanc renouationem non placemus Deo, nec iusti pronunciamur: Eò quòd inchoatio tantùm facta est: quamdiu hanc mortalem carnem circumferimus, non plenè renouamur: vt vniuersæ legi, vitæ sanctimonia & adfectuum sinceritate & cordis integritate satisfacere possemus. Complebitur autem hoc secundum Iesu Christi beneficium in resurrectione mortuorum & vita futura. Tum enim in electis & fidelibus omne erit expurgatum peccatum: nulla tunc hærebit macula in pijs, nulla eos molestabit infirmitas, nulla eos vexabit tentatio: nulli errores, nulli lapsus metuendi erunt: mens fulgebit clara Dei noticia: Voluntas erit conformis diuino mandato: cor flagrabit integra Dei dilectione: perfecta iustitia fulgebit homo: Et Deus erit omnia in omnibus. Hoc tandem integrum & plenum erit Dei beneficium, quod morte sua nobis peperit, & quod fide hîc apprehendimus: Tunc verò reipsa possidebimus. Hanc cælestem

& æternam felicitatem Paulus vocat ſpem iuſticiæ, hoc eſt, ſempiternam iuſticiam. Non enim hoc tantùm promeruit nobis Chriſtus ſua morte, vt pater æternus nobis condonaret peccata, et nos in terroribus conſolationẽ aliquam haberemus: ſed vt in omni æternitate per ipſum beati eſſemus: & cæleſti cum Deo frueremur conſuetudine: in qua nullum nos tentet peccatum, nulla nos vexet infirmitas, nullus nos turbet metus, nulla nos premat calamitas, nullus nos cruciet dolor, nulla adfligat miſeria, & nihil iuris in nos habeat neq; mors neq; morbus vllus: ſed ſine fine Deum videamus, ſine faſtidio in Deo lætemur: ſine fatigatione Deum celebremus. Quamdiu ergo in vita hac verſamur, iuſti quidem ſumus fide, & placemus Deo propter Chriſtum: ſumus etiam renati ſpiritu: Verum omnia poſſidemus in verbo, ſpiritu, fide & ſpe. Tum verò Deum videbimus ſicuti eſt à facie ad faciem, & Deus erit omnia in omnibus.

De diſcrimine inter fidem & ſpem admonendus eſt hîc lector. Magna ſanè cognatio eſt harum virtutum Theologicarum: Eundem habent authorem nimirum ſpiritum ſanctum: conueniunt & ſubiectis: vtraq; exiſtit in mente & voluntate: Non differunt correlatiuis: Vtraq; nititur verbo gratiæ, & merito Chriſti: Eadem eſt vtriuſq; & fidei & ſpei finalis cauſa: nimirum vt ſalutem per Chriſtum æternam adipiſcamur. At cauſa formali & obiectis differunt: Fides enim eſt fiducia firma, præſens bonum videlicet gratuitam remiſſionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, & imputationem iuſticiæ apprehendens. Spes verò eſt fiducia firma apprehendens in verbo bonum futurum, nimirum mitigationem calamitatum in hac vita, & cæleſtem beatitudinem.

Nam in Chriſto Ieſu neq; circumciſio valet, neq; præputium:) Valde inſigni Epiphonemate et argumento ſumpto à Chriſti officio, & à cauſa inſtrumentali ſalutis, concludit totam diſputationem. Vt enim ſemel omnes arceret præſtigias, & occluderet effugia, teſtatur in ſolo Ieſu Chriſto & per ſolam fidẽ nobis conſtare ſalutẽ. In Chriſto Ieſu, inquit, hoc eſt, ad obtinendam vitam & ſalutem æternam in Chriſto Ieſu, nihil confert, nihil prodeſt, non requiritur neq; circumciſio neq; præputium. Quia lex et opera tantùm pertinent ad veterem hominem, & ad peccati agnitionem, ad intelligendum Dei iudicium, & ad hanc vitam ducendam: Nihil verò faciunt ad impetrandam coram Deo iuſtificationem & ſalutem æternam: Illa enim ſolus Chriſtus nobis

nobis peperit, & morte sua nobis impetrauit.

Non propterea propior es regno Christi, nec magis ad id idoneus, non propterea plus iuris habes in regno Christi, neq; eò facilius impetras à Deo iusticiam & salutem: quia circumcisus es, vel multum habes bonorum operum legis. Omnis enim iusticia & salus duntaxat in solo Iesu Christo & constat nobis & offertur. Neq; præputium commendat gentes: Vt enim Iudæi circumcisi gratis absq; omni dignitate propter Messiam recepti sunt in gratiam: Ita & gentes non circumcisæ gratis, absq; omni operum & meritorum respectu, propter Iesum Christum mediatorem in gratiam recepti & coram Deo per fidem iustificati sunt. Adeò nihil prorsus, neq; circumcisio neq; præputium commendat nos gratiæ Dei: sed tantùm Christus. Valet quidem circumcisio, sed extra Christum: videlicet vt opus legis, quod testatur Iudæum circumcisum pertinere ad semen Abrahæ, & Dei populum: quo opere, & obedientia declaratur erga legem, quam obedientiam Deus præmijs ornare solet: vt Iudæos circumcisos ingenti gloria & felicitate ornauit. At in Christo Iesu non valet: hoc est, ad impetrandam iusticiam coram Deo & salutem per Christum nihil conducit, nihil valet: vt nec vllum opus legis: Quia solus Christus hanc sibi laudem vendi-

vendicat: idq; meritò: siquidem solus sanguine suo hanc nobis redemptionem & salutem acquisiuit. Hac nobili sententia Paulus valde illustrat doctrinam Euangelij de beneficijs mediatoris, quod videlicet promissio Euangelij prorsus sit gratuita, nec vllum opus, neque meritum nostrum ad nostri iustificationem requiratur: sed quòd solus Christus omnia præstet: & conscientia in solo Christo tutò acquiescere possit & debeat. Ostendit etiam quantum sit discrimen inter regnum Christi spirituale & externam politiam Moysis, seu regnum Dauidis. Etsi magna præstet lex, & tota politia Moysis: tamen iusticiam & salutem non confert: Christi regnum spirituale non tractat terrena, non est ministerium peccati: non venit cum obseruatione externa: sed spiritualia tractat, & confert iusticiam omnibus credentibus: non respicit neq; circumcisionem neq; præputium: neq; opera neq; peccata: neq; dignitatem neque indignitatem. Docet etiam Paulus Christi regnum spirituale non pendere ex ritibus vel ceremonijs, vel gestibus externis, vel ex desertione bonorum, vel ex hoc vel ex illo ordine, vel conditione hominum. In Christo enim non est neq; Græcus neq; Iudæus: neq; circumcisio neq; præputium: neq; Barbarus neq; Scytha: neq; seruus neque liber: sed omnia in omni-

omnibus est Christus. Coloss. 3. Et Gal. 3. Turpiter errant Iudæi, Anabaptistæ, Monachi, & id genus fanatici homines: qui Christi regnum metiuntur ex rebus externis; & iustitiam in operibus vel obseruatione quærunt: cùm solus Christus & initium, medium & finis sit nostræ iustitiæ & salutis.

Sed fides) Vt solum Christum salutis nostræ authorem & fontem monstrauit, exclusis omnibus rebus externis: ita vnicum medium, quo fit applicatio beneficiorum Christi, indicat. Hic, inquit, sola valet fides, quæ est motus accensus voce Euangelij per Spiritum sanctum in mente et voluntate, quo apprehendimus promissionem Euangelij, & certò statuimus nobis propter Christum remitti peccata, pronunciari nos iustos, donari spiritu sancto, & constitui hæredes vitæ æternæ. Fides ergo valet, non quatenus est opus: sed quatenus apprehendit mediatorem: omnia ergo impetrat, omnia præstat, omnia obtinet, omnia efficit fides. Vita hominis si sit absq; fide nihil est, licet sit sanctissima, & plena laborum magnorum operum. Impossibile est enim absq; fide placere Deo. Quicquid non est ex fide peccatum est. Vbi non est fides ibi non est Christus. Vbi Christus non est, ibi nihil est nisi error, tenebræ, peccatum, mala conscientia, dubitatio, ira Dei, male-

maledictio legis, desperatio, mors, Satanæ imperium, infernus, & omnia mala. Hoc ergo inprimis studendum & petendum à Deo, vt in nobis vera & sincera luceat fides in Christum.

Quæ per dilectionem est efficax.) Ne homines fanatici & hypocritæ, quorum semper magna est multitudo in mundo, de inani spuma fidei glorientur, docet Paulus ex quibus effectibus, quæ sit vera & sincera fides, probari possit. Si quis verè & ex animo credit Euangelio, & apprehendit beneficia mediatoris, facere aliter non potest, quin Deum ardenter diligere incipiat. Dum enim animus videt & statuit, se ex mera Dei misericordia et bonitate tantùm propter filium mediatorem liberatum esse ex seruitute peccati, ereptum ex potestate mortis, & tyrannide Satanæ: & translatum in regnum lucis, adoptatum in filium Dei, & constitutum hæredem vitæ æternæ: tenere se non potest, quin ardenti amore complectatur tam clementem Deum & propitium benefactorem. Et quia per fidem in iustificatione simul accipitur Spiritus sanctus: non patitur is ociosam esse mentem & voluntatem fidelis: sed in ea suscitat multas & magnas virtutes: humilitatem, patientiam, spem, studium veritatis, reuerentiam

tiam erga ministerium, inuocationem, gratiarum actionem, confessionem & similes motus. Vnde Paulus: Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Et Gal. 5. Qui Christi sunt, hi crucifigunt carnem cum affectibus & desiderijs eius. Et Christus inquit Luc. 7. Remissa sunt ei peccata multa: Ideo dilexit multum. Dauid Psal. 103. Benedic anima mea domino, & noli obliuiscì omnium beneficiorum eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Psal. 116. Quid retribuam domino pro omnibus beneficijs erga me? Calicem salutarem accipiam, & nomen domini inuocabo. Vota mea domino reddam coram omni populo eius. Ioh. 15. Qui manet in me, & ego in eo, fructum multum feret. 1. Iohan. 3. Omnis qui habet hanc spem in ipso, mundat seipsum, sicuti ipse purus est. Omnis qui manet in ipso, non peccat. Ex his testimonijs manifestum est, fidem veram, quæ per Christum veniam delictorum apud Deum impetrauit, non esse ociosam, neq; negligere studium bene operandi: Sed per dilectionem efficacem esse, hoc est, lucis suæ radios per omnis generis virtutes spargere in mundum, vt glorificetur pater, qui in cælis est, & tam immensa beneficia in nos contulit. Vt vita continere se non potest, quin prodat se motu: ita fides vera cohibere se non potest,

potest, quin exerat sese dilectione Dei & proximi. Quòd si totus homo friget in dilectione, alienus est ab omni studio virtutis: indulget carnis cupiditatibus, vacat timore domini, & pergit in sceleribus: De eo certò statui debet, quòd expers sit veræ fidei, quòd non sit Christi, nec ducatur spiritu Dei. Nullo enim affectu apparente, colligitur abesse & causam. Nec sanè fieri potest, vt in eo luceat fides vera, qui scelerum tenebris oppressus iacet & delectatur. Fides in Christum cum proposito sceleratè viuendi, nunquam consistere potest. Nam fides solatium est in dolore propter admissum peccatum: Non quærit ille solatium, qui lætatur scelerata vita. Vnde sunt illa dicta scripturæ. Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. 1. Ioh. 3. Qui facit peccatum, ex diabolo est. Qui non diligit fratrem, manet in morte. 1. Corinth. 13. Si omnem fidem habeam, ita vt montes transferam, dilectionem autem non habeam, nihil sum. 1. Ioh. 3. Omnis qui qui non facit iusticiam, non est ex Deo. Gal. 5. Manifesta sunt opera carnis, vt adulterium, scortatio &c. qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt. Hæc dicta euidentissimè demonstrant, non existere fidem veram in illis, qui retinent propositum peccandi, & polluunt sese peccatis conscientiam vastantibus, & planè vacui sunt ti-

moris & dilectionis Dei & proximi. Ex operibus ergo dilectionis æstimari potest, quæ sit vera & non simulata fides. Ideo Paulus dicit, fidem in Christo Iesu valere, quæ per dilectionem sit efficax. Quòd verò Pontificij scriptores hoc Pauli testimonium ita contorquent, ac si fides vera non sit, nec iusticiam apud Deum impetret, nisi formata sit & vestita dilectione: & distinguunt inter fidem informem & formatam dilectione: Contendunt etiam, quasi fides tantùm sit præparatio ad iustificationem, quam deinde dilectio nostra informans fidem absoluat: detestabilis est corruptela. Paulus enim non dicit fidem à dilectione formari: sed per dilectionem efficacem esse: hoc est, fontem & matrem esse dilectionis, quæ fertilitatem & vires suas per dilectionis opera demonstret. Dum fides apprehendit mediatorem & acquieuit in promissione Euangelij, & statuit firmiter quòd pater æternus ex immensa misericordia condonauerit nobis peccata: vera est, & iusticiam apud Deum impetrat, etiam sine & ante bona opera. Non operanti, inquit Paulus, credenti autem in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iusticiam. Rom. 4. Fides informis merum est figmentum ociosorum hominum, nisi fidem hypocritæ, & noticiam historiæ intelligere velis, qualis

qualis etiam in dæmonibus existit: hæc non affert pacem, sed auget terrores. Vera fides est motus à spiritu sancto voce Euangelij in mente & voluntate accensus, quo applicamus nobis promissionem gratiæ, & statuimus omnia peccata nobis donata esse propter mediatorem. Hæc non est præparatio ad iustificationem, sed planè iustificat hominem peccatorem, & perficit iustificationem. Act. 13. In hoc omnis qui credit, iustificatur. Rom. 3. Arbitramur hominem iustificari fide absque operibus legis. Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus apud Deum. Rom. 4. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iusticiam. Doctrina ergo de dilectione & fructibus fidei non est traducenda in articulum iustificationis. Longè aliud est loqui de fide hominis iustificati, quomodo ea explorari, & ex operibus dilectionis dignosci queat: aliud de actu fidei in ipsa iustificatione. Fides sine operibus & ante opera sola iustificat, quia Christum apprehendit. Quando verò impetrauit iusticiam gratuitam, continere se non potest, quin radios suæ lucis per dilectionem spargat in mundum.

Ad eundem modum respondemus & Maioristis abutentibus hoc loco, ad stabiliendam necessitatem bonorum operum ad salutem. Illa

demum (inquiunt) fides iustificat, quæ per dilectionem est efficax. Ergo fides sine bonis operibus non est. Ergo bona opera ad salutem sunt necessaria. Verùm respondemus. Dictum Pauli non est torquendum ad articulum de iustificatione. Copiosè enim eum tractauit Paulus suprà cap. 3. Hîc verò agit de fide hominis iustificati, & docet, ex quibus fructibus arbor cognosci possit. Non dicit Paulus, fidem, quæ per dilectionem est efficax, iustificare: neq; sic loquimur in Ecclesia, ne fidem & opera in iustificatione confundamus. Sed dicit eam in Christo valere, hoc est, Deo placere, res magnas agere, multa bona impetrare. De statu ergo hominis iustificati loquitur. Discernenda sunt dicta spiritus sancti, quæ de ipsa iustificatione loquuntur, in qua opera nulla sunt causa, ne quidem causa sine qua non, nec sunt ad eam necessaria: à dictis quæ loquuntur de fructu & effectibus fidei, seu de probatione hominis iustificati. Attendendum est enim, quo respectu quid dictum sit ab Apostolis & Prophetis: Neq; aliò contorquendæ sunt sententiæ spiritus sancti. Falsa omnino & perniciosa propositio est: Bona opera esse necessaria ad salutem. Nec posse quenquam sine bonis operibus saluari. Pugnant enim hæc cum doctrina Apostoli Rom. 4. Credenti autem in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iu-

ad iusticiam. Remoueantur ergo corruptelæ à dictis Apostoli Pauli. Rectè autem ex hoc Pauli dicto colligitur necessitas bene operandi. Fides enim quæ in Christo Iesu valet, efficax esse debet per dilectionem.

CASTIGATIO.

Currebatis bene, quis vos impediuit, ne obediretis veritati? Persuasio non est ex eo qui vocauit vos. Modicum fermenti totam massam fermentat. Ego persuasus sum de vobis in domino, quod non aliud sensuri sitis: qui autem turbat vos, portabit iudicium, quisquis sit. Ego autem fratres, si circumcisionem adhuc prædicem, quid adhuc persecutionem patior? exinanitum est scandalum crucis. Vtinam etiam abscindantur, qui conturbant vos.

ABsoluto tractatu de libertate per Christum nobis parta, & legis abrogatione, ac repetitis præcipuis argumentis, interspergit acrem

castigationem, vt eos lapsus admoneat, & in viam reuocet, & studium adseruandi puritatem doctrinæ in ipsis suscitet. Currebatis bene: felix & laudatus erat status vestræ Ecclesiæ, cùm doctrinæ Apostolicæ adsentiremini. Tum enim lucebat in vobis vera Dei noticia, intelligebatis beneficia mediatoris, eratis apud Deum in gratia, tranquillam habebatis conscientiam, certi eratis de vitæ æternæ beatitudine, progressus faciebatis in agnitione veritatis, & recto cursu contendebatis ad Deum. Hoc rerum statu nihil in terra potest cogitari felicius: Licet enim omnis generis calamitates & pericula in nos redundent: tamen et Deum habemus protectorem, & certam ex verbo eius consolationem. Sic felicissimus fuit status Ecclesiæ, Dauide & Prophetis docentibus Ecclesiam: Iesaia regente Ecclesiam, Christo docente Euangelion & miracula edente. Luthero gubernante scholam Vuitebergensem. At vbi corruptelæ inuadunt Ecclesias, & occupant rudiorum animos, admodum infelix & tristis est status Ecclesiæ. Doctrina redditur incerta, mentes fascinantur nouo dogmate, fiunt periculosæ distractiones, turbantur conscientiæ, impeditur inuocatio sanctorum, schismata excitantur, læditur gloria Dei, obscuratur fides in pijs, & ipse spiritus sanctus contristatur: Vigilandum est igitur, vt in cursu

nursu bene incepto pergamus, & ne patronis corruptelarum attendamus. Quàm tristis confusio, quàm graue tempus Ecclesiæ fuit in his locis, tempore Osiandrismi? Pij homines cohorrescunt, cùm memoriam eius temporis vsurpant. Quàm miserabilis fuit status Ecclesiæ durante Arrianismo? Qualis confusio, qualis perturbatio extitit Vuitebergæ, grassantibus corruptelis, & plerisq; professoribus infectis Caluinismo? Orandus igitur est dominus, vt seruet doctrinæ puritatem: & vigilandum, ne nouorum dogmatum authoribus vllum in Ecclesia locum concedamus.

Quis vos impediuit?) Non solùm Pseudoapostolos grauiter accusat, quòd falsam doctrinam sparserint: sed & Galatas perstringit, quòd veritate proiecta corruptelis aures præbuerint.

Persuasio non est ab eo, qui vocat vos.) Mira vis est falsæ doctrinæ: Statim peruadit multitudinem, citò occupat mentes, & tantùm non fascinat hominum animos, vt iuret per omnia sacra, esse eam ipsissimam veritatem de cælo patefactam: At fanatici quàm citissimè eam imbibunt: ita pertinacissimè eam tuentur: etiamsi nullis scripturæ testimonijs eam demonstrare possint: sed mera sit persuasio rationi consentanea. Pij etiam timidè agunt, metuunt ne

damnent veritatem, si explodant corruptelas, & ne delinquant in Dei ministros: si authores corruptelarum coërceant. Paulus verò constanter pronunciat, persuasionem illam non esse ex Deo, qui nos ad vitæ æternæ societatem vocauit. Satanæ ergo ludibrium & humanæ rationis figmentum est. Sciri hoc certò potest: Persuasio religionis, quæ tantùm humana authoritate nititur, aut rationi videtur consentanea, & pugnat cum expressis spiritus sancti oraculis, nequaquam est à Deo: Deus enim suo verbo non aduersatur. Neq; in religione, quid ingenio humano concinnum videtur, spectandum est, sed quid ipse voce sua promulgauerit: Quæ claro Dei verbo nituntur, ea à Deo profecta sunt, & conscientiam reddunt certissimam. Vitandæ ergo sunt persuasiones, quantumuis arridcant ingenio humano, quæ expresso Dei verbo demonstrari non possunt. Et licet interpretationes adferantur bellissimæ, si à manifesto Dei verbo dissideant, veluti Satanæ præsentissima venena sunt fugienda.

Parum fermenti totam massam fermentat:) Prouerbiali & allegorica sententia tacitè occurrit obiectioni. Haud dubiè fuerunt apud Galatas, qui controuersiam & defectionem hanc extenuauerint: quasi esset certamen non ita magni

magni momenti: Nec Paulum satis iustas habere causas, tam acriter inuehendi in pseudoapostolos & Galatas. Familiare hoc est mundo & in primis sectarijs, cùm arguuntur falsi dogmatis: extenuant controuersias: rem esse indignam aiunt, vt scindatur concordia propter rem leuiculam, voculam aliquam, vel diuersam interpretationem. Pacem colendam & seponendum esse religionis dissidium. Sic Sacramentarij, cùm sentiunt se prostratos esse argumentis, nec sua tueri possunt, nec tamen discedunt à concepta opinione: queruntur, leuiculum hoc esse, in quo dissentiamus: consentire nos in summis articulis: Ideo illos vt fratres agnoscendos, nec amplius pugnandum esse. Interea apud suos, & vbi vident impune licere, accusant Lutheranos idolatriæ, parricidiorum, blasphemiæ, Eutychianismi, & quòd deteriores sint ipsis Papistis. Sic alij corruptelarum patroni aiunt leue esse, in quo dissentiamus. Erasmus tantùm facultatulam vult concedi libero arbitrio: Victorinus nutulum tantùm et adsensum. Sed quantumuis extenuent sententiam, certum est quòd verbo Dei contradicant: nisi fateantur prorsus nihil esse in homine, omnē vim liberi arbitrij esse emortuam, & totum dent Deo. Tempore Arrianismi de vna vocula erat certamen: nimirum num filius Dei patri esset

ὁμοούσιον, hoc est vnius & eiusdem substantiæ cum patre. Et arguti homines tantùm iota virgulam interponebant, vt dicerent ὁμοιούσιον, hoc est, similis essentiæ. Verùm de re maxima agebatur, nimirum de æterna & patri æquali essentia filij Dei. Homines politici ignari certaminum Ecclesiæ, putarunt indignum esse de vna voce vel litera tantas turbas in Ecclesia dare. Vnde præfectus imperatoris Valentis Modestus, cùm Basilio magno persuadere conaretur, vt petitioni imperatoris adsentiretur, rogabat eum, ne tenuis exquisitione dogmatis tot Ecclesias in tantum discrimen adducere vellet. Theod. lib. 4. cap. 19. Gallion præfectus Achaiæ Act. 18. Iudæis litem mouentibus Paulo apostolo: contemptim admodũ loquitur: Si vos disceptatis de sermone, nomine et lege, quæ est apud vos: ipsi videritis: Ego de his iudicium facere nolo. Sic plerique gubernatores politici existimant Theologorum certamina esse inanes λογομαχίας & contentiosorum hominum futiles rixas. At Paulus hîc monet de summa rei agi, et vniuersam salutem Ecclesiæ adduci in periculum. Parum fermenti totam massam fermentat: hoc est, vbi semel discessum est à veritate in aliquo articulo fidei, mox vniuersa religio corrumpitur, & fides adulteratur. Etiam in alijs rebus ac

bus ac in tota vita monent homines sapientes: μὴ παροραῦ τὸ περὶ μικρὸν. Nam vt sententia habet: ἐκ ὀλίγου πόλλα. Parua scintilla sæpe totam comburit syluam. Et experientia natus est versiculus: πολλάκις ἐξ ὀλίγης ὀδυνης μέγα γίνεται κακόν. In religione quoq; hæc locum habent: vbi ex tenui vitio sæpe immanes exoriuntur errores, qui deinde religionem ex fundamentis euertunt. Non ergo conniuendum est ad errorum exordia: neq; silentio dissimulandæ corruptelæ: sed ilicò vt Scorpius apparuerit conterendus est: fides moram non patitur, vt verbis Hiero. vtar. Vt enim Gangrena si vnum aliquod membrũ occupauerit, nisi ferro secetur, totum interficit hominẽ: Sic error nisi ei resistatur, totam corrumpit religionem, et vniuersam inuadit Ecclesiam. Hîc verò etiam pia & docta prudentia adhibenda est: ne de rebus non necessarijs tumultuemur: ne per inscitiã vel calumniam orthodoxos errorũ insimulemus sine causa, ne propter futiles λογομαχίας turbas excitemus in Ecclesia: sed prudẽter distinguamus inter necessaria et nõ necessaria certamina. Stolidè fecerunt Africani, quòd propter variã lectionem in Iona Episcopo, qui hederam pro cucurbita legerat, cucurbitariam mouerũt seditionẽ. Nec minus imprudenter fecit Victor Romanus Epi-

Episcopus, qui de festo Paschatos tantas in Ecclesia tragœdias excitauit. Sapienter verò fortiter & sanctè faciunt Lutherani, qui de particula exclusiua Sola in propositione: Sola fide iustificamur coram Deo: ad sanguinem vsq; præliantur. Hîc enim cedendum non est, hic nihil largiendum: hic duros et plus quàm ferreos nos esse oportet: Insidiæ enim struuntur toti religioni: quæ nostra non est: sed quæ ad Dei gloriam & totius Ecclesiæ salutem pertinet. In alijs omnibus simus faciles, liberales, prompti, tractabiles, placabiles: At in negocijs religionis constantes et immoti. Ad mores dictum quoque transferri potest: Sæpe vnus homo malus totam corrumpit suo exemplo ciuitatem, sæpe modica stulticia deprauat & euertit omne, quod ex sapientia & virtute comparatum est: vt musca mortua fætere facit precioſum vngentum: Verùm hic ad doctrinam transfert Apostolus allegoricam sententiam.

Ego confido de vobis in domino:) *Ne Galatæ suspicentur, Paulum prorsus esse abalienato animo, commemorat se spem bonam fouere, Galatas redituros ad saniorem mentem, & abiecta Pseudoapostolorum corruptela, adsensuros institutioni & correctioni Apostolicæ. Sic decet pastores & Episcopos Ecclesiarum semper optima quæq; sperare de suis auditoribus. Labor enim ministrorum Euangelij non est inanis in domino. Ac declarauerunt Galatæ antea suam pietatem non simulatam: quòd serio sitirent veritatem: Turbati autem erant per pseudoapostolos. Cùm ergo nunc Paulus solida monstrauerit fundamenta veritatis, & corruptelæ falsitatem refutarit, meritò bene sperat de eis: sed tamen in domino. Liberi enim arbitrij non est abijcere errores, & locum dare meliora monenti et docenti veritatem. Humanum ingenium delectatur commentis opinionum: & quam semel imbibit falsam sententiam, superbè & pertinaciter defendit. Domini verò opus & donum est, quando seducti redeunt ad saniorem mentem, & abiecto errore incorruptæ veritati adsentiuntur. Is enim suo spiritu & mentes illuminat, vt causas falsitatis intelligant: & voluntates flectit ad adsentiendum. Non ergo statim omnis spes abijcienda est de authoribus, etiamsi nimis facilè passi sint se seduci: Neq; durius tractandi sunt, ac si sanabiles non essent, sed seducti & sanabiles ab authoribus corruptelarum sunt discernendi: & domino fidendum, qui spiritu suo regit Ecclesiam.*

Qui verò conturbat vos, iudicium suum portabit.) *Apostolus discernit seductores &*

res et corruptelarum authores, ab auditoribus deceptis, et simplicitate lapsis: de his bene sperat: illis verò minatur Dei iudicium et grauem pœnam.

Graue & horrendum scelus est, scindere & perturbare Ecclesiam nouo dogmate: Sic enim obscuratur veritas, lœditur gloria Dei, turbantur conscientiæ, extinguitur fides, et mentes fidelium à Christo abducuntur: Et tamen fanatici doctores plerunq; sunt securissimi et ferocissimi in tam horrendis peccatis. Vident enim se habere applausum populi: & se munitos esse præsidio humano: & figmenta opinionum grata esse politicis gubernatoribus: Paucos verò reperiri, qui seriò inquirant veritatem, et inuentam vel monstratam constanter tueantur. Verùm Paulus docet illos Ecclesiarum perturbatores, et nouorum dogmatum architectos, non impunè laturos: etiamsi plerunq; muniunt sese fanatici brachio seculari, & plebem sibi adiungunt: & totis viribus hoc agunt, vt omnium animos abalienent à pijs et sinceris doctoribus: non tamen euadunt iudicium Dei: sed cùm impleuerunt mensuram suam, diuinitus reprimũtur, & ad supplicia trahuntur. Sic Core & Dathan turbatores Ecclesiæ absorpti hiatu terræ, portauerunt iudicium. Zedekia et Achab Ier. 29. adulterijs et falsis vaticinijs turbarunt Ecclesiam exulantem: sed mandato regis Babyloniorũ combusti

busti igne pœnas dederunt. Sic Arrium, Nestorium, Manetem, Olympum, Cerinthum, Ioannem à Leiden, Muntzerum & similes turbatores Ecclesiæ grauis vltio diuina comitata est. Non ergo polliceatur sibi quisquam impunitatem, qui vel malo exemplo, vel falsa doctrina, vel φιλονικίᾳ καὶ λογομαχίᾳ vel schismate Ecclesiam, quæ sanguine Christi redempta est, turbare audet. Paulus hîc diserte omnem culpam turbatæ Ecclesiæ confert in deprauatores doctrinæ Apostolicæ & meritò: Falsa enim doctrina, tanquam pomo Eridos, in mediũ proiecta, mox scinditur & periculosè turbatur Ecclesia. Vbi animi falsæ doctrinæ dederunt locum, mox instigante impuro spiritu, odia acerbissima concipiunt aduersus sinceros doctores et rectè sentientes: et causam deinde suam horrendis mendacijs, conuicijs, calumnijs & id genus sceleribus tueri conantur, quibus turbas mouent, quas nemo nisi Deus ipse sedare potest. Mundus verò mirabili arte excusat Schismaticos, et hæreticos: commendat eos vt pacis studiosissimos: mundus enim ea, quæ sua sunt, diligit: Eos verò, qui contradicunt falsis dogmatibus, qui verbo Dei refellunt corruptelas, qui monent Ecclesiam, vt sibi ab erroribus caueat, qui resistunt schismaticorũ conatibus, qui ministerij authoritate arguunt scelera mundi: hos mundus deformat, accusat, calumniatur, vt omnium

turba-

turbarum authores in Ecclesia & Repub. & veluti tubas bellorum & seditionum proclamat. Attendendum est igitur, longè aliud esse spiritus Dei, quàm mundi iudicium. Suo tempore patefacit Deus, quorum ipse probet innocentiam: & quibus ob turbatam Ecclesiam decreuerit pœnam. Punit autem Deus, non vno modo: Sæpe infligit pœnas temporales: sæpe punit cæcitate & amentia: & peccata peccatis, errores erroribus: non agentes pœnitentiam remouet è suo conspectu, & in æternos abijcit cruciatus.

Ego verò fratres si circumcisionem prædico, cur etiamnum persecutionem patior? exinanitum est scandalum crucis:) Tacitè occurrit obiectioni: Apud se enim hoc argumento vti poterant Galatæ: An non tu Paule circumcisus es? An non circumcidisti Timotheũ? Cur ergo tanta vehementia impugnas ea, quæ ipse doces & facis? An alijs doctoribus licere non vis, quod tibi licet? Ad hæc respondet Paulus: Grauem illam persecutionem, quam à Iudæis sustineat, argumento esse, quòd circumcisionem non doceat. Hæc enim vel præcipua erat causa acerbissimi odij Iudæorum aduersus apostolum Paulum: quòd palàm doceret, neq; circumcisionem neq;

neq; legis obseruationem ad consequendam salutem necessariam esse. Molestè ferebant Iudæi dissolui politiam ab ipso Deo per Moysen constitutam: formam sacrorum in populo Dei tot annos defensam conuelli: gloriam & prærogatiuam seminis Abrahæ minui: Et gentes æquari Iudæis: ac persuadebant sibi Ecclesiam ipsam hac ratione penitus euerti: Itaq; zelo non secundum scientiam ardebant aduersus Paulum. Contrà videbat Paulus derogari gloriæ Christi, obscurari mortem & resurrectionem Messiæ exhibiti, impediri fidem, & intolerabile onus legis imponi conscientijs, si vrgeatur circumcisionis necessitas. Itaq; & gloriam Iesu Christi & salutem Ecclesiæ Iudæorum politiæ anteferenda esse censet: præsertim agone populi Iudaici ad finem deducto, & Messia iuxta promissionem exhibito. Maiult Paulus deleri statum & formam politiæ Mosaicæ, dissolui omnes leges & cæremonias Moysi, abijci semen Abrahæ, vt non sit populus Dei: quàm beneficia mediatoris Iesu Christi obliterari, fidem in Christum deleri, & necessariam conscientijs eripi consolationem. His de causis non dubitauit abolere circumcisionem, & grauissimis sese exponere periculis. Hoc Pauli certamine admonemur, puram Euangelij doctrinam semper comitari odia, persecutionem & varia pe-

via pericula. Et apostolos et fideles Episcopos non tantùm ab ijs oppugnari & premi, qui palàm Euangelicæ doctrinæ hostes, verùm etiam ab ijs, qui præ alijs titulum populi sibi vendicant, & gloriantur se zelo veritatis & gloriæ Dei ardere. Iudæi longè atrocius persecuti sunt Paulum, quàm gentes Idolatræ, vt videre est in actis apostolorum: quòd passim Iudæi contra Paulum tumultus excitarint. Muniamus ergo pectora nostra in tali aduersitate, nec propter ærumnas, difficultates, exilia, pericula, siue ea nobis creentur à manifestis hostibus, siue ab hypocritis pietatem simulantibus, vel proijciamus veritatem, vel in officio nostro nos turbari patiamur. Non enim alia conditio piorum doctorum in hac vita est. Mundus amat tenebras, & odit veritatem & Christum: vt est in Psal. 2. Quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania: adstiterunt reges terræ et principes conuenerunt in vnum, aduersus dominum et Christum eius. Omnes ordines in genere humano, nisi spiritu Dei illuminentur, ardent odio Messiæ, & ipsius doctrinam & regnum deletum cuperent. Sic quoq; à Deo constitutum est, vt omnes qui volunt piè in Iesu Christo viuere, inprimis verò Euangelij præcones, & iusticiæ doctores, persecutionem patiantur. Hoc modo vult nostram explorare fidem, exer-

exercere patientiam, inflammare inuocationem, et dona sua in nobis augere. Hac occasione dũ sanctos suos mirificat, ad inferos deducit et reducit, mortificat & viuificat, immensam suam sapientiam et omnipotentiam mundo vult patefacere, et suam erga Ecclesiam ardentissimam dilectionẽ euidenti argumento demonstrare. Hoc admirando consilio pater æternus filium suum vnigenitum Messiam obiecit grauissimis periculis in vita, exercuit atrocissimis calamitatibus, ac tandẽ demersit eum in mortem: sed tandem resuscitauit eum à morte, et constituit ad dexteram maiestatis suæ. Huic imagini filij Dei Messiæ et capitis Ecclesiæ oportet nos conformes fieri. Quemadmodum igitur vmbra à corpore, lux à sole, calor ab ignì separari non potest: ita nec Christum, nec eius veritatem, nec fideles pastores habere possumus sine scandalo crucis. Quamprimum scandalũ crucis tollitur, persecutiones et pericula penitus vitãtur, amittitur Christus et veritas ipsa. Multi doctores Ecclesiæ summo studio inquirunt rationẽ, qua ita doceant Euangelion, et ministerio verbi adeò circũspectè fungantur, vt placeant omnibus, offendãt neminem, et ab omni periculo et persecutione sint immunes: et tamen veritatis iacturam nõ faciant. Verùm impossibilia planè quærunt & optant. Quamdiu mundus hic durauerit, veritas Euange-

perſecutione prædicari non poterit. Etiamſi magiſtratus pietate ſuperaret Dauidē vel Hiskiam: Ipſe Paulus apoſtolus præeſſet miniſterio: & plebs ardenter ſitiret veritatem: tamen paſtor vel Epiſcopus ſuo fungens miniſterio in timore Domini, non eſſet immunis à perſecutione. Satan enim nunquam quieſcit: ſerit ille noctu ſua Zizania. Mundus verò moleſtè fert taxari errores & peccata. Hinc eſt quòd Chriſtus ait: Mitto vos tanquam oues in medium luporum. Non veni mittere pacem, ſed gladium & accendere ignem. Fruſtra ergo quæruntur conciliationes vel effugia: fruſtra nos torquemus inueſtigando viam & rationem, qua ita cautè doceamus, vt omnia odia et pericula declinemus. Chriſtus, in quo omnes theſauri ſapientiæ diuinæ reconditi ſunt, & qui omnium ſapientiſſimè functus eſt miniſterio docendi, non fuit tutus à calumnijs, periculis, perſecutionibus. Quis ergo ſperet, ſe prudentia ſua declinaturum mundi odia, pericula confeßionis, & impiorum hominum inſidias? Cautè quidem & circumſpectè viuendum eſt: quia vt oues in medio luporum viuimus, vt Daniel in medio leonum ſedebat: Ideo Chriſtus monet: Eſtote prudentes vt ſerpentes, & ſimplices vt columbæ. Verùm viuas licet ſanctiſſimè, doceas fideliſſimè, ſeruias diligentiſſimè, tametſi

tametſi agas omnia prudentiſſimè: tamen odia, exilia, perſecutiones & pericula declinare non poteris. Idcirco muniendus & præparandus, & obfirmandus eſt animus, ne huiuſmodi aduerſitatibus labaſcat. Magna etenim conſolatio eſt, quod eadem fuit & Pauli et reliquorum Apoſtolorum, imò ipſius capitis Eccleſiæ, domini noſtri Ieſu Chriſti conditio. Et nota nobis eſt clementiſſima Dei erga nos voluntas, qui nobiſcum eſt in tribulatione. Scimus omnes capillos capitis noſtri numeratos eſſe: filius Dei promittit, ſe ſpiritu ſuo roboraturum corda noſtra: & teſtatur in cælis copioſam mercedem nobis eſſe repoſitam. Pluris ergo faciamus æterni Dei gloriam, verbi diuini puritatem, à Deo electæ Eccleſiæ ſalutem, & æternæ vitæ beatitudinem & gloriam, quàm totius mundi vel commoda vel furores.

Vtinam excindantur, qui vos perturbant.) Vt ſuprà minatus eſt Paulus pſeudoapoſtolis, & turbatoribus Eccleſiæ, iudicium Dei: ita hic voto ſuo apoſtolico vaticinatur, certò illos perituros eſſe. Exitium illis imprecatur: quia non redeunt ad ſaniorem mentem, nullum faciunt finem blaſphemandi nomen Dei, impediendi curſum Euangelij, & turbandi infirmorum conſcientias. Ex pio igitur zelo proficiſcuntur

tales imprecationes: Ac similes extant in Psalmis. Psal. 55. Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes: quoniam nequitiæ in habitaculis eorum. Non enim conuertuntur: & Deum nõ timuerunt. Ps.139. O si occideres Deus impios, & viri sanguinum declinarent à me. Hic verò quæri solet, an huiusmodi imprecationes pugnent cum mandato Christi, de diligendis inimicis, & de precando pro ijs, qui nos lædunt & persequuntur? Matth. 5. Respondemus autem nequaquam eiusmodi imprecationem pugnare cum præcepto de dilectione. Dauid enim Apostoli & reliqui pij, qui interitum imprecantur blasphemis hæreticis, turbatoribus, primùm in spiritu precati sunt pro eis, vt Deus illos conuerteret, ad agnitionem peccatorum deduceret, & meliorem mentẽ illis inspiraret. Atq; ita summum dilectionis officium illis præstiterunt, iuxta Christi præceptum. Nec quicquam gratius esset pijs mentibus, quàm si hostes nostri agerent pœnitentiam, desisterent à perturbatione Ecclesiæ, & vnanimi spiritu nobiscum profiterentur veritatem, omnium iniuriarum pij libentissimè obliuiscerentur. Quia verò superbè respuunt omnes admonitiones, arroganter iactant se iustam tueri causam, obstinatè pergunt in sceleribus, ita vt nulla sit spes resipiscentiæ: non desistunt lædere gloriam Dei, obscurare

rare veritatem, turbare piorum conscientias: omnino rectè inuocatur Deus, vt tandem deleat tales Ecclesiæ pestes, & finem faciat horribilium mendaciorum, calumniarum, blasphemiarum. Non enim suam hic agunt causam pij, neq; carnis indulgent affectibus: sed accensi pio zelo per spiritum sanctum, ipsius Dei causam agunt et Ecclesiæ. Volunt parci nomini diuino, et saluti Ecclesiæ consuli, quæ valde impeditur per tales perturbatores. Discernunt etiam pij seductam plebem à seductoribus, & perturbatoribus, & sanabiles à pertinacibus. Duces & authores corruptelarum non reuertuntur, præsertim cũ admoniti pergunt, contra euidentem scripturæ veritatem tueri suos errores. Atq; hi alias habent causas, studẽt ambitioni, auaritiæ, calumnijs: laborant cupiditate vindictæ, et quærunt populare auram, vel voluptates carnis: neq; de gloria Dei, neq; de propria salute sunt solliciti. At auditores seducti dum sitiunt veritatem, decipiuntur blanditie & callidis strophis præstigiatorum. Vbi verò rectius edocentur, redeunt in viam, et dant locum veritati. Pro seductis ergo et sanabilibus orandũ est, & cũ fert occasio, diligenter sunt instituendi. Αὐτοκατακρίτους verò licet imprecari interitum, ne cursum Euangelij, & gloriam Dei amplius impediant. Cauendum est autẽ ne zelo misceantur impuri affectus

veteris Adami; quales sunt dolor repulsæ, cupiditas vindictæ, studium ambitionis, spes lucri vel honorum, liuor, maleuolentia et similes: Hi enim motus pugnant cum dilectione, quæ etiam erga inimicos declaranda est. Zelus à spiritu Dei accensus absorbet omnis carnis adfectus, & solius Dei gloriam & veritatis propagationem respicit. Monet hîc apostolus Paulus, non posse deleri hæreses, neq; turbatæ Ecclesiæ restitui pacem, nisi votis ardentißimis diuinum imploremus auxilium, vt ille tandem de cælo suum patefaciat iudicium. Necessariæ planè sunt refutationes corruptelarum: Et hoc officium postulat Deus ab Apostolis, Episcopis & pastoribus, vt de verbi diuini testimonijs conuincant hostes veritatis, & obstruant ora contradicentibus: rectè sentientes in vera doctrina confirment: seductos in viam reuocent. Piè etiam facit magistratus politicus, si cohibet hæreses & seueritate suppliciorum vindicet blasphemias & seditiones. Verùm hoc satis non est: Nulla enim vi corporali, nulla humana diligentia penitus extirpari possunt hæreses. Vbi verò Deus de cælo suum patefacit iudicium, deletis singulari exemplo præstigiatoribus, tum conticescunt. Vt cũ excisi sunt diuinitus Core et Dathan, Baalitæ, pharisæi, pseudoapostoli, Cerinthus, Arrius, Nestorius, Olympus, Montanus, Priscilla, Munzerus, & alij innumeri.

IIII.

QVARTVM MEMBRVM EPISTOLÆ.

Doctrina de bonis operibus.

Vos enim in libertate vocati estis fratres: tantùm ne libertatem in occasionem carni (prætendatis,) sed per dilectionem seruite (vobis) inuicem. Nam vniuersa lex vno sermone impletur, in hoc nimirum: Diliges proximum tuum sicut teipsum, si verò vos inuicem mordetis & voratis: cauete ne ab inuicem consummamini.

ABsoluta & explicata doctrina de iustificatione hominis coram Deo per fidem, et monstrato vsu legis diuinæ, simul etiam exposita & defensa doctrina de abrogatione legis, transit Apostolus ad doctrinam de bonis operibus. Hoc enim caput doctrinæ perneceſſarium nequaquam omittendum, vel silentio prætereundum est. Fun-

damentum salutis nostræ est articulus de iustificatione per fidem. Sine Christo saluari non possumus, etiamsi multis & magnis niteamus virtutibus. Væ enim hominum vitæ, quantumuis laudabili, nisi sit sub venia. Prius ergo explicari oportet beneficia mediatoris: & doceri fidem in Christum. Hoc verò fundamento rectè collocato, omnino superstruenda est doctrina de bonis operibus. Hoc fine enim eripit nos Deus ex manu inimicorum nostrorum: vt omnibus diebus vitæ nostræ seruiamus ipsi in sanctitate & iusticia. Luc. 1. Vtraq; ergo doctrina luceat in Ecclesia Christi. Si tantùm fides & meritum Christi doceatur, neglecta doctrina de bonis operibus: induunt homines securitatem, & indulgent carni: atq; ita cæno Epicureo immergitur fides & planè extinguitur. Si tantùm virtutis studium vrgeatur ex lege, posthabita Euangelij doctrina de gratuita peccatorum remissione & fide in Christum: ad hypocrisin se vertunt homines, vel ruunt in desperationem. Neutra igitur doctrina negligenda est: Nec tamen miscenda sunt hæc distincta membra. Operum necessitas non transferatur ad salutis fundamentum, non confundatur cum articulo de iustificatione hominis coram Deo: sed exemplum Pauli prudenter secantis verbum Dei imitemur.

Est au-

Est autem hæc doctrina de bonis operibus amplissima: in qua hæ quæstiones tractandæ sunt.

1. Quo ordine hæc doctrina proponenda sit populo.
2. Vnde petenda sit doctrina de bonis operibus.
3. Quid sit bonum opus.
4. Quod sit discrimen inter virtutes Ethnicorum, & bona opera sanctorum.
5. An bona opera necessariò sint præstanda.
6. Quomodo bona opera præstari possint.
7. Propter quas causas bene operandum sit.
8. Quomodo placeant bona opera Deo.
9. An bona nostra opera sint meritoria.
10. Quòd maneant in sanctis bene operantibus peccata & infirmitates.
11. Quod sit discrimen inter peccata mortalia, & sanctorum infirmitates.
12. Quæ corruptelæ in hoc articulo vitandæ sint.

Hæ quæstiones summam huius doctrinæ complectuntur: ac singulæ propemodum ordine à Paulo insignibus sententijs explicantur & euoluuntur.

I. QVAESTIO.

Quo ordine doctrina de bonis operibus tractanda sit.

Suo

SVo exemplo id docet nos apostolus Paulus. Prius enim erudit conscientias de peccato & ira Dei: deinde explicat beneficia mediatoris: docet gratuitam peccatorum remissionem propter mortem Christi, & nos iustificari per fidem: vt conscientiæ habeant firmam consolationem. Prius enim oportet arborem poni bonam: vt deinde fructus sequi possint. Itaq; iacto hoc fundamento, superstruit doctrinam de bonis operibus. Hunc ordinem seruat in epistola ad Romanos, & in hac ad Galatas, & in Epistola ad Ephesios: quæ est veluti Epitome huius Epistolæ. Hunc ergo magistrum & doctorem gentium studiosè imitemur.

II. QVAESTIO.

Vnde petenda sit doctrina de bonis operibus.

ETsi in libris Ethnicorum Philosophorum, oratorum, poëtarum, multæ bonæ & elegantes extant sententiæ de moribus, de reprimendis affectibus, de politia, de œconomia, & omni genere virtutum: quæ partim à patribus dimanarunt, partim ex iure naturæ sunt desumptæ: ac omnino congruunt cum lege diuina, & eius interpretatione: non tamen ex his lacunis, sed ex fonte Israël, nimirum ex lege promulgata in monte Sinai depromit Ecclesia integram & plenam doctrinam de bonis operibus. Non respuimus elegantissima dicta, quæ apud Ethnicos scriptores, Homerum, Hesiodum, Sophoclem, AEschilum, Platonem, Xenophontem, Aristotelem, Ciceronem, Ouidium & similes reperiuntur: quatenus ea nulla parte infecta sunt, sed omnino congruunt cum verbo Dei. At integram doctrinam de bonis operibus ex Ethnicorum libris nequaquam petere possumus. Præcipua enim & maximè necessaria præcepta de agnitione veri Dei, de vera inuocatione in spiritu & veritate, de gratiarum actione erga Deum, de timore Dei, de fide in Christum, de patientia in afflictione, de confessione nominis diuini, de sanctificatione Sabbathi, de reuerentia erga ministerium Euangelij, de assiduo studio verbi diuini, de sincera dilectione erga proximum, de diligendis inimicis, alto silentio prætereunt: ac ne intelligunt quidem summa illa officia Christianorum. Imò docent idolatriam & blasphemiam, & impios cultus & superstitionem, & abusum nominis diuini, & dubitationem de Deo: quibus sceleribus maximè prouocatur ira altissimi Dei. Præcepta enim primæ tabulæ decalogi prorsus ignota fuerunt Ethnicis scriptoribus. Præterea in moribus et vita externa er-

na errant plurimùm: ac sæpe falsas ponunt sententias, quibus & sese & alios fallunt. Laudant scriptores dictum: Benefacta malè locata malefacta deputo. Quid ergo, num Christus malefacit, quòd nouem ingratos sanauit leprosos? & præclarum eius beneficium malè locatum fuit? nequaquam. Non enim euentum beneficij, sed benefactoris animum & fidem respicit Deus. Ethnica sententia multos deterret à benefaciendo: quia mundus plenus est ingratissimis hominibus. παλαια γὰ ευδὲ χαρις. Rectius scriptura: Benefacientes non defatigemur, non absterreamur aliorum malicia. Et Salomon in Eccles. Proÿce panem tuum super aquam: hoc est, benefac omnibus, etiam vbi non apparet aliquis fructus nostri laboris. Cicero laudat Catonis factum, qui ex impatientia sibi intulit manus. Verùm lex arguit factum: Non occides. Itaque sententia illa est melior:

Rebus in aduersis facile est contemnere mortem.
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Iure reprehendit Lactantius Ciceronem, quòd duorum verborum adiectione nobilem sententiam corruperit, dicendo: eum esse virum bonum, qui prosit quibus possit, noceat nemini, nisi lacessitus iniuria. Quid opus fuerat (inquit Lactantius) adiungere, nisi lacessitus iniuria? Vt vitium bono viro

no viro quasi caudam turpissimam apponeret, patientiæ, quæ omnium virtutum maxima est, faceret expertem? Palám docent Ethnici, licere fraude circumuenire hostem dolosè agentem. Iudice me fraus est concessa repellere fraudem. Et Cato pueros docet: Qui verbis simulat, nec corde est fidus amicus: Tu quoque fac simile: sic ars eluditur arte. At verò verbum Dei rectius nos docet: Integritas & rectum custodiant me: quia in te speraui. Nihil fraudulenter vult agere Dauid: licet hostes illius varijs dolis ipsi struant insidias. Quàm grauiter impegerunt etiam sapientissimi scriptores et legumlatores Ethnici? Plato sancit omnium rerum communionem. Lycurgus non solùm concedit sed & docet artificiosè furari. Sana ergo perfecta & nullo errore respersa doctrina de bonis operibus non potest peti ex Ethnicis scriptoribus, neq; Philosophis, neq; poetis vel oratoribus. Ex scriptis verò Prophetarum & Apostolorum, qui decalogum interpretati sunt, integram, omnibus numeris absolutam & nulla labe infectam doctrinam de omni genere officiorum petere possumus. Dauid inquit Psal. 119. In quo mundam faciet adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.

Legem

Legem pone mihi domine, viam ſtatutorum tuorum, vt cuſtodiam ea ſemper. Pſal.19. Lex domini immaculata recreans animas: teſtimonium domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Mandata domini recta, lætificantia cor: præceptum domini lucidum illuminans oculos. Non eſt quòd vereamur ne impingamus, dum præſcriptum Dei verbum ſequimur. Paulus Rom. 2. inquit: Tu probas ea quæ præſtant, inſtitutus ex lege: Item habes formam cognitionis, & veritatis in lege. Ad legem igitur & teſtimonia domini: hoc eſt, ad interpretationes Prophetarum & Apoſtolorum, per quos Deus voluntatem ſuam in lege monſtratam fuſius declarauit, reſpiciamus, quoties ſcire cupimus, quæ officia Deo placeant, à quibus conatibus abſtinendum ſit. Ethnicorum dicta prius examinemus ex lege, et interpretatione Prophetarum tanquam Lydio lapide. Quod congruit cum lege, tutò ſequamur: quod diſſidet à lege, vel in ſcriptura fundamentum non habet, quantumuis arrideat rationi, quacunq; orationis elegantia niteat, ſuſpectum ſit nobis. Paulus hic deducit nos ad legem. Vniuerſa inquit lex vno ſermone impletur in hoc: Diliges proximum tuum ſicut teipſum.

III. QVAESTIO.

Quid ſit bonum opus.

BOnum opus eſt motus vel actio interna vel externa hominis, congruens cum expreſſo Dei verbo, accenſa à ſpiritu ſancto, facta in fide mediatoris Ieſu Chriſti, in hunc directa finem, vt Deum honore adficiamus, Eccleſiam Chriſti ædificemus ac ornemus, & proximi ſaluti & commodo ſeruiamus. Bonum opus dicendum non eſt, quod Deus expreſſo ſuo verbo non mandauit. Reijcit enim & damnat Deus ἐθελοθρησκείας. Vt peregrinationes ad loca ſancta, vita monaſtica, circumciſio Turcarum, horæ Canonicæ, ſacrificia Ethnicorum, diſtinctio ciborum. Quod ego præcipio, hoc tantum facito domino: nec addas quicquam nec minuas. Deut.12. In præceptis meis ambulate & iudicia mea cuſtodite & facite ea. Ezech. 26. & Num.15. Ne ſequantur cogitationes ſuas, & oculos per res varias fornicantes; ſed magis memores præceptorum domini faciant ea, ſintq; ſancti Deo ſuo. Nunquam conſcientia certa eſſe poteſt, quòd opus eius placeat Deo, niſi habeat expreſſum Dei verbum. Vnde in Pſal.27. Tibi dixit cor meum, faciem meam requirite: faciem tuam requiram domine. Ac ſanè de omni genere virtutum luculenter nos docet Dei verbũ.

Nec tamen satis est opus esse mandatum à Deo, nisi & à spiritu Dei sit profectum & fiat prælucente fide. Qui enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Rom. 8. Quicquid non sit ex fide peccatum est. Rom. 14. Ideo & hoc loco Paulus inquit: Spiritu ambulate, & carnis concupiscentias non perficietis. Et Ioh. 4. Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Opera & virtutes, quæ luce fidei destituuntur, sunt emortua litera, & conatus quidam carnis. Et cùm persona expers fidei displiceat Deo propter impuritatem, nec opus eius Deo gratum esse potest. Ad hunc finem quoq; omnia referenda sunt, vt Deum celebremus, & nomen eius latè propagemus. Paulus inquit: Omnia ad Dei gloriam facite. 1. Cor. 10. Colos. 3. Quicquid omnino feceritis sermone vel opere, omnia in nomine domini Iesu, gratias agentes Deo & patri per ipsum. Matth. 5. Luceat lux vestra inter homines, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Psal. 106. Congrega nos de nationibus, vt confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua.

IIII. QVAESTIO.

Quod sit discrimen inter virtutes Ethnis

Ethnicorum & bona opera sanctorum.

Tria sunt valde illustria discrimina inter Ethnicorum virtutes: & fidelium sancta opera. Primùm enim differunt causis efficientibus. Ethnicorum virtutes, vt Pauli Aemylij abstinentia, Camilli fortitudo, Reguli fides, Aristidis iustitia, tantùm à ratione & virtute liberi arbitrij orta sunt: Si quis contendat, heroicos illos motus non extitisse absq; Deo: Verum quidem hoc est, sed generali actione Dei, non habuerunt ductorem spiritum sanctum. At fidelium bona opera, vt castitas Iosephi, constantia Danielis, nolentis omittere inuocationem, fortitudo Iosuæ, mansuetudo Moysis, zelus Phineas, placabilitas Dauidis, robur fidei in Abrahamo, patientia inuicta Iacobi, à spiritu sancto sunt accensa, qui corda ipsorum rexit & inflammauit. Cor mundum crea in me Deus (inquit Dauid) et spiritum rectum innoua in visceribus meis. Psal. 51. Et induit spiritus Sampsonem: inquit scriptura. Rom. 8. Qui spiritu Dei aguntur hi sunt filij Dei.

Secundò differunt formali causa. Ethnicorum virtutes non reguntur certo verbo Dei: sed tantùm rationis iudicio, in quo multi sunt errores: et quòd in perpetua hæret dubitatione: destituun-

tur etiam fiducia mediatoris. Quando Camillus præliatur pro patria, & ciuium suorum ingratitudinem patienter fert, persuadet sibi quidem rectè se facere, iudicio rationis: sed ignorat, num opus hoc placeat Deo: nec statuit se Deo reconciliatum esse. Non ergo congruit ipsius motus cum verbo Dei. At Iosue conferens manus cum hostibus, habet in conspectu mandatum Dei, scit etiam se in gratia esse propter promissum Messiam, certò statuit opus suum Deo gratum esse, quia congruit Dei mandato.

Tertiò differunt causa finali. Fabricius respuit regis amplissima munera. Scipio obijcit se periculis pro salute patriæ. Paulus Aemylius cùm opes amplissimas, quas hostibus eripuit, inferret fisco, nihil transtulit in priuatum vsum. Alexander abstinuit ab vxore Darij: Verùm hæc non retulerunt ad gloriam Dei, sed ad nominis sui celebritatem. Vt est in versu: Vicit amor patriæ laudumq; immensa cupido. At sancti reges, Prophetæ & Apostoli & reliqui fideles in omni actione non propriam gloriam, sed Dei honorem & Ecclesiæ commodum inprimis respiciunt. Psal. 147. Confiteantur tibi domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur: Vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam: & gloriam magnificentiæ regni tui.

V. QVAESTIO.

An bona opera necessariò sint præstanda; & num hæc necessitas pugnet cum libertate spiritus?

NEcessariò bene operandum est: quia hoc fine per Christum à seruitute peccati liberati sumus; vt coram Deo in iustitia & sanctitate vera viuamus: Idcirco etiam datur nobis spiritus sanctus per fidem, vt virtuti studeamus, & ab omni inquinamento vitæ nos abstineamus: Seuerissimè quoq; mandauit Deus in lege obedientiam: & legis sapientia in æternum immota manet. Ac nos innumeris modis & beneficijs, creatione, redemptione, sanctificatione, obligati sumus Deo ad obediendum voluntati ipsius. Vnde Paulus inquit Rom. 8. Debitores sumus fratres non carni, vt secundum carnem viuamus: si enim secundum carnem viuetis, moriemini. 1. Thess. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt vos abstineatis à fornicatione. Ies. 1. Desinite malè facere, & discite benefacere. Atq; ipse Apostolus testatur necessariò præstanda esse bona opera. Rom. 13. Quapropter necesse est obedire, non solùm propter

pter iram, verùm etiam propter conſcientiam. Et 1. Corinth. 9. Neceſsitas mihi incumbit: & væ mihi ſi non euangelizem. Act. 5. Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Nihil ergo dubitemus, quin propter Dei mandatum & ordinem neceſsariò præſtanda ſint bona opera. Hæc verò neceſsitas non pugnat cum libertate ſpiritus. Vtrumq; enim verum eſt: ſanctorum opera libero & ſpontaneo ſpiritu præſtanda eſſe. Pſal. 110. Populus tuus ſpontaneus offeret in ornatu ſancto. Et ſanctorum opera neceſsariò præſtari: Neceſsitas enim non ſignificat coactionem inuiti animi: ſed mandati ſeueritatem, ordinem & debitum. Libertas verò ſpiritus, ſignificat cauſam bonorum operum: nimirum ea non proficiſci à veteri carne, quæ omnia coacte agit, ſi quid facit: ſed à ſpiritu libertatis corda renaſci & moueri, vt animo prompto obtemperent Deo. Si quis dominus liberalis & munificus mandet Oeconomo ſuo auaro, & ad rem attento, vt pauperi largiatur eleemoſynam amplam & pinguem: obtemperat quidem miniſter, ſed animo inuito & moroſo. Ita qui ſpiritu Dei deſtituuntur, etſi quædam opera legis præſtant: tamen omnia ſunt coacta, & fiunt inuito animo, mallent ſecus facere, niſi vel ſupplicia metuerent, vel lucrum aucuparentur, vel gloriam expeterent. Qui verò ſpi-

rò ſpiritu Dei aguntur, etſi intelligunt neceſsariò ſibi obediendum eſſe, tamen animo prompto & ſpiritu libero præſtant quod debent, & patienter ferunt, quod Deus imponit. Pſal. 57. Paratum eſt cor meum Deus: paratum eſt cor meum: cantabo & pſalmum dicam. Pſal. 116. Quid retribuam domino, pro omnibus beneficijs erga me? Calicem ſalutarem accipiam, & nomen domini inuocabo. Vota mea domino reddam, coram omni populo eius. Non ergo probandum fuit certamen eorum, qui inani λογομαχίᾳ turbarunt Eccleſiam: dum vnus contendit opera Chriſtianorum libertate ſpiritus debere præſtari: alter verò contrà vrſit operum neceſsitatem. Cum hæc inter ſe minimè pugnent. Neq; neceſsitas de coactione animi inuiti, ſed de mandati ſeueritate, de debito & ordine immoto accipienda eſt.

VI. QVAESTIO.

Quomodo præſtari poſsint bona opera.

CErtum eſt bona & vera opera, qualia ſuprà ex verbo Dei definiuimus, ab hominibus non renatis ſpiritu præſtari nequaquam poſſe. Senſus enim carnis inimicitia eſt aduerſus Deum. Nam legi Dei non ſubijcitur, nec enim poteſt. Rom. 8.

Putris arbor, inquit Christus, non potest bonos fructus proferre. Matth. 7. Nemo ex spinis colligit vuas. Prius ponito arborem bonam, deinde fructus eius bonos. Matth. 12. Non renati planè mortui sunt in peccatis. Coloss. 2. Nihil ergo ab eis proficisci potest, quod viuat coram Deo. Quicquid ex carne natum est, caro est: res vieta & caduca, carens spiritu. Hinc Paulus Rom. 14. concludit: Quicquid non est ex fide peccatum est. Et ad Hebr. 11. Impossibile est placere Deo absq; fide. Non ergo fingendum est in Ethnicis ignaris Christi, aliquas fulsisse veras virtutes: aut homines ante conuersionem aliquid præstare posse, quod placeat Deo. Qualiacunq; enim sint opera hominum, nisi in Christo Iesu fiant, & à spiritu Dei proficiscantur, & in fide fiant; Deo grata non sunt, nec verè bona opera dicenda sunt secundum scripturam. Sic ergo bona opera præstari possunt, quando homo conuertitur ad Deum, & in vera pœnitentia per fidem reconciliatur Deo, & impetrat omnium peccatorum remissionem: simul etiam per spiritum sanctum regeneratur & viuificatur: ita vt mens eius illustretur agnitione Dei, voluntas conuertatur ad Deum, & in corde accendantur noui motus. Tum planè noua creatura est homo conuersus, accipit nouas vires, & iam ducitur, regitur et impellitur à spiritu

ritu Dei ad obtemperandum voluntati & mandato diuino. Vnde Paulus inquit. Gal. 5. Spiritu ambulate & desideria carnis non perficietis, & Rom. 8. Si spiritu actiones carnis mortificabitis, viuetis. Qui enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Item: Similiter & spiritus opitulatur infirmitati nostræ. Gal. 5. Fructus verò spiritus est dilectio, gaudium, pax, lenitas, bonitas, beneficentia, fides, mansuetudo, abstinentia. Ephes. 1. Pater gloriæ det vobis illuminatos oculos mentis vestræ, vt agnoscatis, quæ sit spes vocationis vestræ. De voluntate conuersa Paulus testatur. Rom. 7. Velle adiacet mihi: sed perficere bonum non inuenio. Et condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Concurrunt igitur hæ causæ bonarum actionum & virtutum in homine iustificato & renato. Prima & potissima est spiritus sanctus illustrans mentem, inculcans Dei promissiones & comminationes, flectens voluntatem ad obtemperandum, instillans peccati odium, & percellens cor ad virtutis studiũ. Deinde verbum Dei, ostendens virtutum præmia, et scelerum pœnas et turpitudinem. Tertiò adiuuantes causæ sunt, mens considerans Dei verbũ, et voluntas spontè sequens ductorẽ atq; impulsorem spiritum sanctũ. Quotidiana quoq; exercitia pietatis et augent et confirmant studiũ virtutis in sanctis.

VII. QVAESTIO.

Propter quas causas bene sit operandum.

CHristus, Apostoli & Prophetæ multas grauissimas nobis monstrant causas, propter quas à peccatis abstinendum, & veræ virtuti studendum sit: quas piæ mentes semper in conspectu habere debent, vt ijs excitentur & impellantur ad obtemperandum Deo toto corde.

1. Prima causa est mandatum Dei, qui seuerissimè præcipit, vt peccata vitemus, & iuxta ipsius legem iustè & sanctè viuamus. Aequissimum est autem & summè necessarium, vt conditori nostro, qui corpus & animam dedit, & vitam nostram seruat, obedientiam præstemus: & iuxta eius voluntatem viuamus. Mandatorum Dei plena sunt prophetica & apostolica scripta: Summa verò omnium est in decalogo. Ego sum dominus Deus tuus: non habebis Deos alienos coram me. Deut. 11. Dilige itaq; dominum Deum tuum, & obserua præcepta eius, cærimonias, iudicia atq; mandata omni tempore. 1. Ioh. 15. Hæc mando vobis, vt diligatis vos inuicem. 1. Thess. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis à scortatione, & vnusquisq; vestrûm sciat vas suum

suum possidere cum sanctificatione & honore. 1. Iohan. 4. Hoc mandatum habemus ab ipso, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.

2. Vt obedientia nostra nostram declaremus gratitudinem erga immensa Dei beneficia: quòd condidit nos ad imaginem suam: quòd filium vnigenitum pro nobis dedit in mortem, quòd clementissimè remittit nobis peccatum, quòd eripit nos ex tyrannide peccati & mortis, quòd regenerat spiritu suo sancto, quòd nutrit, defendit, conseruat nos, & alia innumera præstat beneficia: atq; ideo nostris operibus laudem eius in orbe celebremus. Huc pertinet Christi dictum Luc. 5. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.

3. Vt firmam faciamus nostram vocationem, & conscientiam nostram de sinceritate nostræ fidei certiorem reddamus. Multa accidunt pio homini, quæ conijciunt eum in tristem dubitationem, num ipsius fides sit sincera & viua nec ne: Infirmitas carnis, quam singuli circumferimus, ærumnæ variæ, quibus adsiduè exercetur pius animus, dilatio auxilij diuini in periculis, atroces calumniæ falsorum fratrum, quibus & dicta & facta nostra deprauantur, & macula impietatis nobis adspergitur: Tentationes præ-

nes præterea non vnius generis. In hiſce malis ſæpe ita obruitur etiam vera fides, vt vix ſcintillam aliquam in animo noſtro deprehendere poßimus, & dubij admodum de noſtra & fide et ſalute reddamur. Hoc ergo ſine bene operandum, & veræ virtuti ſtudendum eſt, vt conſcientiam noſtram aduerſus omnes calumnias & tentationes certam & indubitatam reddere poßimus, fidem noſtram in Deum non eſſe ſimulatam ſed veram & viuam. Niſi enim ſincera eſſet fides, vera & ſancta opera dilectionis, patientiæ, caſtitatis, manſuetudinis, beneficentiæ, præſtare non poſſemus. Cùm verò cordi noſtro conſtet, nos non ſimulatè, ſed ex animo diligere Deum & proximum in Chriſto, & ſerium habere ſtudium vitandi peccata, argumento id eſt valido et euidenti, fidem noſtram veram & viuam eſſe, ſiquidem fructus in Chriſto placentes Deo producat. In hanc ſententiam loquitur Apoſtolus 1. Ioh. 4. Si diligimus nos inuicem, Deus in nobis manet, & dilectio eius perfecta eſt in nobis: In hoc cognoſcimus, quòd in ipſo manemus & ipſe in nobis, quod ex ſpiritu ſuo dedit nobis. Et cap. 5. In hoc cognoſcimus quòd filios Dei diligimus, quando Deum diligimus et mandata eius ſeruamus. 1. Iohan. 3. Qui facit iuſticiam iuſtus eſt: hoc eſt, ex effectibus fidei & iuſticiæ colligi poteſt, quòd fideles

deles & iuſti ſimus. Et Paulus Rom. 8. Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Gal. 5. Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. Et 2. Pet. 1. Quapropter fratres potius operam date, vt vocationem & electionem veſtram firmam efficiatis. 1. Ioan. 3. Qui natus eſt ex Deo peccatum non facit: quia ſemen eius in ipſo manet: & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt: In hoc manifeſti ſunt filij Dei & filij diaboli.

4. Vt alijs quoq; teſtemur & probemus ſinceritatem noſtræ fidei, & fructibus ipſis demonſtremus, nos coram Deo iuſtos & filios Dei eſſe. Hinc Paulus inquit Rom. 10. Ore fit confeßio ad ſalutem. Id eſt: Oris aperta confeßio in ſummis vitæ periculis euidens & illuſtre eſt teſtimonium, fidem noſtram non eſſe ſimulatam, ſed veram & viuam: ſiquidem ſpiritus ſancti inſigne opus eſt, contemptus vitæ & omnium fortunarum & ardens Dei & veritatis dilectio. Cùm autem fides ſit ſincera & manifeſta, & ſalus noſtra indubitata eſt. Iacob. 2. Oſtende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego oſtendam tibi ex operibus meis fidem meam.

5. Ne cuiquam ſimus offendiculo: ſed potius vt exemplo noſtro alios inuitemus ad virtutis ſtudium, & ſanctam erga Deum obedientiam: vtq; ipſam Euangelij profeßionem ornemus: & toti

Eccle-

Ecclesiæ vitæ nostræ sanctimonia seruiamus. Matth.28. Quicunq; offenderit vnum de pusillis illis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria de collo eius, & demergatur in profundum maris. Ephes. 4. Hortor itaque vos vinctus in domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum humilitate & mansuetudine, cum patientia tolerantes vos inuicem per charitatem, studentes seruare vnitatem spiritus per vinculum pacis. 2. Corinth. 6. Nemini vllam detis offensionem, ne reprehendatur ministerium, sed in omni commendate vos, vt seruos Dei. 1. Pet. 3. Cum mansuetudine & timore, conscientiam habentes bonam, vt in eo, quod detrahunt vobis tanquam sceleratis, pudefiant hi, qui incessunt vestram bonam in Christo conuersationem. Et paulò antè: Similiter vxores subditæ sitis proprijs viris, vt etiam qui non obtemperant sermoni, per vxorum conuersationem absq; sermone lucrifiant, dum considerant cum reuerentia coniunctam conuersationem vestram. 1. Timoth. 4. Præcipe hæc & doce, nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium in sermone, in conuersatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in castitate.

6. Vt tranquillam et lætã semper habeamus conscientiam. Pura enim conscientia magnum est bonum, et, vt Salomon testatur, iuge conuiuiũ. Prou. 15. Est aliquid magnis crimen abesse malis. Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa: hic murus aheneus esto. τῷ δὲ μηδὲν ἑαυτῷ ἄδικον συνειδότι, ἡδεῖα ἐλπὶς ἀεὶ παρεστι καὶ ἀγαθὰ γηροτρόφος. Qui sibi nullius iniusti facti cõscius est, huic semper adest suauis spes & bona nutrix senectutis.

7. Ne peccatis impediatur nostra inuocatio, quæ est turris et præsidium nostrum fortissimũ in domino. Prou. 17. Extremæ sanè dementiæ est, sese summo nudare præsidio, et thesaurũ omnium præstantissimũ quasi deliberato animo abijcere. Hoc verò faciunt omnes, qui neglecto virtutis studio sceleribus vastant et polluunt conscientiam. Deus enim peccatores, nimirum impœnitentes, non exaudit. Iob. 9. Et Dauid inquit de impiorũ precibus Psal. 109. Et oratio eius fiat in peccatũ. Quodq; omnia peccata, quæ contra conscientiã admittuntur, veram inuocationẽ impediant, disertè testantur Prophetæ et Apostoli Psal. 66. Iniquitatem si aspexissem corde meo, non exaudisset dominus. Et 1. Pet. 3. Viri similiter cohabitent secundũ scientiã̃ veluti infirmiori vasi muliebri, tanquam cohæredes gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes vestræ. Si nullæ aliæ causæ essent, cùm tamen sint plurimæ, hæc vna nos commouere debebat, vt ab omni scelere abstineremus, & virtuti quàm diligentissimè studeremus.

8. Bene operandum est, iustè sanctéq; vinendũ est, ne im-

ne impuris moribus & operibus carnis spiritum sanctum, quem Deus dedit arrhabonem vitæ in corda nostra, à nobis pellamus & in aliorum sanctorum pectoribus contristemus. Discedere spiritum sanctum ab ijs, qui sese dedunt carnis cupiditatibus, & labuntur in peccata contra conscientiam, scriptura apertè testatur: 1. Sam. 16: A Saule recessit spiritus Dei. Et Dauid conuersus orat: Ne proijcias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Christus inquit Iohan. 14. pater alium paracletum vobis dabit, vt maneat vobiscum perpetuò, spiritum veritatis, quem mundus accipere non potest. Ergo quicunq; se mundo conformant, expellunt spiritum sanctum, quem per fidem acceperant. Rom. 8. Qui in carne, hoc est, qui carnis adfectibus contra conscientiam indulgent, Deo placere non possunt. Qui verò displicet Deo, is non retinet spiritum sanctum, sed extinguit fidem, & locum in se præbet satanæ impuro spiritui. Hoc verò malo nihil triſtius, nihil horribilius dici potest. Est & hoc horrendum, quòd sceleribus sese contaminantes spiritum sanctum in pectoribus fidelium habitantem contristant, vt Paulus testatur Eph. 4. Ne contristetis spiritum Dei, in quo obsignati estis ad diem redemptionis.

9. Vt ipsa dona spiritus sancti, vsu dilectionis & exercitio bonorum operum exuscitentur, alantur, confirmentur & augeantur. Nam, vt Christus testatur: habenti dabitur, id est, fidem & dilectionem exercenti augebuntur dona spiritus. Et 2. Timoth. 1. Quapropter commonefacio te, vt exuscites donum Dei quod in te est.

10. Vt promissionem præmiorum corporalium & spiritualium, temporalium & æternorum à Deo impetremus. Nam, vt Paulus testatur 1. Timoth. 4. Pietas habet promissionem præsentis & futuræ vitæ. Et Dauid inquit Psal. 34. Quis est homo, qui desiderat vitam? diligit dies videre bonos? prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo & fac bonum, inquire pacem & persequere eam. 2. Paral. 15. propheta Azarias inquit: Vos igitur estote fortes, ne remissæ fiant manus vestræ: est enim merces operi vestro. Psal. 62. Et tibi domine misericordia, quia tu reddes vnicuiq; secundum opera sua. 1. Cor. 3. Vnusquisq; propriam accipiet mercedem iuxta proprium laborem. Eph. 6. Vnusquisq; quod fecerit boni hoc reportabit à domino, siue sit seruus siue liber. Matth. 10. Quicunque vni ex pusillis his dederit poculum aquæ frigidæ in nomine meo, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Matth. 5. Merces vestra copiosa est in cælis. Marci 9. Amen dico vobis, ne-

mo est qui relinquit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut liberos, aut agros, mea causa & Euangelij, qui non recipiat centuplum, in hoc seculo domos, fratres, sorores, matres, liberos, agros, cũ persecutione, et in futuro seculo vitam æternam.

Hæ igitur diuinæ & amplissimæ promissiones semper nobis sint in conspectu, vt alacres simus ad studium recta & Deo grata faciendi.

11. Vt parcamus Ecclesiæ, Reipub. et familijs, qui enim sceleribus sese polluunt, toti Ecclesiæ et reipub. attrahunt publicas calamitates, et prouocant Dei iram. Lapsus Dauidis non solum ipsi & familiæ eius, sed vniuersæ Ecclesiæ Dei, & toti regno ipsius trisissimas attraxit calamitates & multa tragica mala.

12. Vt nos ipsi vitemus præsentes & æternas pœnas. Regula enim certissima est: Atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis, etiam in hac vita. Ad Heb. 13. Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Coloss. 3. Cæterum qui iniustè agit iniusticiam suam reportabit, et non est acceptio personarum. Eph. 5. propter hæc (scelera) venit ira Dei super filios inobedientes. Rom. 2. Illis verò qui sunt ex contentione, & veritati non obtemperant, obtemperant verò iniusticiæ: indignatio, ira, afflictio, angustia, super omnẽ animam hominis malum operantis. Psal. 11. Pluet superim pios, laqueos

queos, ignem & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Matth. 13. In fine mundi Angeli colligent ex regno Dei omnia scandala, et eos, qui iniusticiam operati sunt, & conijcient eos in caminum ignis, ibi erit fletus et stridor dentium. Marci 9. Vbi vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur.

Has grauissimas causas, quas spiritus sanctus passim nobis in verbo suo patefacit et inculcat, semper in conspectu habeamus, et nos ipsos ad obtemperandum Deo & sanctè viuendum excitemus.

VIII. QVAESTIO.

Quomodo placeant bona opera Deo.

QValiacunq; sunt sanctorũ opera, quæ iuxta legem in fide Deo præstant: non tamen ex sese, vel merito suo, vel dignitate, vel perfectione sua placent Deo. Nullum enim est opus, quod plenè satisfaciat legi Dei, & congruat cum eius voluntate. Omnes sancti procul absunt à legis perfecta sanctitate. Paulus spiritu Dei illuminatus, et magno conamine studens virtuti, de se fatetur: se quidẽ habere voluntatẽ obediendi Deo, sed facultatẽ perficiendi se non inuenire. Ro. 7. Et Iesaias inquit: Omnes iusticiæ nostræ sunt veluti pannus menstruatæ. ca. 64. Et Dauid inquit Ps. 143. Non intres in iudiciũ cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et Christus

Luc. 17. cùm omnia feceritis, quæ vobis mandata sunt, dicite: serui inutiles sumus, quæ debuimus, fecimus.

Non ergo ex seſe, aut facto ipſo, aut propria dignitate, vel merito placent piorum opera, ſed propter dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui noſtro loco legem impleuit, & ſuam iuſticiam nobis imputat, grata & accepta ſunt ſanctorum opera Deo in fide. Chriſtus inquit Iohan. 14. Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Iohan. 16. Amen amen dico vobis, quidquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. In nomine Chriſti filij Dei, hoc eſt, in agnitione, merito, mandato, fiducia mediatoris, accedere nos oportet ad patrem, ſi volumus preces noſtras placere Deo & exaudiri ab ipſo. 1. Pet. 2. Vos eſtis ſacerdotium ſanctum, vt offeratis hoſtias ſpirituales acceptas Deo per Ieſum Chriſtum. Coloſſ. 3. Omnia quæcunq; feceritis ſermone & opere, in nomine domini Ieſu (facite) gratias agentes Deo & patri per ipſum.

Vt ergo noſtra obedientia accepta ſit Deo, neceſſe eſt nos primùm noſtram agnoſcere infirmitatem & impuritatem, quòd legi Dei nequaquam ſatisfecerimus, neq; etiam ſatisfacere poßimus. Quodq; peccatis noſtris potius Dei iram et ſupplicia meriti ſimus, quàm Dei gratiam.

Secun-

Secundò firma fiducia ſtatuere debemus, quòd gratis nacti ſimus peccatorum remiſſionem, & per fidem Deo reconciliati: quòd perſona noſtra placeat Deo propter Chriſtum, qui noſtro loco legem impleuit, & ſuam nobis imputat iuſticiam.

Tertiò quemadmodum perſona placet Deo propter mediatorem, qui pro nobis legi ſatisfecit & peccata expiauit: Ita & opera noſtra, quæ perfecta non ſunt, placent propter & per Chriſtum. Quod enim noſtræ deeſt obedientiæ, hoc ſupplet Chriſtus ſua iuſticia: & quidquid in nobis reliquum eſt ſordium, hoc tegit ille ſuo vmbraculo. Hinc adeò ſubmiſſe orant ſancti, vt ipſorum preces & vota clementer acceptare velit Deus. Pſal. 19. Et erit vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo, domine adiutor meus & redemptor meus.

IX. QVAESTIO.

An opera ſanctorum mereantur vitam æternam et alia bona.

CErtißimum eſt, qualia & quantacunq; ſint ſanctorum opera, ea tamen nunquam meri vitam æternam. Cùm enim non placent iram Dei, nec ſatisfaciant pro peccato, nec impleant

legem, vitam æternam ex pacto legis mereri non possunt. Lex inquit: Qui fecerit ea viuet in eis: sed plenam & omnibus numeris absolutam flagitat obedientiam, quam cùm nemo præstet, nemo vitam æternam ex legis pacto flagitare potest. Ideo sacra scriptura testatur vitam æternam esse donum Dei Rom. 6. Et Christus inquit Iohan. 10. Ego vitam æternam do eis. & Iohan. 8. Nisi vos filius liberauerit, moriemini in peccatis vestris. Et Ioh. 3. Qui credit in filium habet vitam æternam. Si autem ex fide, iam non ex operibus vitam æternam consequimur. Atq; ideo testantur prophetæ & Apostoli gratis gratia Dei, propter mediatorem, absq; operibus, nos coram Deo iustificari, & hæredes vitæ æternæ pronunciari, quia operibus nostris eam mereri non possumus. Eleganter Bernhardus: Nolo meritum quod gratiam excludat.

Vtraq; igitur manu & toto pectore teneamus hanc sententiam, neminem ex genere humano suis operibus mereri vitam æternam. Immota enim sententia est: Miserebor cuius miserebor, & clemens ero cui clemens fuero. Si quis amplius quærat, num verè sancti bonis operibus suis mereantur corporalia & spiritualia bona in hac vita: video equidē in Patrum scriptis frequentissimè vsurpari vocem meriti. Et apud Augustinum

num lego: Dilectio meretur augeri dilectione. At vocabulum meriti in bonam partem, respectu nostri erga Deum, in sacris literis non inuenio. Et vereor ne quid minus verecundè sonet, & ne quid gratiæ & bonitati diuinæ deroget. Si deest gratiæ, quidquid merito tribuis, vt Bernhardus inquit: totum ego gratiæ Dei tribuere malo, & de nullo gloriari merito. Ac si meritum quis interpretetur absolutam virtutem & obedientiam, omnino fatendum est nobis, nos omnes vacare merito. Neque ego adserere auderem, me vel granum hordei, vel guttam aquæ meo labore meritum esse. Paulus inquit omnes promissiones legis ratas nobis esse in Christo. Illi ergo debemus quidquid in nos confert Deus. 2. Corin. 1. Et Christus inquit: Quando omnia feceritis, dicite: serui inutiles sumus, quod debuimus, fecimus. Luc. 17. Iacobus patriarcha quando commemorat, quàm insignia beneficia corporalia acceperit à Deo, fatetur præter meritum sibi indigno ista collata esse. Minor sum, inquit, omnibus miserationibus tuis. Quòd si iuxta Iesaiam omnes iustitiæ nostræ sunt veluti pannus menstruatæ, Iesa. 64. nō video quomodo sordibus istis, quas Paulus σκύβαλα vocat, superba vox meriti conueniat. Centurio Capernaita multis præclaris operibus & beneficijs in gentem Iudaicam nitebat,

nullum tamen prædicat meritum, sed fatetur non esse dignum, sub cuius tectum veniat Dominus. Verè in versu dicitur: Nam meriti nusquam ratio venit obuia cuiquam, Exequitur legis cum Deus ipse minas.

Magis ergo pios decet humilis confessio indignitatis, & vt omnia deferamus gratiæ Dei, & merito Iesu Christi, qui pro nobis legem impleuit, quàm vt nostris confidamus operibus, aut merita nostra vel in minimo iactemus. Omnia verò sanctorum opera, quæ in spiritu & veritate præstantur, copiosè, cumulatè & cum magno fœnore remunerari & rependi à Deo, cùm corporalibus, tùm spiritualibus bonis, extra omnem controuersiam est apud omnes rectè institutos. 1. Corinth. 3. Vnusquisq; propriam mercedem accipiet, iuxta proprium laborem.

X. QVAESTIO.

Num in sanctis bene operantibus maneant peccata & infirmitates?

OMnino fatendum est nobis, etiam cùm regenerati sumus per spiritum sanctum, ducimur spiritu Dei, conamur obtemperare legi Dei in spiritu & veritate, præstamus etiam opera, quæ verè placent Deo, vt sacrificia iusticiæ: manere

nere tamen in omnibus sanctis, quamdiu corruptam hanc carnem circumferunt, infirmitates, & peccata pugnantia cum lege Dei: manent dubitationes de Deo, motus impatientiæ, fiducia suiipsius, admiratio propriæ virtutis, negligentia in vocatione, dolor repulsæ, æmulatio, inuidia, cupiditas vindictæ, error in consilijs, ac multæ aliæ infirmitates, quæ reuera sunt peccata, quæ discrepant à lege Dei, & sua natura prouocarent Dei iram, nisi vmbraculo mediatoris tegerentur. Hinc Psal. 32. inquit: pro hac orabit ad te omnis sanctus, hoc est, omnes pij te precabuntur pro remissione peccatorum. Et Iohannes apostolus inquit: Si dixerimus quòd peccatum non habemus, seducimus nos ipsos, & veritas in nobis non est. 1. Ioh. 1. Apostolus quoq; Paulus fatetur in se renato hærere infirmitates Rom. 7. non enim bonum quod volo, hoc facio: sed quod non volo malum, facio. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me legi peccati existenti in membris meis. Rectè ergo Augustinus inquit ad Bonif. lib. 4. cap. 7. Sancta Ecclesia à solis ortu vsq; ad occasum, omnibus membris suis clamat ad Deũ: Dimitte nobis debita nostra. Sine carnis enim infirmitatibus non viuitur, etiam cum bene viuitur. Etiam in sanctis caro concupiscit aduersus

spiritum, & spiritus aduersus carnem, hæc sibi aduersantur, vt quæ volumus ea non facimus.

Non ergo placeamus nobis in operibus nostris: non intumescamus propter opera nostra, qualiacunq; illa sunt, sed semper agnoscamus & deploremus nostram immunditiem & infirmitates: dicamus, quod Christus iubet, serui inutiles sumus: & cum Dauide petamus: Ne intres in iudicium domine cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnes viuens.

X. QVAESTIO.

Quod sit discrimen inter sanctorum infirmitates & peccata vastantia conscientiam.

VT negari non potest in sanctis existere & hærere infirmitates, & peccata multiplicia, quæ violant legem Dei: Ita certissimum est, in sanctis non existere peccata contra conscientiam, quæ vsitatè mortalia vocantur. Hæc enim dum admittuntur extinguunt fidem, pellunt spiritum sanctum, locum præbent impuro spiritui, & mergunt hominem in mortem. Iohannes inquit: Qui facit peccatum ex Diabolo est. 1. Iohan. 3. Et Paulus Rom. 8. Quòd si secundum carnem vixeritis, moriemini.

Dili-

Diligentissimè igitur distinguendum est inter infirmitates seu adfectus carnis, & inter peccata regnantia. Infirmitas carnis in sanctis est ipsum peccatum originis, & ex hac amara radice, nascentes fructus, interiores mentis prauæ cogitationes, errores in iudicando, procliuitas fingendi opiniones de Deo, dubitationes, motus impatientiæ in adflictionibus aduersus Deum, trepidatio et fuga in confessione, fiducia & admiratio propriæ sapientiæ & virtutis, multa peccata omissionis et commissionis in vocatione, indiligentia in studijs & laboribus nostræ functionis, torpor in inuocatione & gratiarum actione, suspicionis sinistræ de alijs, quæ nullo nituntur fundamento, inuidia, æmulatio, ambitio, cupiditas vindictæ, dolor repulsæ, amor lucri, futilitas in oratione, garrulitas, impuræ flammæ libidinis, iracundia, curiositas, indiligens administratio rei familiaris, & quæ similia sunt delicta sanctorũ. In multis enim delinquimus omnes, inquit Iacobus cap. 3.

His verò infirmitatibus, carnis adfectibus et delictis non indulgent sancti, neq; excusant ea, neque defendunt, neq; in ijs secure pergunt, sed verè dolent de ijs, mallent eis carere se posse, reluctantur eis quantũ possunt spiritu, petunt eorũ veniam à Deo adsiduè, et statuũt ea sibi condonari propter Christum. Itaq; teguntur vmbraculo mediatore:

non

non imputantur illis, neque impediunt gratiam, Teste Paulo Gal. 5. Si spiritu ducimini non estis sub lege. & Rom. 8. Si actiones corporis spiritu mortificabitis, viuetis. Et: Nulla nunc est condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu. 1. Iohan. 2. Si quis peccat, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Rom. 8. Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus autem vita est propter iusticiam. Psal. 32. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir cui Dominus non imputauit peccatum, in cuius spiritu non est dolus. Hæc spiritus sancti oracula testantur, manere quidem in sanctis peccata & infirmitates, & tamen eos retinere fidem & spiritum sanctum: persistere in gratia: esse filios Dei & hæredes vitæ. Ab his verò infirmitatibus sanctorum, sine quibus in hac vita non viuitur, etiam cum bene viuitur, plurimùm & per omnem modum differunt peccata, quibus sauciatur & vastatur conscientia, & excutitur spiritus sanctus, quæ Apostolus Paulus vocat peccata regnantia, in quæ cùm labitur fidelis, extinguitur in eo non solùm omne studium bene operandi, sed etiam fides ipsa, bonorum operum genitrix & scaturigo. Non necesse est nunc dicere

dicere de peccatis mortalibus in hominibus non conuersis ad Deum. Cuiuscunq; enim generis sunt peccata, siue originale siue actuale, siue interna siue externa, omnia mortem æternam merentur, in ijs, qui ad Deum conuersi & spiritu Dei regenerati non sunt. iuxta dictum: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non videbit regnum cælorum Iohan. 3. Qui non credit in filium vitam non videbit, sed ira Dei manet super ipsum. De illis verò peccatis mortalibus seu regnantibus, dicendum hîc est, quæ committuntur ab ijs, qui verè ad Deum conuersi & spiritu Dei illuminati fuerunt, per quæ excidunt gratia & rursus fiunt filij mortis & Satanæ, ita vt bene operari amplius non possint, nisi rursus per veram pœnitentiam restituantur. Hæc verò sunt aut manifestum aliquod carnis opus, aut error euertens fundamentum fidei, qui pertinaciter defenditur. Carnis opera sunt, quando indulget quis cupiditati carnis, & opere perficit concupiscentiam carnis, vt sunt: Idolatria, magia, periurium, blasphemia, contemptus ministerij, persecutio fidelium doctorum, seditio, contumacia aduersus parentes, scortatio, adulterium, ebrietas, cædes, latrocinia, furta, rapinæ, calumnia, mendacium, obtrectatio, odium proximi, ambitio, liuor, dolus, occultæ insidiæ & similia. Huiusmodi ope-

di opera carnis, quæ cuiusq; conſcientiæ manifeſta ſunt, cum fide in mediatorem ſtare non poſſunt, contriſtant enim et expellunt ſpiritum ſanctum: faciunt hominem reum æternæ mortis, quod paſsim teſtantur & denunciant Apoſtoli. 1. Iohan. 3. Qui facit peccatum, hoc eſt, qui opere complet carnis deſideria, is ex diabolo eſt, non regitur amplius à ſpiritu ſancto, non eſt Dei filius: ſed prorſus excidit gratia, & à vitæ conſortio eſt alienus. Gal. 5. Manifeſta ſunt opera carnis, qualia ſunt: adulterium, ſcortatio, immunditia, laſciuia, idolatria, veneficium, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, ſeditiones, ſectæ, inuidiæ, cædes, ebrietates, comeſſationes, & quæ his ſunt ſimilia, de quibus prædixi vobis, quemadmodum adhuc prædico, quòd, qui talia faciunt, regnum Dei non poßidebunt. Eph. 5, propter hæc venit ira Dei ſuper filios diffidentiæ. 1. Corinth. 6. Ac diſertè Paulus inter peccata mortalia recenſet hæreſes, quando articuli fidei corrumpuntur, & corruptelæ contra manifeſtam ſacræ ſcripturæ veritatem defenduntur. Accuratè ergo peccata contra conſcientiam diſtinguantur ab infirmitatibus ſanctorum. Vbi animaduertimus manifeſta carnis opera, ibi omne ſtudium bene operandi extinctum eſſe ſciamus. fide enim amiſſa, & ſpiritu Dei migrante ab homine,

mine, nulla exiſtit ſolida in eo pietas. Secus pronunciandum eſt de infirmitatibus ſanctorum, quorum opera & ſtudia non ſtatim condemnanda ſunt, etiamſi quid vel ſordium, vel næuorum in illis deprehendamus.

XII. QVAESTIO.

Qui hæretici doctrinam Eccleſiæ de bonis operibus corruperint.

OMnibus temporibus huic ſalutari doctrinæ inſidiatus eſt aduerſarius ſpiritus, & excitauit fanaticos homines, qui eam varijs modis conſpurcarint. Sunt autem philoſophi & gentes patriarchæ hæreticorũ, corruptelas enim ſubminiſtrant alijs. Ethnici multis modis hanc doctrinam coruperunt, eò quòd lege Moſaica deſtituti fuerunt. Virtutes primæ tabulæ non docuerunt, imò idolorum cultus et ſacrificia non mandata à Deo, tanquam pietatem admirati ſunt & commendarunt. Neq; ſecundæ tabulæ virtutes intellexerunt omnes, falsò imaginati ſunt externam diſciplinam eſſe iuſticiam coram Deo, & propter virtutem cælum dari. Multum etiam in eo errarunt, quòd imaginati ſunt, hominem viribus liberi arbitrij, ſine ſpiritus ſancti auxilio, opus bonum præſtare poſſe.

Plus

Plus lucis habuerunt Phariſæi & ſcribæ in populo Iudaico, ſiquidem in lege fuerunt inſtituti: In multis tamen hallucinati ſunt. Ethnico more errarunt, quòd finxerunt externam diſciplinam eſſe legis impletionem & iuſticiam coram Deo: quòd ſibi perſuaſerunt ſe bonis operibus ſuis mereri vitam æternam: quòd imaginati ſunt, vera eſſe opera Deo grata, quæ præſtarentur viribus liberi arbitrij, ſine regeneratione & auxilio Spiritus ſancti. Cùm ſpirituale legis iudicium non intellexerint, neceſſe fuit eos in multis impingere.

Origenes quoq; corrupit doctrinam de bonis operibus. Legis enim & Euangelij doctrinam in philoſophiam & ineptas allegoriarum fabulas transformauit. Cum Phariſæis finxit homines operibus, & obedientia ſua, modò fides in Chriſtum accederet, placare iram Dei, ſatisfacere pro peccato, eſſe iuſtos coram Deo & promereri vitam æternam. Hauſit hunc errorem ex malè diluta philoſophia: ſpirituale enim iudicium legis non intellexit: philoſophicas imaginationes adfricuit ſacræ ſcripturæ.

Simili inſania Pelagius Brito deprauauit doctrinam de bonis operibus. Contendit enim naturam hominum eſſe ſine vitio: hominem etiam gratia non adſiſtente & Spiritu ſancto non iuuante,

uante, bona opera & legis obedientiam præſtare poſſe, docuit hominem legi ſatisfacere & ἀναμάρτητον eſſe poſſe. Vnde manifeſtum eſt, quòd ſtatuit externam diſciplinam eſſe iuſticiam coram Deo, & interiores morbos apud eum peccati loco non fuiſſe habitos. Nihil ergo ſani de bonis operibus docere potuit, cùm legem Dei non intellexerit.

Origenem & Pelagium ſuperarunt Monachi, ſcholaſtici doctores, Pontificij ſcriptores, & Tridentinum conſilium audacia & impudentia errores fingendi in articulo de bonis operibus. Contendunt enim non tantùm ea eſſe bona opera, quæ diuinitus mandata ſunt, ſed etiam quæ propria intentione ſuſcipiuntur: docent bona eſſe opera, quæ abſq; fide fiunt: docent quòd opera facta ab homine exiſtente in peccatis mortalibus, mereantur de congruo gratiæ infuſionem: docent opera bona eſſe neceſſaria ad ſalutem, opera hominum eſſe iuſticiam coram Deo, expiare peccata, mereri vitam æternam: docent hominem maiora, plura & ſanctiora opera præſtare poſſe, quàm lex Dei requirat. Has verò tetras blaſphemias Monachorum & Pontificiorum, vel vna ſententia Chriſti conuellit: fruſtra me colunt homines, docentes doctrinas, mandata hominum. Matth. 15.

Doctor Georgius Maior contendit bona opera necessaria esse ad salutem, nec vllum hominem saluatum esse sine bonis operibus, & impossibile esse, vt quis saluetur sine bonis operibus. Verùm cùm hæ sententiæ pugnent cum doctrina Pauli, qui disertè pronunciat nos iustificari coram Deo, & saluari sine operibus Rom. 4. Talis corruptela vitanda est, atq; alibi copiosè ea refutata est.

Libertinorum quoq; furor detestandus est, qui ausi sunt fingere, omnia homini sine exceptione licita esse, & nullius facti conscientia nos moueri oportere, quia omnia fiant voluntate Dei, et Christiani libertate sint donati. Hunc furorem disertè hîc refellit Paulus. Gal. 5. solùm ne libertatem in occasionem carni prætendatis. Et qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt.

Nunc reuertamur ad textus Paulini explicationem.

Vos enim in libertatè vocati estis fratres: Tantùm ne libertatem in occasionem carni (prætendatis) sed per dilectionem seruite (vobis) inuicem Nam vniuersa lex vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. si autem

autem vos inuicem mordetis et voratis, cauete ne ab inuicem consumamini.

OMnino adserenda est Christiana libertas, quam filius Dei sanguine nobis comparauit, vt conscientiæ nostræ omnibus vinculis solutæ in Deo lætari, & sine omni impedimento illi seruire possint. Quia verò caro sibi blandiri solet, et sub speciosò titulo libertatis, fœdam peccandi licentiam quærit, seuerè monet Paulus, ne abutamur nostra libertate, et ne summũ Christi beneficium in fraudẽ, et carnis impuræ excusationẽ conuertamus. Atq; ita descendit Paulus ad explicationem doctrinæ de bonis operibus. Omnino enim vult Deus, vt liberati à peccato, morte & tyrannide Satanæ, iuxta ipsius voluntatem sanctè viuamus, scelera vitemus, & adfectus carnis reprimamus. Libertatem in occasionem carni dare, est sese dedere securitati, & omittere exercitia pœnitentiæ, eò quòd Deo reconciliati, & à morte & Satana liberati sumus: & carnis desideriis indulgere, perinde ac si nihil iam sit periculi. vt cùm Christiani, freti sua libertate, ludunt fingendis nouis opinionibus, excogitant nouas scripturæ interpretationes, studeant nouis rebus, mouent contentiones non necessarias, indulgent æmulationi, delectantur obtrectationibus,

dedunt se ocio, sectantur sympoſia, excuſant ſpectacula & variorum peccatorum irritamenta, ac paulatim ad craſsiora deſcendunt peccata: laxant frena cupiditatibus iniuſtis, auaritiæ, φιλοπρωτίᾳ, ambitioni, libidini, cupiditati vindictæ, odÿs: Nicolaus, Carpocrates, Taciani, Gnoſtici fœdè et petulanter abuſi ſunt libertate Chriſtiana ad omnem turpitudinem. Eo ipſo igitur oſtenderunt ſe excidiſſe gratia Dei, & à vera fide alienos eſſe. Qui enim talia faciunt, inquit Paulus, regnum Dei non poſsidebunt. Ita igitur aſſerenda eſt Chriſtiana libertas, vt nunquam timorem Dei abÿciamus, ſed ob carnis infirmitatem adſiduè pœnitentiam agamus, & Satanæ inſidias, & mundi illecebras accuratè caueamus. Ex ſpirituali liberatione noſtra occaſionem captat caro liberius viuendi, quia putat ſe iam ingenti metu ſolutam eſſe. Verùm tanto maiore digentia nobis peccata cauenda ſunt, ne rurſus tanta gratia excidamus, & in priſtinam ſeruitutem peccati, & tyrannidem Satanæ nos præcipitemus, ſed potius ſincera & ſancta obedientia, Dei gloriam illuſtremus, qui nos ex tanta calamitate & malorum inferno liberauit. Sapienter ergo ἀφορμαὶ carnis vitentur. Tutius autem non viuimus, quàm ſi ſingulis momentis ad normam verbi diuini vitam noſtram inſtituamus, & adſi-

adſiduè pœnitentiam exerceamus, & ſine intermiſsione ſpiritus ſancti gratiam imploremus.

Nemo ſperet ſe ſimulatione ſua Deo impoſiturum: Deus non irridetur, introſpicit ille latebras cordis. Non ergo prætendamus quidquam carnis impuris adfectibus, qui conſcientiæ ignoti non ſunt, vt ſæpe vel libertas Chriſtiana, vel muneris neceſsitas, vel Eccleſiæ commodum, vel gloria Dei, inuictiſsimis adfectibus carnis prætexitur; ſed tanquam in conſpectu Dei corde ſincero & conſcientia pura, reprimamus motus cordis prohibitos, & candido pectore ſeruiamus ſanctæ Dei voluntati.

Per dilectionem ſeruite (vobis) inuicem) vt omnes ſimulationes fraudulentas, et infidos prætextus procul arceat à Chriſtianorum vita, deducit nos ad dilectionem, quæ radix eſt omnis virtutis, & omnium officiorum magiſtra & rectrix. Quia vnigenitus Dei filius in tantum nos dilexit vt ſanguinem ſuum pro nobis effuderit, vult vt nos inuicem diligamus, & ipſius ſanctum exemplum imitemur.

Vera autem dilectio non verbis ſimulanda, ſed omnibus officÿs demonſtranda eſt. Non eſt ociosus adfectus dilectio, ſed omni officiorum genere iuuare conatur proximum. Ac adeò prompta &

pta & sincera esse debet dilectio, vt se sponte tanquam in seruitutem tradat proximo. Generali adeò præcepto complectitur omnia sanctorum opera, & simul certissimam nobis normam præscribit, ad quam actiones nostras dirigere debemus. Cuius dilectio vexillum est erga me, inquit canticum. vt milites vexillum sequuntur, ita omnia officia sanctorum ad dilectionem dirigi debent. Qui verè & ex animo diligit proximum sine omni fuco, is nulla in re lædet eum, nunquam ei malè volet, nullum ei denegabit officium. Non iubet Paulus vt ingrediamur monasteria, Eremos quæramus, consortia hominũ fugiamus, quod Monachi & Eremitæ faciunt absque Dei verbo: Non vult vt coniugem, liberos, familiam deseramus, & nulla cogente necessitate in mundo oberremus, quod Anabaptistæ faciunt contra Dei verbum: sed vnumquemq; relinquit in sua vocatione, & iubet eum vera dilectione seruire proximo.

Pastor seruiat proximo vera dilectione, non quærat sua commoda aut propriam gloriam: sed ardenti dilectione complectatur suos auditores: diligenter proponat eis doctrinam de Deo & vita æterna, nullis parcat laboribus, nulla fugiat pericula, nullas detrectet molestias, castigando securos, refutando fanaticos, consolando adflictos, inuisendo ægrotos, exhortando omnes ad pietatem, seruum se præstet omnibus, nec quicquam ei sit antiquius, quàm aliorũ saluti rectè consulere.

Magistratus, Rex vel consul, per veram dilectionem seruiat subditis, curet populum rectè doceri de Deo, sit seuerus disciplinæ & legũ custos, ius dicat populo, constanter defendat innocentes, fortiter puniat contumaces, sit patronus et pater viduarum et pupillorum & exulum, non dubitet subire pericula pro salute reipublicæ, nullis parcat laboribus, nullas extimescat calumnias, Nihil agat superbè, nihil crudeliter: sed tantùm statuat se esse Dominum, cum seruit singulis, et omnium saluti consulit. Verè εἷς ἐστὶ δοῦλος ἐν οἰκίᾳ ὁ δεσπότης. Solus Dominus seruus est in familia. Hic omnium promptissimè, & fidissimè, & diligentissimè seruit singulis, atq; ex vera dilectione ista officia proficiscuntur: Quia coniugem, liberos et familiam verè diligit. Ac gratissima Deo officia et sacrificia sunt, quæ paterfamilias præstat toti familiæ, exhortando eos ad pietatẽ et honestatem, defendendo eos contra iniurias vicinorum, prouidendo eis de victu & vestitu, gubernando eos & conseruando inter eos pacem. Hac seruitute spirituali, cui optimè conuenit cum libertate Christiana, nihil gloriosius dici potest. Verè maius regno est, seruire Deo & electis.

Omnes ergo in quacunq; sint vocatione studeant seruire proximo in vera dilectione. Si proximum conspiciamus in aliqua necessitate, mox succurramus quibuscunq; officijs & facultatibus possumus, nihil agamus simulatè, nihil spe lucri, nihil ambitione, non captemus inanem gloriam, non redigamus alios in seruitutem, quasi mancipia nobis emeremus beneficijs, sed omnia sincera dilectione præstemus. Dilectio autem est ardens & non simulatus amor, accensus à spiritu sancto, quo proximum verè complectimur, & ad omnia charitatis officia, sine omni captatione lucri, prompti & parati sumus, & veluti in seruitutem proximo nos dedimus.

Nam tota lex vno sermone impletur) vt ostendat se generali præcepto omnia officia humanitatis complexum esse, dicit dilectionem esse legis impletionem, & hanc esse summam totius legis: *Diliges proximum tuum sicut teipsum. Hoc* nimirum *Deus in tota lege requirit, vt proximum verè & ardenter diligamus, sine omni vitio naturæ. Ad hanc ergo normam, nobis præscriptam, vult nos respicere in vitæ actionibus. Et ne rationis dictamine impingamus, ad Decalogum nos adstringit. Nulla enim placent Deo opera, nisi, quæ ipse expresso verbo suo mandauit.*

Mirum autem fortassis alicui videri posset, cur Paulus dicat legem impleri vno sermone: Diliges proximum sicut teipsum. Hîc enim nulla fit mentio dilectionis Dei. Certè Christus summam legis duabus sententijs complectitur: Diliges dominum Deum tuum, ex toto corde & tota anima: & proximum tuum sicut te ipsum. Sed non dubium est, quin Paulus huc respiciat, quòd dilectio proximi in nobis existere non possit, nisi per fidem ad Deum conuersi simus, et beneficia Christi intelligentes ardenter diligamus ipsum Deum, & dilectio Dei effusa sit in cor nostrum per spiritum sanctum.

Qui ergo verè diligit proximum, ille implet legem: haud dubiè enim & Deum diligit, et propter Deum diligit proximum. Si quis Deum ignorat, atque ideo nec diligit, impossibile est vt verè diligat proximum. Non enim regitur à spiritu sancto: natura verò corrupta est, semper quærit quæ sua sunt, fucata & simulata sunt omnia, quantumuis magnam præ se ferat beneuolentiam. At vbi prælucet Dei dilectio, tum sequitur & dilectio proximi sincera propter Deum. Ac si hæc esset absoluta in natura, integra esset legis impletio. In hac verò infirmitate, Christi perfectio nobis imputatur, qui est finis legis. In eandem sententiam Christus dicit: Quod vultis vt vobis faciant homines, hoc facite illis, in eo pendent

dent Lex & Prophetæ. Finis nimirum legis & Euangelij est, vt proximos diligamus sicuti nos ipsos. Ad hoc enim instituit Deus regnum filij sui, ad hoc restituit nostram corruptam naturam per spiritum sanctum, vt luceat vera & integra iustitia, secundum omnia præcepta Decalogi, quæ maximè in dilectione consistit.

Non est necesse diu disputare, qui sint proximi, vt Pharisæus facit Luc. 10. Christus enim conuincit eum, omnes, qui nostris adsciuntur miserijs, & qui nostra egent eleemosyna & beneficio, proximos nostros esse. Gradus quidem sunt coniunctionis, & ordinem monstrat ipsa dilectio. Liberis & familiæ primùm prospiciendum est de victu: Deinde potissima habenda est ratio eorum, qui sunt fidei consortes, tum verò beneficentiæ nostræ fontem erga omnes homines, cuiuscunq; religionis vel nationis sint, aperire, neque vlli opem nostram imploranti denegare, cùm iuuare possumus, debemus. Nec Turca, nec Moscus, nec Tartarus, nec Iudæus deserendus est, cùm nostrum poscit auxilium.

Quando verò vel ob confessionis lucem, vel vt tranquillitati & saluti Ecclesiæ consulamus, denegamus officia sectarijs pertinacibus, vt Anabaptistis, Iudæis, Caluinistis hospitia negamus, alia subest causa.

Ponti-

Pontificij abutuntur hoc loco. hinc enim probare conantur, iusticiam nostram coram Deo, non ex Dei misericordia per fidem, sed ex nostris pendere operibus & dilectione. Sic enim argumentantur.

Impletione legis iusti sumus.

Sed ditectio, teste Paulo, est legis impletio.

Ergo dilectione sumus iusti.

Respondendum est: Totum argumentum rectè intellectum concedi potest. Verè enim dilectione iusti essemus coram Deo, si eam, quæ legis impletio est, quis haberet. De integra enim & absoluta dilectione loquitur Paulus, quæ nullo sit vitiata peccato, nulla deformata defectu, nullo impedita liuore. In domino nostro Iesu Christo talis quidem extitit dilectio, in nullo verò alio homine, non in Moyse, non in Paulo, non in Iohanne Baptista. Atq; ideo dilectione nemo iustus est coram Deo, quia nemo implet legem. Etsi autem nemo huiusmodi perfectam dilectionem præstare possit, legis tamen sententiæ repetendæ sunt, cum vt agnoscamus nostrum defectum & impuritatem, tum vt normam perfectissimam semper in conspectu habeamus, ad quam totius vitæ nostræ actiones, consilia & cogitationes dirigamus. Ex huiusmodi verò legalibus

sexten-

sententijs non est petenda doctrina de iustificatione coram Deo, per carnem enim lex infirmata est, vt iustificare & viuificare non posit. Nemo enim perfectam legi obedientiam præstat, neque quisquam præstare potest, itaq; lex iram operatur. Ex promissione verò gratiæ petenda est doctrina de iustificatione, quæ testatur nos fide absq; operibus pronunciari iustos. Colligimus ergo inquit Paulus, hominem iustificari coram Deo fide absq; operibus legis. Doctrina in hoc dicto nobis amplissima ostenditur:

1. Regula est omnium officiorum in tota vita. Omnia consilia & cogitationes ad hanc normam sunt dirigendæ. Nos iuuari cupimus in omnibus necessitatibus ab omnibus hominibus, omni auxilio & viribus, à nemine volumus contemni, à nemine lædi, à nemine deseri: prompto animo & candido pectore iuuari volumus. Quod ergo volumus vt nobis faciant homines, id faciamus alijs.

2. Sententia monet, quòd lex non tantùm externam flagitet disciplinam, sed etiam internam, perfectam & absolutissimam obedientiam, quæ omni vitio careat.

3. Ostendit nobis expositionem Decalogi, vt præcept. 4. honora patrem & matrem. Sicuti tu vis diligi & coli à tuis liberis, sic dilige et cole parentes tuos.

4. Quòd

4. Quòd lex Dei ad hanc vitam pertineat. Dicit enim: diliges proximum tuum, quem coràm in egestate & miserijs videmus, qui nobiscum in hoc mundo viuit. Falsum est ergo quòd pontificij fingunt, legem de integra obedientia: Non concupisces, & diliges proximum tuum sicuti teipsum, ad huius vitæ conditiones non pertinere.

5. Quòd legem Dei in hac vita implere non possimus. fateri enim cogimur, quòd nemo nostrùm sic diligere possit proximum sicuti seipsum. Semper et omnes nobis melius esse malimus quàm alteri.

6. Quòd impuræ cogitationes & errantes affectus, & vitiosi cordis motus, qui non respondent legis perfectioni, sint peccata coram Deo, quæ iram Dei & mortem æternam merentur. Quod enim à legis norma discrepat peccatum est. peccati stipendium mors est.

7. Docet hæc sententia ad quam perfectionem & naturæ integritatem vocemur per Euangelij promissionem in domino nostro Iesu Christo mediatore. Hæc doctrina repetatur & expendatur in hoc insigni dicto.

Si verò vos inuicem mordetis et voratis, videte ne ab inuicem consumamini)

Cum dilectione bellum gerunt contentiones, rixæ, sonu-

conuitia, calumniæ, sectæ, factiones. Monet ergo vt ea studiosè caueamus et paci studeamus. Ex variis quidem causis oriuntur simultates & contentiones inter homines. Omnes natura superbi sumus, & quisq; conatur se præferre alteri. Inter superbos vero semper est contentio. plerique etiam sunt pleonectici: alij futiles sunt in sermone, facilè lædunt alios: multi præcepites sunt in iudicando de aliorum dictis aut factis, Et innumeræ pene sunt occasiones offensionum ac certaminũ: Ac mille artifex est Satan in serendis dissidijs, & in accendendo discordias, ex leuissima occasione et ex parua scintilla ingens incendium conflare nouit. Vt plurimum autem turbarũ, & motuum, et dissidiorum in Ecclesia causæ sunt noua dogmata et falsæ sententiæ. Hæ enim abducũt mentes à Christo, extinguunt fidem, pellunt spiritum sanctum, & faciunt ex hominibus Satanæ mancipia, quæ ipsius deinde seruiunt impuræ voluntati. Itaq; impossibile est concordiam in Ecclesia seruari, falsa doctrina grassante. Infecti falsa doctrina rabiosè mordent pios, cum doctores tũ auditores, conuitijs, calumnijs, sycophantijs, obtrectationibus: et furijs agitati persecutionibus et horrenda sæuitia grassantur. Hoc ostendit historia Arrianorũ, Macedonianorum, Donatistarum, Pontificiorum, etiam Adiaphoristarũ et Sacramentariorum, & recentiũ Manichæorum. Nullum

Nullum genus conuitiorum excogitari potest, quo non lacerent isti fanatici pios. hinc verò nihil aliud consecuti sunt, quàm quod sese tandem consumpserunt, & tristia Ecclesiæ vulnera infixerunt. Tandem deleuit tales Sycophantas Deus, vt Staphylum, Iohannem Stosselium, qui horrenda desperatione interijt.

Sæpe etiam Christiani de doctrina consentientes, leuibus occasionibus simultates et rixas inter se fouent. Id seuerè prohibet Deus, quia contrariũ est dilectioni, & contentionum fructus est consumtio & interitus. Etsi enim vna pars elidat alteram, & superior euadat aliquandiu, paulò pòst tamen pessum it, Deo pœnam iniusticiæ, calumniarum & fraudium exigente.

Magna fuit contentio inter Iohannem Chrysostomum & Epiphanium, & tandem vterq; contentione consumptus fuit. Monet etiam apostolus Paulus, non mouenda esse in Ecclesia certamina non necessaria, ne Ecclesia scindatur & nos consumamur.

In pace vocauit nos Deus. Hæc verò non ita sunt accipienda, quasi Paulus prorsus prohibeat certamina, hæc si eius mens esset, seipsum grauiter damnaret. Grauissima enim certamina gessit contra pharisæos, Iudæos, Pseudoapostolos, sectarios, Hymenæum, Phygellum & alios, sed

ſed quantum in nobis eſt, vult nos ſtudere concordiæ et non mouere logomachias, iniurias condonare, & occaſiones contentionum prudenter cauere. Vbi verò falſa ſpargitur in vulgus doctrina, & Eccleſiæ imminet periculum à ſeductoribus, nulla pericula ſunt fugienda, nullo labori parcendum, ſed fortiter illis reſiſtendum. Hîc præcepta ſunt reuocanda in memoriam: χρὴ τὰς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, καὶ ἐπιστομίζειν. Titum 1. Atq; hîc fraudes Satanæ & mundi animaduertendæ & robore ſpiritus contemnendæ ſunt. Mundus enim inſtructus dolo à Satana, omnium turbarum & diſſidiorum cauſam confert in fideles Doctores, qui veritati patrocinantur, et falſis dogmatibus ſeſe opponunt, hos vocat turbatores, ſeditioſos, bellorum faces, & omnium motuum in Eccleſia cauſam. Hoc titulo ornati fuerunt Prophetæ, Apoſtoli, Athanaſius, Cyrillus, Auguſtinus, Lutherus: idem & nobis hodie accidit, contra falſos doctores, licet furijs agitentur & quieſcere non poſſint, tamen prædicat eos tanquam pacificos, moderatiſſimos & concordiæ ſtudioſiſſimos. Verùm hoc præpoſtero mundi iudicio nihil moueri debemus. Adſertores enim veritatis calumnijs tetris à profeſſione veritatis abſterrere conatur; ſua verò organa conatur armare autoritate & fauore vulgi, vt oppreſſa veritate

ritate latè diffundat ſua mendacia. Confirmemus ergo nos mandato Dei, quo iubemur reſiſtere præſtigiatoribus, & eorum refellere mendacia. Cùm damnamur à mundo, abſoluimur à Deo, qui teſtatur nos eſſe pacificos, Pſal. 55. & confirmamur teſtimonio propriæ conſcientiæ. Noſtra quoq; certamina ſunt gratiſſimi cultus Dei. Errores enim diſſimulandi non ſunt, nec poteſt fieri vel conciliatio vel concordia inter diſſidentes, falſa doctrina graſſante, ſed ſimpliciter ea damnanda & ex Eccleſia exterminanda eſt.

Dico autem ſpiritu ambulate, & concupiſcentiam carnis non perficietis. Nam caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, hæc mutuò inter ſe aduerſantur, vt non quæ volueritis, eadem faciatis.

NE quis excipiat apoſtolum Paulum fruſtra nos hortari ad legis perfectionem, vt proximum diligamus ſicuti nos ipſos, cùm nemo eam præſtare poſſit, explicationem addit, quomodo præceptum ſuum intelligi velit: Ne etiam prætendant homines in hac naturæ corruptione of-

fensiones & contentiones non posse caueri, nec à natura nostra sinceram dilectionem exprimi posse: auxiliatorem, & bonorum motuum cordis, ac veræ virtutis effectorem monstrat Spiritum sanctum, & iubet vt nos ab eo duci patiamur. Spiritu ambulare est: postquam per fidem iustificati, & in filios Dei adoptati, atq; etiam Spiritu sancto donati sumus, ductum Spiritus sequi, & ipsius præscripto obtemperare: in Spiritu & veritate Deum adsiduè inuocare: Deum diligere, illi gratias agere, eius nomen celebrare, veritatem in mundo profiteri, eius verbum meditari, fideliter seruire in vocatione, omnia ad gloriam Dei referre, ex animo & corde sincero diligere proximum, omnibus benefacere, studere veritati & concordiæ, vitare occasiones offensionum, condonare iniurias, reprimere adfectus carnis, auaritiam, libidines, cupiditatem vindictæ, dolorem repulsæ, æmulationem, liuorem, superbiam, & similes: & in omnibus consilijs, cogitationibus, actionibus & conatibus sese conformare ad præcepta Spiritus sancti, quæ nobis in decalogo sunt proposita.

Moyses, Dauid, Iosaphat, Athanasius, Lutherus ambularunt Spiritu, quia vitarunt peccata, represserunt carnis adfectus, & iuxta Dei verbum ex animo seruierunt commodo Ecclesiæ.

Dauid

Dauid licet graues haberet causas interficiendi Saulem, & dominus hostem eius dedisset illi in manus, tamen parcit ei, qui rex est legitimè vocatus à Deo. Athanasius licet sæpius pellatur in exilium: non tamen frangitur animo, nec abijcit vocationis officia: sed subinde redit ad propagationem Euangelij, & veritatis contra Arrianos adsertionem. Saul verò, Cato, Scipio, Pomponius Atticus, Aristides, non ambulant carne. Etsi enim abstinent quodammodo à manifestis sceleribus, tamen in eo tantùm sequuntur dictamen rationis, non ducuntur Spiritu, neq; in conspectu habent verbum Dei, nec in eis lucet fides, imò sæpe indulgent suis cupiditatibus: Saul etiam non abstinet à manifestis sceleribus. In alijs tantùm fuit virtutis simulatio. Animi eorum varijs flagrarunt concupiscentijs, neq; eas agnouerunt esse peccata.

Docet ergo Apostolus, quomodo à nobis vera dilectio præstari possit, nimirũ si Deo fuerimus per fidem reconciliati, et per Spiritum sanctũ regenerati: si nostræ infirmitati succurrerit Spiritus sanctus. Docet etiam cuiusmodi obedientiã Deus postulet, nõ externam tantùm honestatẽ, neq; tantùm philosophicam adfectuum moderationem: sed spiritualem cognitionem & obedientiam, vt in Spiritu agnoscamus nostram impuritatem, &

adsiduè veram pœnitentiam agamus: Deum in spiritu inuocemus: adfectus carnis comprimamus: aduersus dubitationem luctemur, et ad Dei verbum, à quo spiritus sanctus se diuelli non patitur, semper respiciamus, in omni consilio & actione, præcepta etiam spiritus & ductum sponte & alacri animo sequamur.

Concupiscentiam carnis non perficietis.) Cùm spiritum sanctum, qui Dei voluntatem in verbo nobis patefacit, sequimur, custodit ille nos, ne in peccata contra conscientiam prolabamur. Instat enim ille ne carni indulgeamus, sed potius carnis adfectus comprimamus et mortificemus.

Pontificij concupiscentiam non aliter intelligunt quàm de libidine & pruritu carnis. Sed in eo fœdè hallucinantur, cùm concupiscentiæ vocabulum apud apostolum Paulum multò latius extendatur & vsurpetur. Quando enim Paulus testatur, concupiscentiam carnis luctari aduersus spiritum, & in lege damnari omnes defectus & prauas inclinationes, & inordinatos motus, omnium virium, & in primis mentis & voluntatis, & totius cordis prauitatem complectitur.

Significat ergo concupiscentia carnis, securitatem cordis, ignorationem Dei, errores mentis, cupiditatem nugandi opinionibus de Deo, confidentiam ingenij, dubitationes de prouidentia Dei, admirationem propriæ sapientiæ, abhorrentiam à certaminibus fidei, impatientiam in adflictione, indignationem aduersus Deum, delectationem in Idolis & religionibus humana audacia sculptis. Atq; ita grauissima peccata contra primam tabulam vox concupiscentiæ significat.

Deinde significat prauitatem cordis errantis adfectibus erga proximum, vt liuorem, inuidiam, æmulationem, cupiditatem vindictæ, lucri, honorum, libidines, dolorem repulsæ, iracundiam & similes impuros motus, qui ex peccato originis tanquam ex radice amara pullulant. Hoc in loco Paulus recenset inter opera carnis Idolatriam & hæreses. Ergo carnis concupiscentia ad illa inclinat scelera. Ad Eph. 2. inquit: Nos omnes aliquando versati sumus in concupiscentijs carnis, facientes voluntates carnis & mentium. Ergo & mentis errores ad carnis concupiscentiam pertinent.

Carnis concupiscentiam perficere, significat indulgere cupiditati, & opere complere carnis impuros adfectus. Vt cùm quis ad errorem propensior est, quàm ad veritatem: pronior est ad dubitationem de Deo, quàm ad firmam fiduciam: malit ludere fingendis religionibus, quàm verbi

diuini septo includi, concupiscentia est carnis.

Cùm verò proiecta veritate amplectitur & profitetur errorem: neglecto fidei certamine dedit se dubitationi, spreto Dei verbo, aut ipse fingit, aut ab alijs fictas religiones approbat & defendit, perficit carnis cupiditatem. Cùm quis sollicitatur ad iram, vel libidines, vel auaritiam, carnis est concupiscentia. Cùm odium exercet, scortatur, vel impurè viuit, defraudat vel quocunque modo lædit proximum, perficit carnis concupiscentiam, atque tum excidit gratia, extinguit fidem, præcipitat se in mortem. Hortatur ergo hic Paulus vt carnis adfectus compescamus, reprimamus & frangamus, idq; faciamus non solùm rationis dictamine, sed ductu spiritus, qui nobis suggerit Dei præcepta & opitulatur infirmitati nostræ.

Testatur hîc Apostolus manere in sanctis & conuersis peccata et infirmitates. Concupiscentia enim carnis verè est peccatũ, quia contraria est legi Dei, quæ flagitat omniũ virium integritatem et mundiciem omnium motuum. & lex dicit: Non concupisces. Existit autem in omnibus sanctis concupiscentia, etiam in his qui spiritu Dei ducuntur. Deinde docet Paulus, quod sit discrimen inter peccata condonata seu tecta, & peccata mortalia seu regnantia.

Con-

Concupiscentia carnis omnino est peccatum, vt dictum est, cùm verò comprimitur spiritu, peccatum est condonatum, remissum & tectum. Nam fide impetratur remissio, & Christus est umbraculum nostrum. Vbi verò cupiditas carnis opere perficitur, fit peccatum mortale, quia tum fides excutitur.

Veniale ergo seu tectum peccatum est, malum originis nobiscum nascens, et in renatis existens, & vitiosi adfectus et motus, qui ex eo nascuntur, quibus tamen pij auxilio spiritus sancti reluctantur, nec eos opere complent: Sunt præterea multa alia peccata omissionis & commissionis, consultò vel inconsultò admissa, ex leuitate & errore profecta, quæ pij non defendunt, sed admoniti agnoscunt ea, dolent ea admissa esse, & eorum veniam petunt submisse à Deo. De hisce peccatis dictum est: Si dicimus quòd peccatum non habemus, seducimus nos ipsos, & veritas non est in nobis. 1. Iob. 1. Si spiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis. Rom. 8.

Peccatum mortale seu regnans, est malum originis & actuale peccatum omnis generis, internum & externum, consultò vel inconsultò admissum, à non renato: Deinde est lapsus contra conscientiam, vel error contra fidei fundamentum, qui pertinaciter defenditur, tum enim

adfectus carnis perficiuntur opere, quod hic prohibet Apostolus.

Difficile quidem est in singulis casibus hoc videre discrimen, Quæ hominum peccata inter venialia censenda sint, quæ verò sint regnantia. Sæpe enim simulant homines pietatem: prætendunt suis actionibus gloriam Dei, studium pacis, Ecclesiæ vtilitatem, verùm Deus tandem patefacit stulticiam impiorum. Conscientiæ verò secum statuere possunt, num committant peccata mortalia. Manifesta enim sunt opera carnis, præsertim crassa & atrocia, Et conscientia scire potest, num fidem retineat & pugnet contra carnem. Singuli pÿ dent operam, vt spiritu ambulent, & ne cupiditates carnis opere perficiant, ne sese in mortem præcipitent.

Nam caro concupiscit aduersus spiritum:) Ne nos dedamus securitati, docet Apostolus quæ infirmitas & prauitas hæreat in nostra natura, & radicem monstrat omnium peccatorum, & nos ad perpetuam luctam & certamen instruit. Caro non significat tantùm inferiorem appetitum, & cupiditates libidinis, vel crassiora peccata: sed totum hominem corpus & animam, cum omnibus potentijs, viribus & adfectibus. Ac omnino superiores illas animæ potentias,

tias, mentem & voluntatem complectitur. sicuti Paulus nominat Φρόνημα τῆς σάρκος, rationem & cogitationem, & sapientiam carnalem, quam dicit esse inimicitiam aduersus Deum.

Origenes finxit tres hominis partes: spiritum, animam, carnem, & contendit carnem tantùm significare brutos adfectus, & inferiores cupiditates. Sed turpiter est hallucinatus, & periculosè obscurauit verba Pauli. Explosis ergo illis figmentis humani cerebri, sciamus carnis voce significari totius hominis vires, etiam partem hominis præstantissimam, videlicet mentem et voluntatem. Ipsa etiam ratio concupiscit aduersus spiritum: Nam sapientia carnis est inimicitia aduersus Deum. Rom. 8. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus, stultitia enim sunt ei, nec potest intelligere. Itaq; post Satanam non est acerbior hostis spiritus, quàm ratio humana. Hæc opponit se verbo Dei: hæc fingit falsas opiniones de Deo: hæc sculpit Idola suo arbitrio, superbè contemnit diuinas patefactiones: hæc odit Christum cum toto suo regno: molestè fert accusari sua figmenta: hæc abhorret à cruce & afflictionibus Christi: arguit Euangelion mendacij: disputat contra prouidentiam: improbat iudicium Dei, quod atroces peccatores recipit in gratiam, & abÿcit hypocritas ciuiliter bonos & honestos,

perſequitur verbi miniſtros tanquam perturbatores reipublicæ: conatur Eccleſiam regere humanis conſilijs, & in ſumma in omnibus opponit ſe ſpiritui. Sic & reliquæ vires hominis, voluntas, cor, adfectus, appetiones & tota caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. Spiritus enim creatus à Deo in conuerſione hominis per ſpiritum ſanctum, nimirum nouus homo, cuperet obedire Deo iuxta legem: vacare omni ſecuritate & diffidentia: abſtinere ab omni idolatria: creſcere in agnitione veri Dei, ſemper meditari Dei verbum, immunis eſſe à peccatis, à libidinibus, odijs, rixis, auaritia, mendacijs, iniurijs & coram Deo nitere ornamentis iuſticiæ & ſanctitatis. Verùm non permittit hoc caro, quin opponit ſe ſpiritui, & ea tantùm appetit, ſuadet, vrget, quæ diſplicent Deo & pugnant cum eius verbo, magis delectatur plauſibilibus humanæ rationis figmentis, quàm oraculis ſpiritus ſancti: perſuadet ſibi ſe non adeò corruptam eſſe, atque ſcriptura teſtatur. Itaque non parum permittit ſibi in excogitandis ſententijs de religione: à ſe ſculpta idola admiratur & mordicus retinet: confidit ſuo ingenio: expetit gloriam: quærit voluptates: auerſatur crucem: abhorret ab exercitijs pœnitentiæ: accendit hominem vt ſeſe vlciſcatur, ne vllam iniuriam patienter ferat aut

aut condonet. Et in ſumma ad omnis generis peccata inuitat, idq; adeò facit occultè, vt religionem prætendat, cùm ſculpit idola: ſapientiam ſibi tribuat cùm auerſatur miniſterium verbi: felicitatem ſuam prædicet, cùm declinat crucem; iuſticiam ſimulet, dum ardet vindictæ cupiditate. Cauendum ergo eſt ne carnis adfectus ſequamur. Arrius, Sabellius, Samoſatenus dum figmenta ſuarum opinionum admirantur, eaq; pluris faciunt, quàm oracula ſpiritus ſancti: carni obſequuntur reiecto à ſe ſpiritu. Sic Origenes, Pelagius, Oſiander, Illyricus ſua figmenta inferentes in ſcripturam, carni indulgent contra ſpiritum. Sic qui ſuam quærit gloriam, voluptatem, opes, vindictam, eaq; antefert gloriæ Dei & ſaluti Eccleſiæ, totus carnalis eſt, & ſpiritus imperium detrectat. Politici quoque ſapientes, qui humana ratione miniſterium verbi & Eccleſiam Chriſti gubernare conantur, carnalia ſapiunt & carni præſtant obſequia, cùm ſe ſpiritui tradere debebant regendos. Diligenter ergo attendant pij ne carnis iudicio & adfectibus ſeducantur.

Spiritus contra carnem) ſcilicet concupiſcit. Spiritum hîc vocat non rationem. Nam ea ad

ea ad carnem pertinet, quatenus non est regenita: sed nouum hominem, qui ad imaginem Dei in iustitia & sanctitate reformatur, & à spiritu sancto natus est. Loquitur enim Paulus de ijs, qui ad Deum conuersi & à spiritu sancto regenerati sunt. In his existunt duo homines vetus & nouus. In non conuersis tantùm est caro. Corpus & anima sunt expertia vitæ & spiritus, in ijs dominatur vetus homo, & regnum suum solus obtinet. At in conuersis ad Deum diuersi sunt homines: vetus & nouus, non quòd diuersæ sint substantiæ veteris & noui hominis, sed eadem substantia corporis & animæ. Quatenus retinet peccati reliquias & carnis concupiscentias, vetus homo dicitur. Quatenus in mente hærent errores & dubitationes: In voluntate alienatio à iustitia, & procliuitas ad peccandum: In corde prauitas affectuum: vetus homo dicitur cum suis concupiscentijs. Eadem verò mentis, voluntatis & cordis substantia, quatenus illustrata est verbo Dei, agnoscit verum Deum, credit eius verbo, condelectatur legi Dei, cupit obedire Deo, incipit diligere Deum, sitit iustitiam & ducitur spiritu, nouus est homo & dicitur spiritus. Quod natum est ex spiritu spiritus est Ioh. 3. Hi duo perpetuum inter se bellum gerunt in conuerso quamdiu viuit homo. Vetus sollicitat ad peccandum & ob-

& obsistit fidei, spei & studio pietatis, quærit voluptates, et indulgere cupit dubitationi. At spiritus reprimit carnis affectus, sequitur verbum, obtemperat spiritui, resistit peccato, luctatur contra diffidentiam, exercet sese adsidua pœnitentia, subijcit se Dei voluntati, & conatur obedientia sua illustrare Dei gloriam.

Hanc luctam carnis & spiritus egregiè describit Cyprianus ser. 4. de mortalit. Cum auaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitijs, cum illecebris secularibus adsidua & iugis et molesta luctatio est. Obsessa mens hominis & vndiq; rabuli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, virulentia inuitat, inuidia concordiam rupit, amicitiam zelus abscindit. Tot persecutiones animus quotidie patitur. Et Nazianzenus in versu luctam describit:

ἄλλό τι σὰρξ μοὶ αὐτόξεν ἐμοὶ φίλον· ἄλλο δ' ἐφετμὴ.

ἄλλο θεὸς φθόνος ἄλλο· ξένος τὸ μὲν ἄλλό τι αἰῶν.

ἔρδω δ' ὁ στυγέω, καὶ ἀμφιγέγηθα κάκιστα.

Ao

Ac omnes sancti in sese hanc experiuntur luctam carnis & spiritus. Augustinus vocat ciuile bellum in homine. Non ergo indulgendum est carni, neq; securè viuendum, sed adsiduè veluti in acie standum contra hostem & spiritu & precibus, & veris pœnitentiæ motibus pugnandum.

Hæc sibi aduersantur, vt non facia-tis quæ velitis.) Causam hîc nobis monstrat, cur legem perfectè implere non possimus, licet per spiritum sanctum renati simus. Quia peccatum originis hæret in nobis, & caro planè corrupta est et aduersatur spiritui, quam deponere non possumus, quamdiu in hac vita viuimus, idcirco non possumus præstare integram legis obedientiam, quantumuis id expetamus secundum interiorem hominem. Vellemus quidem esse sine omni peccato, & nitere perfecta & absoluta iustitia, verùm caro concupiscens aduersus spiritum, & ad omnia peccata adsiduè inuitans, impedit nos, vt quod optamus, efficere non possimus. Cuperemus constanter acquiescere fide in Dei verbo, sed præter nostram voluntatem oboritur dubitatio in mente, quæ deformat fidem. In adflictionibus cuperemus nos patienter subijcere Dei voluntati, sed exoritur indignatio in corde, quæ conspurcat nostram

nostram obedientiam. Optaremus corpore et animo præstare castimoniam, & alieni esse ab omni impuritate. Verùm surgit libido, titillat caro, cor inflammatur amore illicito priusquam animaduertamus. Quàm subitò exæstuat cor cupiditate vindictæ? Atq; hi primi motus, etiamsi nulla accedat consensio, verè sunt peccatum contra Dei verbum, quia pugnant cum lege, quæ flagitat mentem immaculatam, & cor mundum, in quo nulli surgant nec existant errantes motus. Lex inquit non concupisces. Ipsa ergo cupiditas mentis & cordis, quæ præcurrit voluntatis adsensum, est legis transgressio. Ac sanè non leue peccatum est aduersari spiritui. Quando ergo caro concupiscit aduersus spiritum grauissimè peccat. Hæc verò pugna inter carnem & spiritum, non intelligatur more philosophorum, qui & ipsi fatentur virium quandam dissonantiam & ξυγομαχίαν rationis & cordis. Sæpe ratio videt & intelligit honesta & vtilia, & tamen adfectus cordis feruntur contra rationem, vt apud Ouidium Medea fatetur:

Sed trahit inuitam noua vis, aliudq; cupido,
Mens aliud suadet: video meliora proboq;
Deteriora sequor.

Idem Phædra fatetur apud Senecam: Quæ memoras scio,

Vera

Vera esse nutrix: sed furor cogit sequi
Peiora: vadit nnimus in præceps sciens,
Remeatq; frustra, sana consilia expetens:
Sic cùm grauatam nauita aduersus ratem
Propellit vnda, cedit in vanum labor,
Et victa prono puppis aufertur vado,
Quod ratio poscit regnat & vincit furor.

Est hæc pugna quædam mentis & adfectuum, vbi mens videt honesta, & dissuadet turpia, cor verò exæstuans libidine, & impulsum à Satana ruit contra rationis iudicium. Sed longè alia est lucta, de qua Paulus hoc loco concionatur. Hic enim tota caro, videlicet ratio, mens, voluntas, cor, oppoonunt se spiritui. Ratio suadet errores, mens approbat dubitationes, voluntas eligit ea, quæ pugnant cum Dei verbo. Omnes enim vires sunt corruptæ, mens excæcata est, & voluntas à Deo auersa. Atrocia scelera ratio quodammodo intelligit & improbat. At spiritualem obedientiam erga Deum, certamina fidei, cultus primæ tabulæ, non intelligit ratio.

In hac ergo sanctorum pugna omnes hominis vires, mens, voluntas, cordis adfectus conspirant contra spiritum. Spiritus verò non significat rationis dictamen, sed nouam illam lucem à spiritu Dei accensam, quæ monstrat Dei voluntatem in verbo, & sanctos motus voluntatis & cordis, quibus

bus cupit homo diuinæ voluntati obsequi. Discernantur ergo philosophica dicta ab oraculis spiritus sancti.

In ξυγμαχίᾳ rationis & cordis, rationis iudicium ostendit scelerum turpitudinem, etiam sine spiritu sancto: & ratio potest aliquando cohibere adfectus, vt in versu est: Vince animos iramq; tuam, qui cætera vincis, ac tum homo nihilominus manet in peccatis mortalibus, etiamsi comprimat adfectus vehementiores. Ratio enim tantùm caro est. At in sanctorum lucta, ratio & voluntas & cor aberrant à vero: Spiritus sanctus verò illuminat rationem & flectit voluntatem, ac monstrat Dei verbum, iuuat etiam cor vt obtemperet. Atq; in hac lucta, cùm & mentis errores & cordis adfectus reprimuntur spiritu, homo manet in gratia, eius infirmitates teguntur vmbraculo mediatore, & carnis actiones in eo mortificantur.

In hoc dicto testimonium extat de peccato originis. Cùm enim caro concupiscat aduersus spiritum, necesse est totam nostram naturam horribiliter corruptam & deformatam esse. Hinc etiam liquet nullam superesse vim liberi arbitrij homine nondum renato, quo ad res spirituales. Cùm enim in conuersis & sanctis caro rebellet aduersus spiritum, quanto magis aduersabitur spi-

vitui in homine non renato. Si caro, in quantum non est renata, aduersaria est spiritus. Ergo prorsus non regenita, nihil potest nisi aduersari spiritui, legi Dei, totis viribus. Nullum ergo est liberum arbitrium, nullus est nutus, nulla facultatula, nullus adsensus, nulla adsentiendi vel ad gratiam se applicandi vis.

Si verò spiritu ducimini non estis sub lege.

MOdum ostendit, quomodo pugnandum sit contra carnem, simul & infirmitatem naturæ indicauit, vt moneat nos procul abesse à legis perfectione. Ne autem cognita hac nostra imbecillitate & immundicie de gratia Dei desperemus, efficacissimam monstrat consolationem. Etiamsi hæreat in nobis concupiscentia carnis, non tamen nos à lege damnari, modò ducem spiritum sequamur. Graue est quod dicit: carnem concupiscere aduersus spiritum, hoc est, carnem esse hostem Dei, odisse iudicium spiritus, nos verò non posse præstare legis impletionem, quantumuis velimus. Quomodo ergo statuet pius, quòd sit iustus coram Deo, quòd sit reconciliatus & placeat ad vitam æternam? Certè immundi homines accusantur à lege, premuntur eius maledictione, & regnum Dei non possidebunt. Respondet Paulus: Hanc nostram esse consolationem, modò ducamur spiritu, nos non esse sub lege. Etsi hæret in nobis infirmitas, & legi satisfacere non possumus, tamen lex non potest nos neque accusare neq; damnare, quia per Christum à lege sumus liberati, & legi mortui, lex nihil iuris amplius in nos habet. Nulla inquit Paulus Rom. 8. nunc est condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu.

Quòd autem in Christo simus, & ipsius gratia in filios adoptati, inde manifestum est, quòd spiritu ducimur. Spiritus sanctus enim non datur nisi per fidem reconciliatis Deo. Cùm ergo ducimur spiritu, qui in nobis & fidem accendit, & adfectus carnis mortificat, in gratia sumus. Qui in gratia est, is habet omnium peccatorum condonationem, & quanquam manent in eo infirmitates, tamen teguntur illæ per Christum, & quod deest eius obedientiæ, hoc supplet Iesus Christus, qui est impletio legis. Non ergo sumus sub lege, cùm ducimur spiritu, quæ sanè dulcissima est consolatio. Nulla enim nobis metuenda est damnatio, etiamsi perfecti non simus, sed infirmitates in nobis hæreant.

Spiritu duci non est rationis dictamen, & sapientum præcepta de moribus sequi: sed est illustratum esse per spiritum sanctum, habere veram de Deo noticiam, adsentiri ipsius verbo, luctari contra dubitationem, captiuare rationem in obsequium Christi, intelligere beneficia mediatoris, firmiter statuere quòd per Christum sis reconciliatus Deo, lætari in Deo, tranquillam gerere conscientiam, esse templum Dei, in omni tribulatione erigi consolatione spiritus sancti, doceri, duci, confirmari & in omni pio conatu gubernari & adiuuari per spiritum sanctum: reprimere & mortificare omnes impuros motus & adfectus carnis per spiritum sanctum, iuxta Dei verbum: huius spiritus ductu verè & ex animo, sine omni simulatione, sinceram in conspectu Dei præstare obedientiam. Sic Ioseph, Dauid, Ionathas, Iosaphat, Paulus, Lutherus ducebantur spiritu Dei, fuerunt enim reconciliati Deo per fidem: fulsit in eis vera Dei agnitio, fuerunt templa Dei, & omni labore & conatu auxilium & gubernationem spiritus sancti implorarunt & experti sunt. operam etiam dederunt, vt omnes actiones in spiritu Deo probarent. Non fuit in eis pietas simulata aut dolus, non indulserunt prauis adfectibus.

Absalon, Ioab, Achitophel, non ducebantur spiritu, sed frena laxabant cupiditatibus, confidebant propria sapientia, & alieni erant ab exercitijs pœnitentiæ & fidei.

Aristides, Socrates, Fabricius, Scipio, Pomponius Atticus etiamsi imperarunt suis cupiditatibus, non tamen ducti fuerunt spiritu, Alieni enim fuerunt à gratia Christi. Itaque sub lege manserunt.

Sub lege esse significat accusari & terreri à lege, premi eius maledictione, sentire iram Dei, & iuxta legis sententiam æternam metuere abiectionem. Lex enim maledicit omnibus, qui non permanserunt in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius, vt faciat ea. Cùm ergo nemo sit qui permanserit in omnibus, nec quisquam sit qui permanere possit in omnibus. omnes enim declinauerunt & inutiles facti sunt Psal. 14. Lex aliud non potest, quàm maledicere omnibus, & æternam illis denunciare damnationem, in quos habet imperium. Ab hoc tristissimo onere liberauit nos dominus noster Iesus Christus, factus pro nobis maledictum, & obediens patri vsq; ad mortem. Christus redemit nos à legis maledicto, factus pro nobis maledictum. Qui ergo credunt in filium Dei mediatorem & spiritu sancto donantur per fidem, non sunt amplius sub lege, sed sub gratia: nec accusari nec damnari amplius

lege possunt, quia sunt filij Dei per Christum, & certi hæredes vitæ æternæ.

Ex hac Apostoli sententia liquet, quomodo placeant Deo nostra opera, cùm & imperfecta sint, et cum multis infirmitatibus coniuncta. Non placent per se, tanquam perfecta legis impletio, sed placent propter dominum nostrum Iesum Christum, qui nos à maledicto legis redemit, is nos patri reconciliauit, is peccata condonauit, is reliquas sordes vmbraculo tegit, & quod nobis deest, sua perfectione implet, & spiritu suo ducit nos, vt Deo accepta sint opera nostra, à spiritu Dei profecta.

Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt adulterium, scortatio, impuritas, lasciuia, idolorum cultus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, seditiones, hæreses, inuidiæ, cædes, ebrietates, comessationes & quæ his similia sunt, de quibus prædico vobis, quemadmodum & prædixi, quòd, qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt.

Ne quis

NE quis abutatur insigni illa consolatione, quòd dixit, nos non esse sub lege, & hoc prætextu laxet frena cupiditatibus; ostendit opera carnis omnino vitanda esse, si volumus manere in gratia. Non ita sumus sub gratia, & non sub lege, vt liceat nobis in quæuis prolabi scelera: sed omnino manifestis sceleribus & operibus carnis abstinendum est.

Et ne quis sibiipsi imponat indulgendo, diserte ostendit quæ sint carnis opera, & iudicium Dei manifestat, quòd, qui talia faciant, regnum Dei possessuri non sint, quia non ducantur spiritu, nec sint sub gratia.

Verba & phrases spiritus sancti primùm diligenter expendamus, & earum natiuam sententiam in Ecclesia custodiamus. Caro non tantùm significat sensualitatem, seu inferiores appetitiones libidinum, vt Monachi & scholastici Origenem secuti finxerunt: Sed potius significat Paulo totum hominem, corpus & animam, cum omnibus & quidem summis potentijs, puta mentem & voluntatem, & omnes cordis motus, vires & appetitiones. Rom. 8. Paulus nominat Φρόνημα τῆς σάρκ@·, vbi docet carnis sapientiam, consilia, conatus, studia, cogitationes, inuenta, quæ certè ad mentem &

voluntatem pertinent, esse inimicitiam aduersus Deum. Hic quoq; inter carnis opera recensethæreses & idolatriam, quæ ad sensualitatem seu carnis libidines referri non possunt, sed mente et voluntate committuntur.

Quòd Galatæ diffisi promissioni Euangelij studebant legis Mosaicæ obseruatione adipisci iusticiam coram Deo, qui erat error mentis & voluntatis, non libido impuræ carnis, Paulus nominat, carne perficere velle quod spiritu incepueris. 2. Cor. 1. opponit inter se Paulus carnalem sapientiam & simplicitatem atque sinceritatem spiritus. Consilia autem & sapientia sunt mentis & voluntatis actiones, non pruritus vel libido carnis. Ad Phil. 3. Paulus carni tribuit zelum & iusticiam, quæ legi Dei sine reprehensione obedierit. Si quis alius & ego haberem fiduciam in carne iuxta zeli vehementiam persequens Ecclesiam, iuxta iusticiam quæ est ex lege, factus irreprehensibilis. Zelum & persecutionem tribuit carni: tribuit & iusticiam carni. Iusticia autem in summis illis potentijs est, ratione & voluntate. Ex his locis manifestissimè patet, carnis voce significari, non tantùm inferiores appetitiones hominis: sed summas etiam vires, λόγον καὶ νοῦν, rationem & voluntatem, & omnes cordis adfectus. Atq; ita tota scriptura vocem carnis sæpissime

sine vsurpat: Quidquid ex carne natum est caro est Ioh. 3. Caro & sanguis hæc tibi non reuelarunt. Matth. 16. Qui secundum carnem sunt, ea quæ carnis sunt sapiunt. Rom. 8.

Crassius Origenis error est, quòd finxit tria esse in homine etiam nondum renato: Spiritum, animam & carnem. & tamen finxit significare sensualitatem. Deinde commentus est, si anima sequeretur spiritum, hoc est, rationem, tum fieri eam spiritualem, si verò patiatur se abripi carnis desiderijs, tum fieri carnalem. Hoc philosophico et nefario figmento valde obscurauit doctrinam Christi. Spiritum pro ratione accepit, perinde ac si ratio immunis esset à corruptione. Animæ tribuit liberum arbitrium nulla parte labefactatum, quod se in hanc vel illam partem inflectere possit. Atq; ita beneficia mediatoris, & operationem spiritus sancti, & totum Euangelion Iesu Christi hoc errore deleuit & sepeliuit. Explodendum igitur est hoc commentum ex Ecclesia Dei, & sciendum, quòd caro significet mentem, voluntatem, intelligentiam, consilia, iusticiam, adfectus, conatus, rationem ipsam & omnes eius conatus, quatenus luce spiritus sancti destituuntur. Ac totum hominem, spiritum, animam, rationem, corpus & omnes vires corruptas esse, quatenus homo ex carne est natus.

Quod verò Paulus 1. Thessal. 5. optat, vt eorum spiritus, anima & corpus integra sint, sine reprehensione in præsentia domini nostri Iesu Christi, nihil ad fabulam Origenis facit. Paulus enim non constituit hîc tres partes hominis non renati: sed loquitur de spiritu, hoc est, nouo homine renatorum, quem optat esse sincerum, animam verò & corpus nominat vt subiectum noui hominis. Nam ipsa anima & corpus spiritu renouantur per regenerationem. hæc suo loco explicantur fusius.

Carnis opera primùm sunt omnis generis peccata, & actiones internæ & externæ, animæ & corporis, mentis & voluntatis, in impijs qui luce spiritus sancti non reguntur.

Quòd Numa magno studio fingit cultus Deorum, vt populum in officio contineat, est opus carnis. Quod Pharisæus Luc. 18. gloriatur, se non esse similem alijs publicanis, non esse scortatorem, non furem, se ieiunare bis in Sabbatho, est carnis opus. Caro enim seipsam admiratur, & suam quærit gloriam. Sic quando homines indulgent suis adfectibus & cupiditatibus, opera sunt carnis. Deinde verò in ijs, qui ad Deum conuersi fuerunt, opus carnis est, quando quis desideriis carnis non reluctatur spiritu & precatione: sed eis indulget & ea perficit opere, siue hoc fiat intrinsecus in corde, siue extrinsecus per locomotiuam, siue homo contra primam siue secundam tabulam peccet. Ea quæ contra secundam tabulam committuntur notiora sunt, & facilius à ratione iudicari possunt, quàm quæ contra primam: Et ea quæ externis corporis membris patrantur, manifestiora sunt, quàm quæ mente & adfectu cordis delinquuntur, sunt autem omnia carnis, quando carnis opera reipsa perficiuntur. Vt si quis abiecta fide in Deum, induat contemptum verbi diuini, & tandem ruat in desperationem, carnis est opus. Si quis admonitus de errore, & verbi diuini testimonijs conuictus, pertinaciter tamen defendit errorem, carnis est opus. Ita si quis non tantùm ad iram commouetur, sed etiam retinet infensum animum erga proximum, clàm fouet odia, licet præ se ferat beneuolentiam, opere perficit carnis desideria. Si quis non tantùm auaritia titillatur, verùm etiam in corde indulget pleonexiæ, fiduciam ponit in opibus, & excogitat varias atque etiam illicitas vias cumulandi opes, is carnis facit voluntatem & peccat mortaliter.

Accuratè hic attendendum est, spiritum sanctum diligenter discernere, inter carnis desideria, et carnis opera. Nam & sancti, qui spiritu Dei

Dei ducuntur, non sunt immunes à desiderijs carnis, percelluntur sæpe dubitatione, surgunt in eis impuri motus, laborant adfectibus prauis & varijs infirmitatibus, Ita vt Paulus clamitet: non habitare in carne sua bonum, & expetat liberari à corpore mortis. Rom. 7. Verùm cùm his desiderijs carnis repugnant sancti per spiritum sanctum, & retinent fidem, & petunt ea sibi remitti, manent in gratia, & nulla est eis condemnatio. Opera verò carnis non sunt in sanctis. Cùm enim desideria carnis opere perficiunt, excutiunt fidem, pellunt à se spiritum Dei, & excidunt gratia. Vt cùm Iudas scortationem sectatur, & cum Thamar consuetudinem habet: Cùm Aaron metuens populi furorem idolum fabricatur: cùm Dauid rapit alterius coniugem, opera carnis committunt, nec manent in gratia, sed præcipitant sese in mortem. Magnum ergo discrimen est, inter desideria & opera carnis. Paulus desideria carnis vocat: παθήματα adfectus carnis, Gal. 5. πράξεις τὲ σώματος actiones corporis. Rom. 8. Concupiscentiam carnis. Galat. 5. Infirmitatem carnis. Rom. 6. Legem membrorum repugnantem legi mentis, & peccatum inhabitans in carne. Rom. 7. Moyses vocat appetitum Gen. 4. Sub te sit appetitus tuus.

Cùm verò desideria carnis opere perficiuntur,

tur, vocat opera carnis & secundum carnem viuere. Rom. 8. & Gal. 5. Manifesta dicit esse opera carnis, quòd à cuiusque conscientia iudicari possunt. Si enim cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus erga Deum, & quidquid petimus accipiemus ab eo. 1. Ioh. 3. Cùm quis sepositio Dei timore ruit in peccata, accusatur à propria conscientia. Manifesta sunt igitur carnis opera, ea inprimis quæ contra secundam tabulam committuntur. vt, adulterium, scortatio, impuritas, cædes, furtum, vsura, rapinæ, mendacium, obtrectatio, falsum testimonium, ebrietas, odium, liuor, maleuolentia, proditio, fraudulenta simulatio beneuolentiæ, calumnia, periurium & similia. Horum scelerum turpitudo adeò manifesta est, vt de ea dubitare non possit conscientia, quin seipsam proprio testimonio accusat, conuincit, condemnat. Quæ verò contra primam tabulam non ita facile noscuntur: Idolatria, hypocrisis, blasphemia, falsa doctrina, persecutio fidelium ministrorum, varios induit colores, & sese pro summa pietate vendicat, vnde Christus inquit: Qui vos interficient, putabunt se Deo præstare insignem cultum. Quomodo ergo hæc manifesta sunt? Respondeo: Paulus de ijs loquitur, qui sunt ciues Ecclesiæ & auditores verbi. Hi ex verbo iudicare possunt de Idolatria, falsa

falsa doctrina, blasphemia & persecutione. Habent enim regulam certam, verbum Dei, quæ non fallit. Qui sunt auditores verbi diuini, & seriò inquirunt veritatem, legunt scripta & inuocant Deum iuxta verbum, facilè suam conscientiam examinare possunt, num sint idolatræ, num monstri aliquid alant, num fingant nouum doctrinæ genus, num sint blasphemi vel sanctorum persecutores. Hypocritæ, qui his sceleribus contaminati sunt, nec tamen id fateri volunt, primùm à sua ipsorum conscientia, quæ proprio testimonio damnatur, & cauterijs sauciata est, accusantur. Deinde à pijs expresso Dei verbo conuincuntur. Et falsæ doctrinæ, hypocrisi, blasphemijs semper coniuncta sunt atrocia scelera, calumniæ, proditiones, fraudulentæ simulationes beneuolentiæ, crudelitas in innocentes, quæ scelera conscientiæ obscura non sunt, licet impudenter ab eis dißimulentur.

Hic verò obijci potest: Imò etiam in sanctis multa & magna peccata ignorantiæ hærent, ac multa peccata ignorantiæ sunt opera carnis, Quomodo ergo opera carnis manifesta sunt?

Respondendum est autem: Peccata ignorantiæ discernenda esse iuxta personas. In impijs & fide carentibus, peccata ignorantiæ sunt opera carnis & peccata mortalia. Quidquid enim non est ex

est ex fide peccatum est, scilicet mortale. Rom. 14. Et qui non credit Deo, vitam non videbit, sed manet ira Dei super eum. Ioh. 3. Quæ verò in conuersis sunt peccata ignorantiæ, ea non sunt opera carnis, sed tantùm adfectus & infirmitas carnis, & ad dictum pertinent: Ab occultis munda me domine. Psal. 19. Magna adhuc est inscitia in sanctis, multi errores, & tamen placent Deo. Qui enim credit in filium non iudicatur. Ioh. 3. Vbi enim vera est fides, ibi tenetur fundamentum solidum, quod est Iesus Christus. fide sincera in Christum lucente in pectore, pelluntur omnes errores fundamentum labefactantes. fides enim insolidum Christo sese dedit. Si quid non intelligit pius, aut perperam intelligit, cupit doceri à spiritu sancto. si quid imbibit erroris, si admoneretur, & verbi diuini perspicuo testimonio conuinceretur, sine dubitatione abijceret errorem. Est enim cupidus veritatis, & se totum tradit Christo.

Multi etiam sunt lapsus, multæ omißiones in pijs, ignotæ conscientiæ, quæ si fierent data opera, essent peccata mortalia, sed quia occulta sunt, & mens retinet fidem & bonam conscientiam, non sunt opera sed defectus carnis. Nulla ergo est condemnatio his qui sunt in Christo Iesu. Ro. 8. Dauid iniuriam facit Mephibosetb inscius dece-

deceptus calumnia Sibæ 2. Samuel 19. Constantinus Magnus calumnia Arrianorum occupatus, irascitur Athanasio, & pellit eum in exilium sine causa, sed inscius tantum committit peccatum. Theodosius irascitur Cyrillo innocenti. Et multi tales sunt lapsus magnorum gubernatorum, & sanctorum hominum, qui studium habent benefaciendi & verè timent dominum, qui tamen ipsorum conscientijs ignoti sæpe sunt.

Huiusmodi ergo peccata ignorantiæ & lapsus, non sunt opera carnis. In summa quamdiu retinemus fidem & bonam conscientiam, quæ verbo Dei regi debet, & ducimur spiritu, vt suprà dictum est, non sumus sub lege, non habemus carnis opera, non sumus obnoxij damnationi.

Rursus verò obijciunt Libertini & Hypocritæ, se retinere fidem, & conscientiam suam non vulnerari, etiamsi fanaticas opiniones defendant, scortentur, fœnus exerceant, adulterijs se contaminent, fratres odio persequantur, cum hostibus colludant, confessionem occultent, gulæ sese dedant, & varijs sese polluant sceleribus.

His verò respondemus: Conscientiæ iudicium oportere fieri iuxta verbum, cùm verbum Dei testetur, eiusmodi scelera impuram reddere conscientiam & excutere fidem, apertissima impietas est fingere eiusmodi sceleribus non vulnerari con-

scientiam. Imò tales veritatem Dei in iniustitia detinent, hoc est, iudicium Dei de talibus sceleribus sculptum in corde eorum, & repetitum in verbo: Qui talia faciunt regnum Dei non possidebunt:) furore Epicureo & horribili contemptu Dei obruere conantur, sed frustra. Cor enim ipsorum accusat ipsos, animusq; culpa plenus, & semet timet, vt infinita ostendunt exempla, & tandem succumbunt tales dolori conscientiæ. Iuxta regulam igitur verbi diuini, conscientia cuiusq; examinari debet.

Vt sunt adulterium, scortatio)

Adulterium & scortationem esse opera carnis, hoc est, peccata mortalia manifestum est. Quia scriptura dicit: Neq; adulteri, neq; scortatores regnum Dei possidebunt. 1. Cor. 6. Hi ergo statuere debent, quòd non sint in gratia, sed expulerint fidem & spiritum, & partem in regno Dei non habeant, nisi prius egerint pœnitentiam. Eiusmodi ergo peccatores, nimirum adulteros & scortatores, qui de talibus sceleribus conuinci possunt, nec ab eis desistunt, nec vitæ emendationem promittunt, Pastor fidelis non absoluat, non admittat ad sacram Synaxin, non recipiat in communionem sanctorum, sed denunciata eis ira Dei, pro extraneis habeat.

Immundicia, lasciuia.) Generali vocabulo omnis generis libidines intelligit, vt Sodomitica peccata, consuetudines incestus, effusiones seminis illicitas, stupra, et ea quæ Paulus Ro. 1. taxat. Græca enim natio fœdissimis sese polluit libidinibus. Lasciuia significat petulantiam in aspectu, proteruiam in sermone, impudentiam in gestu, luxum in vestitu & obscœnitatem in saltationibus inhonestis, quibus declaratur impuritas & libido æstuans in corde.

Idolorum cultus.) Hîc Paulus manifestissimè docet, quo sensu carnis vocabulo vtatur, nimirum de toto homine & omnibus animæ viribus. Idolorum enim cultus mentis & voluntatis est actio, quæ sunt præcipuæ potentiæ & partes animæ, Et tamen recenset Paulus idolatriam inter carnis opera damnata, suntq; variæ species Idolatriæ. Non solùm opus carnis est, quòd Gentes adorarunt Iouem, Martem, Mercurium, Solem et Lunam: Priapum, Premam, Ignem, Febrim, Pallorem, Victoriam: Et quòd Pontificij genua flectùt ante statuas argenteas, lapideas, ligneas, quibus non inest sensus, & adorant homines mortuos & panem: Et quòd Mahometistæ fingunt se inuocare Deum conditorẽ cœli et terræ, qui tamen non sit pater domini nostri Iesu Christi: Verùm etiam omnia

omnia hæreticorum figmenta, quibus sculpunt sibi numina, quæ nõ sunt Deus. Atq; vana fiducia propriæ sapientiæ, iusticiæ, meritorum, opum, fortitudinis, potentiæ, amicorum, & quidquid est in tota rerum vniuersitate, in quo homo præter Deum spem & fiduciam suam collocat, est Idolatria & opus carnis. Cum huiusmodi Idolatria fides, quæ à solo Deo pendet, stare non potest.

Veneficia.) Scelus hoc pugnat cum 6. præcepto, estq; species homicidij. Vsitatum fuit hoc scelus apud Gentes. Et Romani Pontifices famosi sunt hoc scelere. Paulus tertius, matrem, sororem, nepotem & generum sustulit veneno. Sleida. lib. 21. Clemens septimus multos Cardinales sustulit veneno: ipse venenum hausit septies & tandem veneno periit.

Inimicitiæ.) Inimicitia est, cùm quis vel sine causa, vel iniuria aliqua læsus, odit proximum, & malè ei vult. Cum hoc peccato fides stare non potest. Dei enim voluntas est, vt nos inuicem diligamus, & iniuriam, quæ nobis illata est, condonemus. Remouendi ergo sunt ab vsu cœnæ Domini, qui inter se inimicitias exercent, quia secundum carnem viuunt, nec habent partem in regno Dei. Inimicus fuit Chrysostomus Epiphanio: Ioannes Antiochenus Cyrillo: Rufinus Hieronymo,

nymo, nisi pœnitentiam egerunt, & offensiones inuicem condonarunt, his carnis operibus gratia exciderunt.

Contentiones) Studium contendendi & rixandi cum proximo sine causa, est carnis opus impediens fidem. Ad pacem enim & concordiam vocauit nos Deus, & vult animos mutua beneuolentia inter se coniunctos esse. Discernenda autem sunt contentionum genera. Quando Theologi pugnant pro veritate: politici pro iusticia: patresfamilias pro obedientia, disciplina & diligentia, non est hoc opus carnis, sed potius fructus spiritus, siquidem officij ratio, & Ecclesiæ, politiæ & œconomiæ ratio id postulat. Puritas doctrinæ cælestis sine contentionibus & prælijs contra hæreticos conseruari nequit. Cyrillus opponit se Theodoreto per contentionem: Augustinus Pelagio: Athanasius Arrianis, hæc laudata fuit contentio. Qui verò vel veritatem impugnant, vel iusticiæ se opponunt, vel sua defendunt peccata, vel de rebus non necessarijs lites mouent, atq; ita turbant Ecclesiam, Rempub. & familiam; hi peccant contra conscientiam, & opus carnis perficiunt.

Æmulationes, iræ, rixæ) Fortassis miretur aliquis, cur Paulus hæc peccata inter opera car-

ra carnis, & non potius inter desideria recenseat, cùm ne sancti quidem ab his vitijs sint immunes. Verùm responsio expedita est: Paulum de ijs loqui, qui æmulationi & iræ frena laxant, & rixarum ac contentionum non faciunt modum.

Æmulatio est, quando quis alterius dignitati, fortunis & virtuti inuidet: contendit alteri par esse aut etiam præferri, nec est suo loco & statione, in quam à Deo collocatus est, contentus. Arrius æmulatione accensus lites mouet Alexandrino Episcopo, cupit eum excutere, & nouo dogmate excogitato, totam turbat Ecclesiam.

Zwinglius & Carolostadius inuident nomini & famæ Lutheri, conantur similiter aliquid inuenire noui, ne Lutherus videatur omnia solus vidisse, & æmulatione schisma in Ecclesia excitant. hæc mera sunt carnis opera. Potius gratias agere debuissent Deo, quòd per Lutherum lucem sui verbi mundo restituisset.

Ruffinus Hieronymum æmulatus est: Theodoretus Cyrillum: Eliab Dauidem: Ioseph & Azarias Iudam Maccabæum, & omnes grauiter sunt lapsi.

Ira est motus cordis contra quintum præceptum, quo quis vel læsus, vel quòd se læsum existimet: succenset proximo, ita vt malè illi velit & nocere cupiat.

Rixæ seu concertationes sunt peccatum contra quintum præceptum, quo alter alteri conuitiatur et iracundè respondet: & cum quisq; suum factum vel sententiam pertinaciter defendit, atq; ita concordiam scindit. Iracundius & rixosius respondit Hieronymus Augustino, qui eum de incommoda expositione loci in Epistola Pauli ad Galatas admonuerat et lapsus conuicerat. Augustinus verò moderata responsione fregit iram hominis.

Conspiciuntur et in sanctis sæpe hi næui: surgunt in eis æmulationes: accenditur in eis ira: incidunt sæpe rixæ. Verùm non indulgent eis, reprimunt sancti æstuantem carnem: agnoscunt suam infirmitatem: petunt à Deo veniam: patiuntur se duci à spiritu, & student modestiæ & concordiæ in fide & spiritu. Itaq; æmulationes, iræ, rixæ in sanctis sunt infirmitates. At in impijs, qui sese eiusmodi carnis adfectibus dedunt, nec eos compescunt, sunt opera carnis, hoc est, peccata mortalia, quæ fidem & spiritum sanctum expellunt.

Sed dicat aliquis: Vnde ergo scire possum, quòd æmulatio, ira, rixæ in me non sint opus carnis, sed desiderium & infirmitates? Respondeo: Quisq; probet seipsum. Si existit in te lucta, & spiritus carni aduersatur, sontis quidem in corde æmu-

æmulationes & inuidiæ stimulos, commoueris iracundia, excidit tibi verbum contentiosius, mox verò redis ad cor, reprimis carnem, oras etiam Deum in spiritu, vt te regat, ne indulgeas carni, reprimis vitiosum adfectum, quem scis displicere Deo & in verbo taxari, obtines tandem victoriam spiritu, ita vt tuo loco te contineas, & & alijs honorem debitum deferas, sunt infirmitates, quas filius Dei vmbraculo tegit.

Si pastor roget, quomodo scire possit, num æmulationes & rixæ aliorum sint opera carnis & peccata mortalia, an verò sint infirmitates, non difficulter id colligi potest. Si enim offensus offert se ad condonationem, si nulla parte lædit offendentem, si superiori tribuit suum honorem & locum, si ei non detrahit, si infirmitatem suam agnoscit, si non denegat alteri humanitatis officia, statuere debet eum retinere fidem & manere in gratia. Ex fructibus enim spiritus hoc colligere potest. Cætera iudicio Dei committenda sunt.

Seditiones.) *Seditio scelus est contra quartum præceptum, quo quis legitimo Magistratui contumaciter denegat debita officia, incitat simul plebem, vt se magistratui opponat, & sponte sine mandato Dei currit ad arma, &*

gladium accipit. Grauissimum est hoc scelus, omnis generis peccata in se continens. Ipsa enim diuina maiestas læditur, cùm legitimo Magistratui resistitur, estq; omnium rerum confusio in seditione, vt rectè dixerit Thucydides: πάσα ἰδέα κακουργίας ἐν στάσει κατέστη. Omnis generis scelera & mala in seditione existunt. Non est autem seditio quando ciuis detrectat obedientiam, in re impia & iniusta. Oportet enim nos Deo magis obedire quàm hominibus. Nec est seditio quando fideles ministri Ecclesiæ gubernatorum impietatem & grauissima peccata ex verbo Dei, & de mandato æterni Dei publicè taxant, & eos ad pœnitentiam vocant. Hoc enim est officij ipsorum. Chore & Dathan mouerunt seditionem contra Moysen & Aaronem: Absolon & Seba contra Dauidem: Eugenius & Arbogastus contra Theodosium, & multi horum similes, qui grauissimas luerunt pœnas.

Hæreses.) Hæresis non est tantùm inscitia vel error aliquis, sed est peccatum contra tertium præceptum, quo quis errorem, qui articulum fidei corrumpit, pertinaciter defendit, nec patitur se ex verbo Dei erudiri, nec cedit demonstratæ veritati.

Hæresis est quòd Georgius Maior contendit:

Bona

Bona opera esse necessaria ad salutem, nec posse quenquam sine bonis operibus saluari. Corrumpit enim hoc dogma articulum de gratuita iustificatione hominis coram Deo, absq; operibus. Ac licet Maior manifestis verbi diuini testimonijs conuictus & refutatus fuerit, non tamen agnouit errorem, nec damnauit eum publico aliquo scripto.

Lector hic rursus obseruet hæreses, quæ sunt in mente & voluntate, à Paulo vocari opera carnis. Caro igitur & concupiscentia carnis, non tantùm sensualitatem seu inferiores partes significat, vt Pontificij ab Origene seducti fingunt, sed mentis & voluntatis prauitatem simul complectitur.

Ex hoc Pauli loco sumitur probatio istius partis definitionis peccati mortalis, in qua dicitur: Peccatum mortale est in ijs, qui ad Deum conuersi fuerunt, error impingens in articulum fidei, & salutis nostræ euertens fundamentum, qui pertinaciter defenditur, etiamsi apertis scripturæ testimonijs eius falsitas demonstretur. Pelagij error, de libero hominis arbitrio, ipsa fidei fundamenta euertit, siquidem doctrinam de peccato originis, et beneficijs mediatoris obscurat. Et quanquam validissimis scripturæ testimonijs conuictus de errore fuerit Pelagius, non tamen

ceſsit diuinæ authoritati. Peccauit ergo hoc carnis opere mortaliter, quemadmodum & Samosatenus, Neſtorius, Eutyches, Photinus & multi alij.

Inuidiæ) Inuidia peccatum eſt contra quintum præceptum, quo quis dolet de alterius felicitate, donis, opibus, ſucceſſu, dignitate: malè vult ei ſine cauſa, & eum lædere ſeu impedire conatur. Inuidet virtuti & donis Dauidis Saul, & tantùm indulget ſuæ carni, vt palám fiat hoſtis eius & conetur eum è medio tollere. Hoc ergo opere carnis teſtatus eſt, ſe partē in regno Chriſti non habere. Aaron & Maria inuident eminentiæ Moyſis & labuntur in ſimultates, ſed correpti à Domino redeunt in viam, & pœnitentiam agunt; agnoſcunt ſuum lapſum, petunt veniam, & deinceps compeſcunt carnis intemperiem.

Elias inuidet diuinæ vocationi et virtuti Dauidis, ſed cùm Dei voluntatem & opera per fratrem edita videt, reprimit inuidiam & obtemperat Deo. Surgunt ergo & in ſanctis inuidiæ motus & aculei, verùm mox compeſcunt carnem, ſubijciunt ſe voluntati Dei, petunt ſe regi à ſpiritu Dei, & agnoſcunt dona Dei in alijs. Qui verò indulgent inuidiæ, adfectui, & alijs malè volunt propter dona, clám eos lædere vel obtre-

obtrectatione impedire conantur, nec carnis impuros motus comprimunt ſpiritu, in ijs regnat peccatum.

Cædes) Palàm eſt cædem eſſe opus carnis & peccatum mortale. Sunt ergo homicidæ arcendi ab vſu cœnæ domini, & omni communione Sacramentorum, donec ſeriam pœnitentiam agant.

Ebrietates & comeſſationes) Vulgus ducit leue eſſe peccatum ebrietatem, et cùm admodum frequens ſit & multis familiare, à plerisq; extenuatur. Verùm Apoſtolus non ſolùm hoc loco, ſed etiam ad Corinth. 6. inter peccata mortalia recenſet, quæ & fidem extinguunt, & hominem æternæ mortis reum faciunt. Ieſaias inquit cap. 7. Væ vobis, qui Gigantes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ſiceram. Sciat ergo lector ebrietatem in ſacra ſcriptura inter atrocia ſcelera numerari, cum quibus timor Dei, & fides in Deum ſtare non poſſit. Oritur enim ex prophana ſecuritate carnis & contemptu comminationum diuinarum: Eſt fœdus abuſus excellentium donorū Dei, quæ nobis ad conſeruationem vitæ noſtræ & aliorum diuina bonitate & liberalitate ſunt conceſſa: quod pauperes & calamitoſos capere oportebat, hoc non ſolùm

solùm intercipit, sed & dilapidat helluo. Atque ideo Deus (vt Iesaias cap. 5. ostendit) ebrietatem plerunq; paupertate, inopia rerum, fame et exilijs punire solet. Præterea lædit Ebrietas hominis valetudinem, ita vt species sit homicidij, vnde veteres dixerunt: plures crapula quàm gladio perire. Ingratitudine et abusu donorum Dei, prouocat eius iram, vt deinde totas vrbes & integra regna publicis pœnis plectat. Perturbat mentis iudicium & inflammat carnis inordinatos impetus, est incitamentum ad fœdas libidines, & præbet occasiones ad atrocia patranda scelera, vt dicta testantur: Et Venus in vinis, Ignis in igne furit. Et: Nox & amor, vinumq; nihil moderabile suadent. Cuius rei quotidie triflia & tetra exempla conspiciuntur, ita vt Hieronymus non sine causa dixerit: Ego ebrium nunquam pudicum putabo. Adhæc impedit officia vocationis, meditationem verbi diuini & assiduam inuocationem, atq; ita spoliat hominem munimento tutissimo. Tandem verò mergit hominem, nisi serio pœnitentiam agat, in æternam damnationem. Qui ergo ebrietate polluti sunt, nec agnoscunt hoc fœdum peccatum, nec pollicentur emendationem & abstinentiam, ab vsu cœnæ, vt homines impij & prophani, arcendi sunt.

Comessationes sunt nocturnæ epulæ, quæ non ad naturæ conseruationem & recreationem, sed ad explendas carnis voluptates, ad luxum & desideria impura instituuntur, in quibus certatur strenuis potationibus, tempus consumitur alea et lusibus, exquiruntur variæ delectationes carnis, lasciuiæ & petulantiæ locus præbetur, cantiones audiuntur amatoriæ, moriones & scurræ adhibentur: quando & conuiuæ poti, laruati discurrunt, bacchantur per plateas, pulsant amicarum fores, musicis instrumentis sese oblectando noctem in diem vertunt. Hæc sunt teste Paulo opera carnis, quæ à Spirituali regno Christi excluduntur, & æternam damnationem attrahunt.

Honesta conuiuia, in quibus pij conueniunt, vt aliquam habeant recreationem à laboribus, & inter se de varijs rebus colloquantur, etiam mutuam testentur et foueant inter se beneuolentiam & coniunctionem, simul autem temperanter viuunt, & donis Dei cum gratiarum actione vtuntur, musicis etiam instrumentis oblectant animum tristiorem, & cordis veram testantur lætitiam, mentem etiam paululum à grauioribus cogitationibus auocant, non damnat Paulus.

Et quæ his similia sunt.) Non recensuit apostolus Paulus omnia carnis opera, est enim eorum numerus ingens, sed tantùm insigniora quædam posuit exempla, ex quibus iudicium de si-

de similibus facere debemus, idcirco addit: & quæ his similia sunt, vt non dubitemus, & similia opera carnis, vt securitatem, magiam, incantationes, blasphemiam, periuria, maledictiones, abusum nominis diuini, epicureismum, hypocrisin, contemptum verbi Dei, persecutionem piorum ministrorum, sacrilegium, tyrannidem abutentem authoritate ministerij, perfidiam in functione Ecclesiastica, desperationem, superbiam, impatientiam, ambitionem, φιλαυτοκαλίας, proditionem, obtrectationem, auaritiam, vsuras, rapinas, furta, mendacia, falsa testimonia, artes veteratorias petulanter contorquendi verbum Dei, denegationem iusticiæ in gubernatione, φιλοφαγίας, oppressionem pauperum, expilationes subditorum, πλεονεξίαν & iniusticiam in contractibus, fraudes, dolos, occultas insidias, simulationes beneuolentiæ, proditiones, ἀστοργίαν, conuicia, maledicta, obtrectationes, crudelitatem, calumnias, ignauiam negligentem necessaria officia vocationis, πολυπραγμοσύνην, ingratitudinem, inhospitalitatem, contumaciam vel subditorum erga magistratum, vel liberorum erga parentes, vel auditorum erga pastores, arrogantiam, scurrilitatem & quæcunque his cognata sunt, æternam attrahere damnationem.

Itaq; cauenda ea sunt summa cura: aut si quis circumuentus à Satana in ea prolapsus, pœnitentiam mox agat, & quærat reconciliationem cum Deo, per Christum in fide.

De quibus prædico vobis, quemadmodum & prædixi, quòd, qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt.) Hoc spiritus sancti graue & seuerum, de operibus carnis, iudicium, seriò & diligenter est attendendum. Disertè pronunciat spiritus sanctus eos, qui eiusmodi carnis opera, qualia hactenus commemorata sunt, faciunt, non adituros hæreditatem regni Dei, hoc est, non esse eos reconciliatos Deo, non esse ablutos sanguine Christi, non habere spiritum sanctum, non esse ciues Ecclesiæ, hærere eos sub ira Dei, premi tyrannide Satanæ, & destinatos esse ad æternam damnationem.

Nemo ergo sibi imponat, nemo blandiatur sibi in suis sceleribus: sed qui vitæ æternæ consuetudinem, & hæreditatem regni Christi seriò expetit, is emendet suam vitam, agat seriam pœnitentiam, humiliter & corde sincero petat à Deo delictorum veniam, abstineat se à sceleribus, patiatur se duci spiritu, & faciat fructus dignos

dignos pœnitentia. Fides enim vera cum peccatis conscientiam vastantibus stare nequit. Opera carnis simpliciter extinguunt fidem, pellunt spiritum sanctum, & occludunt gratiæ fores. Si secundum carnem vixeritis, inquit Paulus, moriemini. Rom. 8.

Commemoratione & repetitione quòd prædixerit antea, & iam rursus prædicat, testatur & grauitatem iudicij diuini & sententiæ certitudinem. Facilè persuadent sibi homines, Deum non adeò commotum iri nostris lapsibus, vt nos propter delicta penitus abijciat: Et fraudes Satanæ, quibus extenuat peccatum, gratæ sunt nostræ carni & dulce venenum. Ratio enim non intelligit iudicium Dei. Monet ergo nos Paulus vt has præstigias Satanæ vitemus, & nullam in animis nostris dubitationem de eo admittamus, quòd Deus ardenter sceleribus irascatur, & propter ea præsentes & æternas pœnas immittat, & quòd eorum, qui in scleribus perseuerant, nemo partem habeat in regno Dei. Hinc ad Corin. 6. inquit: Ne erretis, ne fallatis vosmetipsos, neq; scortatores, neq; idolorum cultores, neq; adulteri, neq; molles, neque masculorum cubitores, neque fures, neq; auari, neque ebriosi, neq; conuitiatores, neq; raptores regnum Dei possidebunt. Atq; in omnibus Epistolis postquam exposuit doctri-

nam de gratuita iustificatione coram Deo, & locum de necessitate bonorum operum ingressus est, inculcat, vrget & repetit grauissimis verborum ponderibus hanc sententiam: Eis qui sceleribus frena laxant, non esse spem positam in cœlis, neq; eos cum regno Christi quidquam commune habere, nisi agant pœnitentiam. Rom. 8. Eph. 5. Coloss. 3. 1. Thessal. 4.

Emphasis est in voce πράττοντες, qui talia faciunt, hoc est, qui non tantùm desiderijs carnis sollicitantur, sed ea opere perficiunt. Nam in sanctis quoq;, qui fidem retinent & spiritu ducuntur, surgunt impuri motus, ira, inuidia, æmulatio, dolor repulsæ, cupiditas vindictæ, libido carnis, amor lucri, fiducia ingenij, admiratio donorum, simultates & similes adfectus, atque his non tantùm tanguntur & titillantur, sed & percelluntur, incenduntur & infestantur. Non tamen perficiunt eos opere, sed eis obluctantur spiritu, verbo, precatione, abstinentia & varijs exercitijs pœnitentiæ, itaq; non sunt opera carnis, sed adfectus & desideria veteris hominis.

Qui verò talia (faciunt) hoc est, qui laxant frena cupiditatibus, non inhibent adfectus, non petunt à Deo veniam, potius seipsos inflammant excusatione & defensione suorum peccatorum, & reipsa perficere conantur, quod cordis prauitas di-

tus dictat. Hi omnino excidunt gratia, immergunt se rursus in mortem, & in damnationem æternam seſe præcipitant.

Fructus autem spiritus est dilectio, gaudium, pax, patientia, bonitas, beneficentia, fides, mansuetudo, temperantia: his non aduersatur lex. Qui verò Christi sunt, crucifigunt carnem suam cum adfectibus & desideriis. Si viuimus spiritu, spiritu etiam ambulemus. Ne simus vanæ gloriæ cupidi, nos inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

VT conscientiæ seſe explorare possint, num spiritu ambulent, & prudenter vitent libertatis abusum, & num pugnent contra carnem, palàm recensuit opera carnis manifesta. Nunc etiam in alteram partem fructus spiritus commemorat, vt ijs studeamus, & hinc colligamus, num carnis desideria mortificemus, & spiritu viuamus. Si in homine existit spiritus sanctus, etiam fructus spiritus conspici necesse est. Spiritus sanctus enim non est ociosus hospes, sed mox illustrat mentem, et flectit cor & voluntatem ad obtemperandum Deo. Vt ignis calorem & lucem à se spargit, ita spiritus sanctus fide acceptus, flammas amoris Dei accendit in corde, & insignes virtutes efficit in homine. Christus inquit Ioh. 15. Ego sum vitis vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, fructum multum feret. Qui non fert fructum, excindetur. Necessarium est ergo studium bonorum operum. In quocunq; fructus spiritus non conspiciuntur, in eo non existit spiritus nec fides. Memoria autem hîc repetendum est, Paulum non agere hîc de iustificatione peccatoris coram Deo, de qua supra satis egit, sed versari in loco de bonis operibus. vrget ergo spiritum sanctum non esse absque fructu.

Etsi vocabulum Spiritus aliàs spiritum sanctum creatorem, aliàs nouum hominem renouatum spiritu significat, & creaturam à conditore discerni necesse sit: tamen hoc in loco de ipsa persona diuini spiritus intelligatur primùm. Nam spiritus sanctus habitans in corde sanctorum, efficit illos admirandos motus & virtutes, in corde dilectionem Dei & proximi, læticiam in Deo, robur fidei, inuocationem & alacritatem in confitendo nomen Dei. Atque ita docet Apostolus quæ sit efficiens causa bonorum operũ, non mens & ratio humana nondum renata: sed ipse

ſpiritus ſanctus, qui nouas in nobis vires efficit. Cooperantur deinde mens illuſtrata, & voluntas conuerſa ad Deum.

Quòd etiam bona opera nominat fructus ſpiritus, eo teſtatur bona opera non præcedere iuſtificandum, nec ſimul concurrere, aut oportere adeſſe in ipſa iuſtificatione; ſed ſequi iuſtificatum. Fructus enim non præcedunt arborem, ſed ſequuntur.

Prodigioſa planè oratio eſt ordinem naturæ inuertens, dicere: Bona opera neceſſaria ſunt ad ſalutem, tanquam fructus. Niſi enim præcedat ſalus, fructus ſpiritus ſequi non poſſunt. Oportet prius ponere arborem bonam, deinde fructus eius bonos. Ergo nec ſunt cauſa ſine qua non iuſtificationis, bona opera: conſiſtit enim ſalus et iuſticia abſque operibus, fructus verò ſequuntur & ſequi debent. Qui ſint fructus ſpiritus recenſet, & quæ opera Deo placeant, ne vagemur ingenio noſtro, & alia opera excogitemus. Quæ enim cum mandato ſpiritus ſancti congruunt, ea ſunt fructus ſpiritus. A verbo non patitur ſpiritus ſe diuelli. ἐθελοθρησκίους non ſunt fructus ſpiritus, ſed inuenta carnis, itaq; Deo diſplicent.

Dilectio) *Generatim hîc intelligitur de vniuerſali obedientia, de dilectione erga Deum, & dilectione erga proximum. Poſtquam enim mens videt in verbo per fidem, quàm immenſa beneficia in nos contulerit Deus, ex quantis nos eripuerit malis, quale regnum plenum omni genere bonorum nobis dederit gratis ex mera bonitate, accendit ſpiritus ſanctus cor ad diligendũ Deum: Nec poteſt ſe homo tenere, quin ardentiſſimè diligat Deum. Dauid liberatus ex magnis periculis teſtatur ſuam dilectionem: Diligam te domine fortitudo mea: Dominus rupes mea & propugnaculum meum. Pſal. 19. Proximum quoq; incipit conuerſus ad Deum diligere. Cùm enim ſpiritu admonetur, quàm multiplicia peccata Deus illi condonarit, paratus eſt & alijs condonare, qui ipſum læſerunt: cùm videt ſe innumeris beneficijs adfici à Deo, præter meritum gratis, cupit & ipſe alijs benefacere: & quia fraternam dilectionem intelligit Deo gratum eſſe ſacrificium, cupit hac in parte obſequi voluntati Dei, & æterni Dei γνήσιος eſſe filius. hanc voluntatem efficit ſpiritus ſanctus in conuerſo.*

Gaudium) *Spirituale gaudium conſcientiæ intelligit, quo homo effusè lætatur in Deo, quòd per Chriſtum ex faucibus Satanæ ſit ereptus, quòd mole peccati liberatus, quòd Deo ſit reconciliatus, & in filium Dei & hæredem vitæ ſit cooptatus. Pro his immenſis beneficijs lætiſſimo cor-*

mo corde gratias agit Deo, Spiritu accendente hoc gaudium. Tale gaudium Spiritus fuit in Dauide, cùm cecinit Psal. 103. Benedic anima mea DOMINO, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Psal. 126. Cùm liberauerit Dominus captiuos Sion, erimus sicut somniantes. Tunc replebitur risu os nostrum, & lingua nostra exultatione.

Pax) Non loquitur de ciuili vel externa pace, quæ & rara est in mundo, & rarò fidelibus conceditur: sed de pace conscientiæ erga Deum, & de pace Christi loquitur, quæ est liberatio à sensu iræ Dei, à terroribus peccati & mortis, à tyrannide Satanæ: In Christo autem reconciliatũ esse cum Deo, et tranquillam gerere conscientiam, ita vt non metuat mortem, nec æternam damnationem: sed potius lætetur in Deo. Hæc pax Dei superat omnem captum humani ingenij. Phil. 4. & est bonum planè immensum.

Patientia) Patientia est virtus primi præcepti, accensa à Spiritu sancto, qua homo in vera agnitione et fiducia mediatoris Iesu Christi, præsenti animo sustinet ærumnas & miserias à Deo ipsi impositas: subijcit se voluntati diuinæ: non irascitur Deo nos punienti & exercenti: non deserit veritatem propter ærumnas: non quærit inconcessa

concessa præsidia: non tentat consilia contra Dei mandatum, vt se euoluat ex præsenti calamitate, nec ruit in desperationem: sed promissionibus diuinis se sustentat & in fide certam expectat liberationem.

Patientia erga proximum est virtus quinti præcepti, accensa à Spiritu sancto, qua homo in vera fiducia mediatoris, contumeliam vel iniuriam à proximo illatam moderatè fert, non finit se prouocari ad iram vel vindictæ cupiditatem, etiamsi sit lacessitus, aut læsus ab alio: sed propter Deum et pacem Ecclesiæ condonat iniurias, & Deo vindictam commendat.

Vtraq; virtus summè est necessaria in Ecclesia. Sic enim visum est sapienti Deo, per ærumnas & calamitates nos transferre in regnum sui filij. Hic nisi nos patientiæ dedamus, Christi discipuli esse non possumus. Mundo prorsus ignota est hæc virtus. Quærit enim voluptates & huius vitæ commoda: abhorret à cruce, & quocunq; modo potest, extricare se conatur ex periculis, qui conatus, cùm ei non succedit, fremitad uersus Deum. Hinc tot sunt murmura impiorum ex impatientia irascentium Deo, & accusantium eum, quòd non ferat opem, vt Hecubæ, Iphigeniæ, Octauiæ, Ciceronis, Pompeij: multi quærunt

ineonceſſa præſidia, vt Saul, Aſſa, Iulianus apoſtata & magus. In Eccleſia verò lucet hæc virtus, vt in Ioſepho, Dauide, Ieremia, Moſe, Paulo. Sic & ignota eſt in mundo patientia erga proximum. De plerisq; enim nimis verè dictum eſt: At vindicta bonum vita iucundius ipſa. Pij verò in Eccleſia ductu ſpiritus ſeſe reprimunt, & condonant iniurias, vt Ioſeph, Moyſes, Dauid, Daniel.

Bonitas) Bonitas eſt virtus quinti præcepti, accenſa à ſpiritu ſancto, & nata ex fiducia in mediatorem Ieſum Chriſtum, qua homo cupit Eccleſiæ, Reipublicæ & proximo bene eſſe: dat operam vt proſit quibus & quando poteſt, & cauet ne lædat quemquam, ne laceſſitus quidem. Abſoluta bonitas, quæ omnibus creaturis immenſa liberalitate bene vult & benefacit, tantùm in Deo eſt. vnde Chriſtus inquit: Nemo bonus eſt niſi Deus, hic fons eſt & origo omnis boni in natura. Pro ea autem menſura, quam ſpiritus ſanctus diſtribuit ſuis, lucet in fidelibus bonitas, qua cupiunt alijs benefacere. Omne enim bonum eſt communicatiuum ſui ipſius. fulſit inſignis bonitas in Abrahamo, Iacobo, Moyſe, Samuele, Ioſaphat, Hiskia, Paulo, Auguſtino.

Beneficentia) Beneficentia eſt virtus quinti &

ti & ſeptimi præcepti, accenſa à ſpiritu ſancto, coniuncta cum vera in Ieſum Chriſtum fide, qua homo non tantùm bene vult alijs: ſed etiam pro modo ſuorum donorum & facultatum iuuat omnes, quos poteſt conſilio & re: non reſpicit illorum vel dignitatem vel indignitatem: non mouetur aliqua ſpe lucri: nec patitur ſe abſterreri hominum ingratitudine vel malitia: ſed acquieſcit in Dei ſancta voluntate, & rationem habet humanæ neceſſitatis. Inſignis beneficentia fuit in Pharaone pio, qui Ioſephum conſtituit gubernatorem Aegypti, & Iacobum cum familia excepit hoſpitio. Inſignis fuit beneficentia in Dauide: in Conſtantino magno: In Helena matre Conſtantini: Theodoſio magno: Martiano: in Tiberio II. Carolo magno.

Fides) Fides ſeu fidelitas eſt virtus quarti & 8. præcepti, accenſa à ſpiritu ſancto, & orta ex vera erga Deum fiducia, qua quis abſtinet ſe ab omni fraude & ſimulatione, non ſuſcipit maiora viribus cum detrimento Eccleſiæ & reipublicæ, non ſeruit oculis hominum: ſed diligenter & bona fide, tanquam in conſpectu altiſſimi Dei vocationis ſuæ officia obit, cum laborando tum conſulendo, cum monendo tum ſingula adminiſtrando. Moyſen celebrat ſacra ſcriptura, quòd fidelis extiterit in tota domo Dei.

Mansuetudo.) *Mansuetudo est virtus quinti præcepti, accensa à spiritu sancto, qua quis in fide mediatoris moderatur iracundiæ, cupiditati vindictæ, dolori repulsæ, & similibus vehementioribus adfectibus: remittit offensiones, & condonat illatas iniurias propter tranquillitatem Ecclesiæ & Reipublicæ & in omni vitæ actione placidè se gerit erga proximum. Mansuetus & mitissimus omnium fuit Moyses, teste scriptura, & tamen ex infirmitate humana aliquoties excanduit. Valde mansuetus & mitis fuit Constantinus magnus. Placidissima fuit natura in Iosepho filio Iacobi: in Martiano Imperatore.*

Temperantia.) *Temperantia est virtus sexti præcepti, accensa à spiritu sancto, quæ in fide mediatoris moderatur appetitiones, & vsum cibi & potus, ne quis plus sumat, quàm quantum nostræ conseruationi conuenit, & cauet ne repletione ventris nimia, libido carnis incendatur, necessarij labores vocationis impediantur, verbi diuini meditatio, & adsidua ad Deum precatio turbetur, & ipsa denique valetudo lædatur. Temperantes fuerunt Xenophon, Plato, Socrates, Pomponius Atticus: sed non in agnitione & fide mediatoris. Non ergo fuit fructus spiritus, sed*

sed disciplina carnis. At temperantia in Abrahamo, in Isaac, in Mose, Elia, Eliseo, Ieremia, Paulo, fuit fructus spiritus sancti.

Vt Paulus non omnia carnis opera recensuit, sed quibusdam commemoratis exemplis de similibus actionibus carnis & peccatis mortalibus nos admonuit: Ita nec omnes fructus spiritus hîc recensuit, sed exempla nobis dedit, ex quibus & de similibus iudicium facere possimus. Sunt ergo etiam fructus spiritus: sapientia, prudentia, veritas, candor, intelligentia, timor Domini, zelus, iusticia, inuocatio nominis diuini, Gratiarum actio, confessio veritatis, Pietas in Deum, pietas erga parentes, τάξις, humilitas, amor coniugis, amor liberorum, amor subditorum, reuerentia erga Magistratum, fortitudo, hospitalitas, liberalitas erga ministros Ecclesiæ, cura Scholarum, visitatio ægrotorum, verecundia, sedulitas, & quicunq; adfectus & actiones congruunt cum Dei mandato, & fiunt prælucente fide in mediatorem.

His non aduersatur lex.) *Pseudoapostoli videri volebant strenui præcones & adsertores legis diuinæ: sed quia præposterè eam vrgebant, et ex ea iusticiam coram Deo docere conabantur, reuera legem euertebant. Cùm enim non ostenderent quomodo homo iusticiam adipisceretur per*

per Christum, & donaretur spiritu sancto per fidem, auditores suos ad spiritualem legis obedientiam non perducebant, sed meros hypocritas educebant. Paulum verò insimulabant Pseudoapostoli, quasi hostis esset legis diuinæ, eò quòd contenderet ex lege non esse iusticiam. Hic ergo demonstrat, tantum abesse vt ipsa sua doctrina aduersetur legi, vt eam maximè stabiliat.

Vbi enim veram docuit rationem impetrandi iusticiam & spiritum sanctum, tum etiam vera opera legis, & veros spiritus fructus postulat, quibus lex nequaquam aduersatur, Imò lex eiusmodi spiritualia opera in primis flagitat.

Operarij & Iusticiarij semper videri volunt legis admiratores & diligentissimi præcones: sed reuera eneruant & euertunt legem. Tantùm enim ceremonias & externa quædam opera vrgent: præcipua opera primæ tabulæ, & fructus spiritus, vt fidem, Dei timorem, inuocationem, confessionem negligunt, & quia ordine præposteró flagitant opera ante iustificationem, et per opera iustificari conantur, meram docent hypocrisin, destituuntur spiritu, & nullam prorsus præstant legi obedientiam.

Sic Pontificij videri volunt magni præcones bonorum operum & acres legis adsertores: sed reuera aduersantur legi, & euertunt eam multis mo-

tis modis. tantùm vrgent inanes cærimoniarum pompas, docent falsa opera. præcipua legis opera, vt timorem Dei, fidem, inuocationem, & dilectionem Dei & proximi prorsus negligunt: & quia non ostendunt quomodo reconcilietur homo cum Deo, & spiritum sanctum accipiat per fidem, ad spiritualem obedientiam nunquam perueniunt: Contendunt internos adfectus impuros non esse peccata contra legem. Ita legem intempestiuè vrgendo, vniuersam legem delent, & in philosophiam transformant. Nos verò per fidem legem stabilimus. Nam fructus spiritus, quos vrgemus, non aduersantur legi, neque lex aduersatur ijs operibus, quæ ex fide manant, & à iustificatis per fidem in spiritu præstantur: neq; doctrina Euangelij de gratuita remissione peccatorum contraria est doctrinæ legis, sed eam potius stabilit.

Qui verò Christi sunt, carnem suam crucifigunt cum adfectibus & desideriis.) Generale dat præceptum de reprimendis carnis adfectibus & cupiditatibus, ne in peccata contra conscientiam abripiamur. Christi sunt, qui per fidem in Christum sunt iustificati coram Deo. Hi enim Christum induerunt: sunt membra corporis eius; ducuntur spiritu Christi, &

pertinent ad regnum Dei. Hi sunt hæredes & peculium Christi.

Carnem crucifigere, est spiritu luctari aduersus carnem: ea, quæ carni corruptæ & veteri homini grata sunt, amputare, excindere, comprimere, extinguere, compescere, vt frenare iram, cohibere iracundiam, pellere ex animo liuorem, euellere æmulationem, sedare dolorem repulsæ, cupiditatem vindictæ submergere patientia, frangere confidentiam ingenij, libidinum incitamenta emacerare ieiunijs, impatientiæ motus obruere, dubitationum fluctus sustinere, & quidquid corrupta & peccato infecta caro suggerit repudiare, conficere, superare, extinguere: ac cor auxilio spiritus sancti ad obedientiam flectere, iuxta Dei verbum.

Non iubemur ab Apostolo carnem interficere, neq; adfligere, neque mutilare. Non occides inquit Deus in Decalogo. Potius ergo honor exhibendus est corpori, vt ad labores sustinendos idoneum sit. Cupiditates verò & adfectus impuros cohibere, frenare & extinguere debemus. Hoc fit, cùm in vero Dei timore & fide, adiuti à spiritu Dei, seriò & toto pectore studemus obedire spirituali legi Dei.

Theodosius magnus, laudabilis & sanctus princeps, natura est iracundior, nec potest exuere vel

re vel mutare naturam: admonitus tamen ab Ambrosio & castigatus, dat operam in timore Domini, ne rursus iracundia peccet.

Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus:) hoc est, si verè iustificati per fidem spiritum sanctum accepimus, & per eum viuificati sumus, & gloriamur nos esse templa Dei per spiritum sanctum, ipsa etiam vita & moribus demonstremus nos à spiritu Dei duci.

Spiritu viuere, est per fidem cum Deo reconciliatum, ex morte & peccato retractum, & spiritu sancto viuificatum, & in Dei filium adoptatum esse. Summa felicitas & gloria est viuere spiritu, nimirum esse sanctum Dei templum & viuum corporis Iesu Christi membrum.

Spiritu ambulare, est moribus & vita demonstrare, quòd à spiritu sancto regamur: adfectus carnis extinguere atq; comprimere: & in spiritu ea præstare opera, quæ Deo grata sunt & cum ipsius verbo congruunt. Causam impulsiuam ostendit, quæ nos mouere debet, vt sanctè viuamus. Cùm per fidem Deo reconciliati simus, & per spiritum sanctum ex seruitute peccati, mortis & Satanæ retracti, & cæle-

cæleſti vita donati: cùm gloriemur nos templa eſſe ſpiritus ſancti, & ipſe Deus in nobis habitare velit, omnino decet nos ſpiritu ambulare, & ſanctam ducere vitam, iuxta Dei voluntatem. Monet etiam vnde coniecturam facere poſſimus, num verè ſpiritu viuamus, nimirum ſi ſpiritu ambulauerimus. Hæc generalia ſunt præcepta: ſubiungit nunc quædam ſpecialia.

Ne efficiamur inanis gloriæ cupidi:) Prohibet hîc arrogantiam & inanis gloriæ cupiditatem. Venenum hoc ſuffudit carni Satan ſuperbus ſpiritus. Eua voluit eſſe par Deo, ſcire bonum & malum, & ſubinde inſtigat Satan, ad cupiditatem inanis gloriæ, præſertim heroicos animos. Lædit autem ambitio gloriam Dei, ſibi enim tribuit homo, quod Deo debetur. Deinde ingentes motus & tumultus oriuntur ex ambitione & arrogantia, cum in Repub. tum in Eccleſia. Patriam tamen obruit olim,

Gloria paucorum laudis titulique cupido.

Bellum ciuile inter Syllam & Marium, ex ambitione Marij ortum fuit. Ciuile bellum inter Cæſarem & Pompeium ex ambitione huius natum fuit. In Eccleſia quoq; peſtis eſt ambitio deteſtabilis, gignit plerunq; noua dogmata, vaſtat nobiliſſimas Eccleſias, excitat ſchiſmata & diſſidia, & horrendas parit ſeditiones. Samoſatenus, Arrius,

rius, Macedonius, Neſtorius, Eutyches, & pernitioſa dogmata ex ambitione ſparſerunt, & ingentes motus in Eccleſia concitarunt, & nobiles Eccleſias in Oriente vaſtarunt. Omni ergo ſtudio cauere debent pij ne ſe ambitionis ſtimulis incitari permittant.

Magna ſanè ſtultitia eſt, inanem gloriam & vulgi applauſum aucupari in mundo. Mundana enim gloria res eſt vaniſſima & futiliſſima. Ingens eſt noſtra infirmitas, quæ ſanè laudem non meretur. ſi quid in homine eſt, vel ſapientiæ vel virtutis, id ad Dei laudem referri oportuit. Vulgi verò iudicium plerunque eſt falſum & ſtultum, neq; quidquam eſt incertius, fallibilius, mutabilius. Leuiſſimo momento & caſu mutat vulgus iudicium, amorem & beneuolentiam, λαῷ μὴ πίϛευε, πολύτροπος ἐϛὶ ὅμιλος, inquit Phocylides. Quem heri extulit in cælum, hodie conculcat pedibus, & benè conſpurcatum ad tartara deprimere conatur.

In admiratione aliquandiu fuerunt Abſalon, Eugenius tyrannus, Creſcentius Romanus, & alij, ſed paulò pòſt vel deſerti, vel comprehenſi à ſuis miſerè perierunt.

Quomodo fera illa beſtia AMBITIO domari & comprimi poſſit, docet nos ſacra ſcriptura. Etiamſi abdas te in latebras Monaſte-

riorum, & cilicium induas, non tamen domabis adfectum. Agnoscenda & adsidue in vero timore domini expendenda tibi est ingens infirmitas humana, quæ non est idonea ex sese, vt tenuem concipiat cogitationem: subinde seria agenda est pœnitentia, & deplorandum nostrum peccatum: meditandum est Dei verbum, quod nobis monstrat nostram immundiciem, & subinde insistendum est ardenti precationi, vt æternus pater suo sancto spiritu, flectat nostra corda ad modestiam & veram humilitatem. At sanè clementer consulit Deus pijs Doctoribus, eò quòd onerat eos contemtu, ærumnis, exilijs, conuitijs, calumnijs, periculis, persecutionibus. In tali enim cribratione omnino obliuiscimur ambitionis & similium cupiditatum, & si quid eiusmodi surgit, mox, mox igne tribulationum consumitur.

Veræ autem gloriæ appetitionem non prohibet Paulus. Hæc verò est, Christo & Ecclesiæ suam probare fidem, & lætari conscientia rectæ voluntatis, & expectare in fide futuræ vitæ veram gloriam. Quòd mundus pios & constantes doctores, vt Athanasium, Lutherum, Augustinum, insimulat de ambitione, eò quòd abijcere nolunt veritatis confessionẽ, id fit per calumniam. Modestia est non ambitio, constanter adserere veritatẽ.

Inui-

Inuicem prouocantes,) Superbi & κενόδοξοι subinde prouocant alios scommatibus, petulanti vexatione, irrisionibus, cauillationibus, conuitijs, iniurijs, contemptu, concertationibus, deformationibus, detractionibus, obtrectationibus, subinde calumniantur piorum hominum dicta & facta; subinde mouent rixas & certamina; falsis interpretationibus ostentant suum acumen, nihil rectum ipsis est, nisi quod ab ipsis profectum est; exagitant eos vt vocem aliquam eliciant, quam calumniari possint, intenti sunt in omnes occasiones serendi certamina, tentant varia, vt ansam inueniant, alios premendi vel excutiendi. A tali prouocatione pij abstinere debent, & potius concordiæ & coniunctioni studere, ac cauere omnia, quæ occasionem exacerbationum præbere, & suspiciones mouere possunt.

Inuicem inuidentes.) Superbus et ambitiosus animus semper inuidet aliorum, non solùm fortunis & gloriæ, sed & virtuti & pietati, quod scelus in totam Ecclesiam & Rempub. peccat, imò in ipsum Deum. Inuidet enim Deo, quòd is filios habet obsequentes, qui spiritu Dei ducantur: & cuperet Ecclesiam orbatam esse præstantibus & fidelibus ministris, tantùm vt ipse

eminaret & in admiratione esset. Satanicus planè adfectus est inuidia, siquidem non solùm homini irascitur propter virtutem, sed & Deo succenset, quòd dona sua confert in homines. Comprimendus, euellendus, extirpandus ergo est ille adfectus, ac potius Deo gratiæ sunt agendæ, pro aliorum virtute, laboribus, gloria, felici statu, atq; etiam precandum pro ipsis, vt Deus in eis dona sua, quæ contulit ad Ecclesiæ vtilitatem, conseruare & augere velit. Nostram quoq; infirmitatem agnoscere debemus, & Deum celebrare, quòd aliorum insignia dona nobis quoq; seruiant, ac submissè petere, vt Deus pro sua misericordia & nostra mensura, & nos donis suis ornare velit. Hæc modestia & pietas plurimùm valet ad fouendam & confirmandam in Ecclesia concordiam.

LOCI DOCTRINAE.

1. De libertate per Christum nobis parta, quæ omni studio adseruanda est.
2. Quòd circumcisio cum opinione necessitatis euertat gratiam, & beneficia Christi sepeliat.
3. Quòd legi non satisfiat vno aliquo opere sed integra & perfecta impletione omnium mandatorum.
4. Quòd excidant gratia Dei, quicunq; in lege Dei iustificari cupiunt.
5. Quòd

5. Quòd ex gratia iusticiam coram Deo impetremus.
6. Quòd in Christo Iesu neq; circumcisio, neq; præputium valeat, sed fides per dilectionem efficax.
7. Quòd fides vera in iustificatis per dilectionem efficax esse debeat.
8. Quòd fideles bene instituti sæpe per falsos doctores à veritatis via abducantur.
9. Quòd parum fermenti totam massam fermentet, hoc est, quòd vnus error totam corrumpat doctrinam.
10. Quòd turbatores Ecclesiæ graue Dei iudicium subituri sint.
11. Cauendum esse ne libertate ad perficiendas carnis cupiditates abutamur.
12. Vera dilectione seruiendum esse proximo.
13. Quòd vera dilectio proximi, nimirum omnibus numeris absoluta, impleat totam legem.
14. Magno studio contentiones, dissidia & certamina in Ecclesia cauenda esse, ne nos inuicem absumamus.
15. De lucta inter spiritum & carnem: & spiritu carnis desideria extinguenda esse.
16. De discrimine inter desideria carnis, quæ in sanctis sunt peccata venialia: & opera carnis, quæ in omnibus sunt peccata mortalia.

17. Quænam sint carnis opera, quæ fidem extinguunt, & spiritum sanctum pellunt. Ideoq; hæreditatem vitæ æternæ impediunt.

18. Quòd contentiones, æmulationes, ebrietates, comessationes, hæreses, sint peccata mortalia, quæ cum fide stare non possunt.

19. Quòd vera dilectio, gaudium, pax, patientia, bonitas, beneficentia, fides seu fidelitas, mansuetudo & temperantia, sit fructus spiritus, non rationis humanæ seu philosophiæ.

20. Quòd legis & Euangelij doctrina, non pugnent inter sesè.

21. Totam doctrinam de bonis operibus complectitur Paulus, cùm iubet nos spiritu ambulare.

VI. CAPVT.

IN sexto capite pertexit Apostolus doctrinam de bonis operibus. Nunc generalia nunc specialia dat præcepta, de vera erga Deum obedientia, de sincera dilectione proximi, de moderatione adhibenda in corrigendis aliorum erratis, de liberalitate erga ministros Ecclesiæ, de patientia in ferenda mundi ingratitudine et de præstanda vitæ sanctimonia. In fine rursus perstringit Pseudoapostolos, qui vrgebant circumcisionem, detegit illorum impostura & fraudes: quo consilio circumcisionem vrgeant, nimirum vt pericula et afflictiones declinent & suo consulant ventri.

FRatres, si quis hominum præoccupatus fuerit aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instaurate talem, spiritu mansuetudinis, considerans temetipsum, ne fortè & tu tenteris.

PRæceptum est de lenitate & mansuetudine in corripiendis fratribus, quum proximum errare vel labi videmus, ne eum mox abijciamus nimia seueritate, vel asperitate verborum à nobis & Ecclesia abalienemus: sed potius mansuetudinis spiritu in viam eum reducere, Ecclesiæ reconciliare, blando & placido sermone eum ad pœnitentiam inuitare, tanquam luxatum membrum loco suo restituere, & ita peccatorem Christo lucrari studeamus. Non tantùm pastoribus, sed et parentibus et omnibus Christianis hæc præscribit Apostolus. Vult omnino Apostolus, vt alius alium admoneat lapsus vel erroris, et in viam reuocet. Vbi enim quis cœpit labi vel errare, nisi reducatur in viam, subinde longiùs progreditur & maioribus inuoluitur peccatis. At simul nimium rigorem & asperitatem in castigandis alijs vetat.

Sunt qui nimis faciles se præbent, & ipsa lenitate peccant, dum ad grauia suorum vitia conniuent, & eos, quos sciunt in peccatis contra conscientiam viuere, nulla præmissa castigatione absoluunt, & ad communionem Sacramentorum admittunt, quod certè improbat Apostolus. Alij verò adeò excedunt modum in taxandis vitijs, vt magis insultent lapsis exprobratione, quàm instaurent eos adhortatione ad pœnitentiam. Hanc intemperiem reprehendit hîc Paulus, & vult nos moderatè et mansuetè agere. Vtitur autem Apostolus insignibus argumentis.

Præoccupatus est) *Quasi dicat, lubrica est hominum vita, sæpe labitur homo priusquam cogitet vel metuat lapsum. non omnes deliberato animo peccant, sed multi vel imprudentia cadunt, vel insidijs Satanæ prosternuntur, cum huiusmodi placidè & humaniter est agendum.*

Vos qui estis spirituales:) *Secunda hæc est ratio: Spiritus non indulget iræ, non insultat lapso, non delectatur asperitate, non cupit interficere: sed moderatè & placidè agit, & vulneratum sanare cupit.*

Instaurate) *Hic finis est correptionis vt lapsus restituatur in integrum. Non ergo exacerbandus est verborum asperitate, sed moderatè com-*

commonefaciendus, vt intelligat, nos ipsius salutem potius quærere quàm ignominiam.

Considerans ne & tu tenteris) *Quarta ratio. Propria infirmitas, quòd & ipsi sæpe impingimus, & facili momento grauiter labi possimus, admonere nos debet, ne in corripiendo modum excedamus: sed humanæ fragilitatis memores, lenitatis & mansuetudinis affectum lapsis impertiamus. Humanissimè dictum est:*

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscat verrucis illius: æquum est,
Peccatis veniam poscentem, reddere rursus.

Et eleganter ac piè Nazianzenus inquit:

εἰ μηδὲν ὄφλεις τῷ θεῷ πικρείας
μηδ' αὐτὸς ἴσθι τοῖς ὄφλουσι συμπαθής:
εἰδὴ σίδας ὄφλων: καὶ πρόσχησον τὸ πρᾶον.
οἰκτῶ γὰρ οἰκτῷ τῷ θεῷ καθαιζεται.

Si pœnarum nihil existimas te debere Deo, non est quòd alijs debentibus condoleas: Quòd si tibi sis conscius debiti, mansuetudine erga alios vteris. Nam Deus misericordiam ponderat misericordia. Et Iacobus inquit: iudicium sine misericordia erit ei, qui non præstat misericordiam. cap. 2. Omnino fateri nos oportet, nos singulos sæpe errare & labi, & neminem esse sine mul-

tis & magnis vitijs. Verissimæ sunt confessiones:

ὀδὲις ἀνθρώπων ἐστὶν ἄπαυστα σόφος.
ἁμαρτάνει δ' οὐ σόφου ἅπας.

Qui ergo moderatè & clementer nobiscum agi volumus: vtamur & nos erga alios mansuetudine.

Hîc verò attendendum est nobis, vt Pauli mentem rectè intelligamus, ne quis hoc dicto ad velandam impietatem, & in fraudem Ecclesiæ abutatur. Suprà Paulus anathema dixit aliud Euangelion docentibus. Et ad Titum 1. inquit: δεῖ φρενατπάτας ἐπιστομίζειν, καὶ ἀποτόμως ἐλέγχειν. Oportet vt præstigiatoribus ora obturetis, & eos acriter refutetis. Et ad Timotheum inquit: peccantes coram omnibus argue. Num verò in hisce præceptis, mansuetudinis oblitus est Paulus? Nihil minus. Nam casus omnino distinguendi sunt: Alius lapsus est in doctrina, alius in moribus, & errata in doctrina non sunt vnius generis. Aliàs disceditur ab articulis fidei, & salutis nostræ fundamenta conuelluntur: aliàs erratur quidem à vera scripturæ sententia, sed citra fidei iacturam. Et errantium in doctrina, alij sunt duces, alij decepti: alij sanabiles, alij insanabiles.

Cùm

Cùm in doctrina sic peccatur, vt ipsi articuli fidei impugnentur, nec lenitas nec mansuetudo locum habet, quia hîc certamen nobis est cum ipso Diabolo, qui toti insidiatur Ecclesiæ. Hic gloria Dei & Euangelij veritas, & hominum salus inprimis respicienda est. Hic nulla seueritas, nulla vehementia, nullus zelus secundum scientiam satis magnus esse potest, vt videmus, prophetas, Christum & Apostolos totos arsisse, quando illis negocium fuit cum falsis doctoribus. Cum seductis quidem, & qui institutionem admittunt, moderatiùs agendum est initiò. At cum seductoribus & pertinacibus seuerè & constanter agendum. hi enim semper nostra abutuntur moderatione, interpretantur eam quasi cum ipsis faciamus, quasi nostram retractauerimus sententiam. Sic accidit Luthero, cùm Amsdorfius & alij eum hortarentur, vt mitius tractaret Erasmum, & dicerent: mi pater, Erasmus est venerabilis senex, bene meritus de literis, accedet tuæ sententiæ, si moderatiùs cum eo egeris. Petitioni fratrum locum dedit Lutherus. Id verò Erasmus sic accepit, ac si Lutherus sententiam suam retractasset. Sic impingit humana sapientia. Nostri aduersarij Caluiniani subinde postulant, vt spiritu lenitatis humaniter & molliter illos tractemus, nec pro hostibus habeamus. Interea illi in

nos

nos insurgunt magnis furoribus, & quiduis sibi permittunt. Vt videre est in Caluini admonitionibus & Bezæ κρεωφαγίᾳ. Ac sanè qua fraude omnes hæretici insidientur Ecclesiæ manifestum est ex historia. Non igitur intempestiuis humanæ sapientiæ consilijs, salus Ecclesiæ, in periculum adducenda est: sed potius zelo pio, insidiæ Satanæ ab Ecclesia repellendæ sunt, & laude dignæ sunt voces Hieronymi: fides moram non patitur, ilicò vt Scorpius apparuerit conterendus est. Et Cyrilli ad Nestorium: Siquidem vbi fides læditur, valeat tanquam inanis & periculosa, quæ erga parentes est, reuerentia: quiescat lex illa amoris erga liberos & fratres, & iam pijs melius sit mori quàm viuere. Et Lutheri: Vnus Christus maior mihi est quàm infinitæ concordiæ. &c. Et rectè in versibus dicitur:

Sit maledictus amor, pax & concordia sacra,
Quæ Christi violat dogmata pura Dei.

Dictum ergo Pauli de spiritu lenitatis adhibendo in corripiendis alijs, ad certamina Ecclesiæ, vbi cum hostibus veritatis acriter præliandum est, non torqueatur.

Etiam lapsus in moribus sunt dissimiles. Quidam adeò sunt obstinati, præfracti, indomiti, vt nullas curent nec admittant admonitiones: & licet manifestis sese polluant sceleribus, de quibus conuinci possunt, nolunt tamen à quoquam corripi, nec emendant sponte vitam, vt iam non dicam de alijs. Nam in omni hominum ordine, inter potentes & in vulgo, licet inuenire obstinatissimos in sceleribus, & omnis correctionis impatientes. de nostro dicam ordine.

Noui ego pastores quosdam, qui ingurgitant sese singulis ferè septimanis, & sæpe totas potant septimanas, cædunt & verberant præfectos Ecclesiarum, quos veteres vocarunt Diaconos, inuadunt suos auditores, scortantur, tentant aliorum coniuges, committunt adulteria, magis obscœni sunt quàm Lenones in lupanari, horrendam exercent tyrannidem, præsertim in miseros Lituanos, auditores suos, conijciunt eos in vincula & lictorum officio funguntur, in vinculis cædunt miseros homines fustibus, ipsis carnificibus crudeliores, violenter rapiunt ad se bona Ecclesiæ, furantur, vsuras palám exercent, & nihil non permittunt sibi, Num tales tractandi essent spiritu lenitatis? Non existimo. Imò non solùm grauissimè sunt corripiendi, verùm etiam mox remouendi ab officio, & politico Magistratui committendi, vt in tales & tam immanes tyrannos exemplum seueritatis statuatur, et eiusmodi portenta & pestes generis humani tollantur ex Ecclesia.

Multi

Multi etiam publicè peccant grauiter & totam offendunt Ecclesiam. hi, vt Paulus docet, coram omnibus arguendi sunt, vt reliqui timorem habeant. Alij verò peccant ex infirmitate, vt iracundia quis motus, conuitiatus est alteri: ab amico inuitatus, adbibit largius & offendit pias & sobrias mentes: per imprudentiam omisit quis officia vocationis: lacessitus ab alio læsit proximum: feruore contentionis defendit iniustam causam: inuidiæ stimulis exagitatus obtrectauit proximo.

De his & similibus erratis hîc loquitur Paulus, & quidem sanabiles à præfractis & peruicacibus discernit. sanabiles spiritu lenitatis & mansuetudinis tractandi & instaurandi sunt. Qui verò deliberato & peruicaci animo pergunt in manifestis peccatis, nec locum dant pijs admonitionibus & seueris comminationibus, ἀφορίσμῳ, id est, separatione à communione sacramentorum, & excommunicationis fulmine feriendi sunt, vt disciplinæ Ecclesiasticæ seueritatem sentiant. Ita Gubernatori Ecclesiæ, pastori, imò singulis pijs videndum est, quando, & in quo loco & casu, iusta disciplinæ seueritate, quando verò prudenti spiritus lenitate, sit vtendum. Cùm dicit: Ne et tu tenteris.) numerũ mutauit, vt quasi singulos compellando, fortius feriret singulorum animos. Inui-

Inuicem (alij aliorum) onera portate, & sic implebitis legem Christi. Si enim quis videtur sibi esse aliquid, cùm nihil sit, seipsum decipit. Probet autem unusquisq; opus suum, & tunc gloriam habebit apud se solum, & non in alio. Vnusquisq; enim suum onus portabit.

Præcepta nobis dat Apostolus de mansuetudine, ἐπιεικείᾳ & patientia erga proximum, vt aliorum infirmitates & næuos, aut sapienter corrigamus, aut patienter & æquo animo feramus. Ne statim despiciamus alios, si quid in ipsis nobis displicet: non eis insultemus, si alicubi minus prudenter egerunt: non morosè exagitemus, si non ita fecerunt officium vt oportuit: non concipiamus contemptum vel odium aduersus proximum, si non respondet, vel nostro voto vel expectationi: Sed modò fidem & diligentiam & mediocre studium faciendi officium deprehendamus, multa condonemus, multa feramus, multa dissimulemus. Nam vitijs nemo sine nascitur, optimus ille, qui minimis vrgetur. Nemo omnibus horis sapit: in multis impingimus, omnes,

omnes, inquit Iacobus. ὁ πολλὰ πταίομεν πάντες καὶ ἁμαρτάνομεν: Qui multa præclarè agit, in multis etiam peccat, ac alij alijs laborant vitijs. Alius natura est iracundior: alius ad rem magis quàm par est attentior: alius in conuersatione morosior: alius in administranda œconomia negligentior: alius in vocationis laboribus oscitantior: alius in confessione timidior: alius natura inquietior & curiosior: alius largiùs bibit in conuiuijs: alius est dicacior & sæpe pungit scommatis: alius imprudentius effudit omnia quæ audit: alius plus indulget suspicionibus quàm decet: alius admonitionum est impatientior: alius paulò arrogantius de se & sentit & loquitur, sua admiratur & prædicat. Quid ergo? num statim omnes tales auersabimur? & odia aduersus eiusmodi nœuis laborantes concipiemus? Nequaquam. Cum quibus enim viueremus, cùm nemo sit ex omni parte beatus? aut quis nobiscum viueret aut nos ferret, cùm nec nos omni vitio careamus? Ergo optandum quidem esset in singulis perfectam esse virtutem. Verùm ad istam felicitatem natura hominum in hac vita ascendere non potest. Nisi ergo alij aliorum tolerent infirmitates, nulla societas, nulla coniunctio inter homines esse poterit: sed perpetuò erunt inter eos contentiones & simultates, & quisq; fugiet proximum. Aut

Aut ergo sapienter corrigamus aliorum infirmitates, aut prudenter feramus.

Episcopus pius & fidelis magna patientia ferre cogitur multorum pastorum & Diaconorum magnas infirmitates. Si ob quoduis delictum remouere eos velit ab officio, neminem in ministerio retinebit. Cr llega collegæ sui infirmitates ferre, dissimulare & condonare cogitur, nisi velit perpetuis contentionibus & simultatibus excruciari. Quòd si quis resignat officium propter collegæ nœuos, & aliò se confert, quocunq; venit, homines inuenit non Angelos, & citius peiores quàm meliores inueniet, respectu priorum collegarum, & experientia discet tandem, nota mala optima esse. E mundo prorsus migrandum ei est, qui hominum infirmitates ferre recusat.

Princeps aliquis seu politicus magistratus, multa errata, multas infirmitates suorum consiliariorum, ministrorum, subditorum ferre & dissimulare cogitur. Si omnes delinquentes mox à se pellere, vel exilio mulctare, vel gladio ferire velit, breui vastitatem inducet & vacua regnabit in aula. Ex ipsa experientia natum est dictũ: Nescit imperare, qui nescit dissimulare. Subditi quoq; coguntur multa Gubernatorum errata et infirmitates patienter ferre et cõdonare, alioquin perpetuò excitabunt seditiones & tumultus.

Sapiens etiam & pius paterfamilias, multa suorum errata, multas infirmitates fert prudenter: non ad singula incommodè dicta, vel imprudenter facta, vel negligenter omissa, ingentes irarum motus concipit, nec mox domo pellit ministros, qui aliquid deliquerunt: sed potius prudenter consilium init, quomodo deinceps errare cauere, & suorum diligentiam acuere possit. hinc Salomon præcipit: Ne sis Leo in domo tua. Et in Ecclesiaste: Ne sis nimium iustus, hoc est, ne nimium sis rigidus vel austerus in puniendis singulis delictis. Sæpe enim summum ius, summa est iniustitia. & nimium emungendo sanguis exprimitur, inquit Salomo.

Eleganter Paulus infirmitates nostras appellauit. Incumbunt enim conscientijs nostris quasi grauis sarcina, quæ non sinit nos surgere & progredi ad perfectam erga Deum obedientiam: premunt etiam piorum conscientias, vt grauia onera, quia peccata sunt, & merentur iram Dei, nisi vmbraculo mediatore tegerentur. Ac pij subinde cum gemitu optant, ab hac graui sarcina peccatorum liberari. Vt ergo solemus eos, qui videntur succumbere oneri, leuare: Ita decet nos patientia, moderatione, clementia & mansuetudine succurrere eis, qui onere infirmitatum grauiter premuntur.

Discer-

Discernendæ autem sunt infirmitates à manifestis sceleribus & notorijs peccatis. Episcopus, Collega, Magistratus, Paterfamilias, non debet ferre manifestam turpitudinem vel scelera & fraudes, quæ dicuntur notoria peccata. Qui enim conniuet ad ea, peccat in totam Ecclesiam, Rempub. & familiam. Ideo Paulus inquit: Auferte malum quod in vobis est. 1. Cor. 5. Nec verò infirmitatum onera ita sunt portanda, vt peccata excusemus, ea dissimulemus, ad ea conniueamus, alios in peccatis confirmemus, aliorum adfectus adblandiamus, vel alijs colludamus in peccatis, hoc enim non esset leuare, sed potius aggrauare: sed prudenter attendendum est, vbi dissimulatione opus sit: vbi dubia in meliorem partem sint interpretanda: vbi frater aut collega acri castigatione de accuratiore vita instituenda admonendus sit. In summa, sic portanda sunt aliorũ onera, vt et Ecclesiæ tranquillitati, et lapsorũ saluti consulamus: officiũ in spiritu & vero timore Dei præstemus: nullos misceamus carnis adfectus, quin potius de nostro iure, cũ postulat necessitas, cedamus.

Sic legem Christi implebitis) Lex Christi est præceptum de mutua dilectione. Ioh. 13. Nouum mandatum do vobis, vt diligatis vos inuicem. Nouum dicit hoc mandatum suum, quia in mundo ignotum & dudum obliteratum est. Nulla

est sincera dilectio in mundo. Filius autem Dei hoc renouauit, non solùm augustissimum dilectionis exemplum exhibendo, sed & spirituale legis iudicium manifestando, & spiritum suum sanctum largiendo, qui hominum animos flectit ad veram animorum coniunctionem. Lex Christi à lege Moysis, quòd ad præcepti sententiam attinet, nihil differt. Idem enim dicit Moyses: Diliges proximum tuum sicuti teipsum, in quo præcepto tota lex consistit. Neq; attulit Christus nouas leges generi humano: non est legislator, nec minister peccati & mortis, qui plura à nobis flagitet opera quàm Moyses. Sed hoc fine venit in mundum, vt nostro loco legem impleret, & nos à legis maledictione redimeret. Deus non misit filium vt iudicet mundum (scilicet leges condendo) sed vt mundus per eum saluus fieret. Iohan. 3. In hoc verò dicitur lex Christi non Moysis, quòd Moyses dilectionem quidem flagitet, sed non largitur spiritum quo dilectionem præstare possimus. Præterea Moyses absolutissimam dilectionem flagitat, qualem nemo præstare potest, cum tristi appendice, de maledictione, cui obnoxij sunt non præstantes integram dilectionem. At Christi lex non solùm præcipit dilectionem proximi, sed & spiritum largitur, qui eam in nobis inchoat. Præterea lex Christi docet, non maledici nos

nos à Moyse, etiamsi omnibus numeris absolutissimam dilectionem non præstemus, nec præstare possimus. Quia Christi mediatoris absolutissima iusticia et dilectio nobis imputatur, et quod nostræ deest dilectioni ipse supplet. Impletio igitur legis Christi non Mosaicè vel νομικῶς est intelligenda, sed iuxta Εὐαγελείαν Euangelij. Lex enim Christi significat totam filij Dei doctrinam, legem & Euangelion.

Si quis videtur sibi esse aliquid, cùm nihil sit, seipsum decipit.) Mansuetudini & patientiæ nihil magis aduersatur quàm superbia & arrogantia, quando scilicet homines tument admiratione propriæ sapientiæ, ingenij, virtutis, laborum, eruditionis & similium donorum. Dum enim alios existimant sibi longè impares esse, fastidiunt & auersantur eos, vtq; ex aliorum aspera reprehensione laudem sibi parent, efferunt sese & tractant eos inhumaniùs.

Reuocat ergo nos Paulus ab omni confidentia & arrogantia, & iubet nos agnoscere nostram tenuitatem & quòd reuera nihil sumus. Reuera fatuus est & seipsum seducit, qui sibi multum placet, & magna sibi tribuit. Tenebræ enim sumus, vmbra & reuera nihil. σκίας ἐναρ ἄνθρωποι inquit ille, vmbræ somnium sunt homines.

mines. Quid ergo effert se cinis? Si quid est in homine vel prudentiæ, vel virtutis, vel doctrinæ, vel eloquentiæ, vel talium donorum, non ipsius, sed Dei est, qui per spiritum sanctum hominem huiusce modi donis ornauit. Quid habes, inquit Paulus, quod non accepisti? 1. Cor. 4. Ac Deus leuissimo momento nos ijs donis rursus exuere potest, vt exuit Nebucadnezarum, Salomonem, Themistoclem, Saulem, Alexandrum magnum, Crœsum, Ioab, Bellisarium, Pompeium & infinitos alios. Modesti ergo simus, & semper in timore domini agnoscamus, quòd nihil simus, ex nobis in conspectu Dei. Deus autem ex eo quod nihil est, multa & magna facere potest. Ille enim vocat, quod non est, vt sit. Rom. 4. Acriter perstringit hîc Pseudoapostolos, quòd magna laborent stulticia, & plus sibi arrogent quàm par sit: siquidem subinde suas prædicent virtutes, quæ tamen nullæ sunt, & omnes alios præ se contemnant & deforment. Indicat etiam meras esse præstigias Satanæ, cùm quis multum sibi placet. Satan enim inflat homines superbia, vt tantò maiore securitate pœnitentiæ et precationis exercitia negligant.

Vnusquisq; verò probet opus suum, et sic gloriationem habebit in semetipso & non

& non in alio.) Reuocat nos Paulus à populari aura & cupiditate inanis gloriæ. Deducit autem nos ad examen conscientiæ nostræ, et iubet nos in laboribus vocationis nostræ potius acquiescere in testimonio propriæ conscientiæ, quàm pendere à iudicio et præconijs vulgi. Conscientiæ enim testimonium in conspectu Dei deponitur, & verbum eius intuetur, ideoq; infallibile est. Vulgi verò applausus incertissimus & plerunq; falsissimus. cæco enim impetu fertur & iudicio caret. Conscientiæ approbatio insignem parit in corde lætitiam, quæ confirmatur à spiritu sancto. Præconia mundi aures tantùm feriunt, & stulta persuasione inflant homines, non autem accendunt veram in corde lætitiam, in qua homo acquiescere possit. Eleganter admodum in hanc sententiam ab Augustino dictum est: Malam conscientiam non sanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat conuitiantis opprobrium. cont. liter. petili. lib. 3.

Magna ergo stultitia est, iudicium propriæ conscientiæ seponere, & ab aliorum laudibus pendere. Falsis verò doctoribus nihil est familiarius, hi vnicè hoc student, vt omnium ore celebrentur, & soli sint in admiratione: non solùm ipsi tribuunt sibi plurimum, verùm etiam ab alijs omnia sibi tribui, & pro ijs

haberi volunt, qui tamen non sunt, cùm reuera pestes sint Ecclesiæ, pro columnis veritatis cupiunt celebrari. Hoc vt obtineant, non certant laboribus, diligentia, officijs, patientia, periculorum contemptu, fidelitate: sed cùm sint ignaui fuci, sua commoda, lucra & voluptates quærunt, pericula verò Ecclesiæ magno studio declinant, singulari arte aliorum laborum fructum et gratiam ad se transferunt: alios non solùm ex alto despiciunt, verùm etiam miris calumnijs deformant & conspurcant, detrahunt aliorum doctrinæ, vitæ & donis, sua tantùm prædicant. Vbi vulgus impleuerunt contemptu & odio aliorum sincerorum doctorum, & propríjs præconijs dementarunt, tum nihil non audent: mutant doctrinæ formam: instituunt nouos ritus: serunt dissidia, & varijs modis turbant Ecclesiam, vt magni aliquid effecisse videantur. Eò impellit miseros homines ista κενοδοξία.

Grauissimas ergo causas habet Apostolus seueriter taxandi istam insaniam, & furiosam gloriæ cupiditatem: & adhortandi pios, vt caueant sibi ab illa peste, nec curent admodum, quid mundus de ipsis pronunciet. Talis enim est vita hominum vt plerumq; optimi & fidelissimi Euangelij præcones pessimè in mundo audiant & sint catharmatis habeantur: Impostores verò et verbi diui-

uini deprauatores sint in admiratione, & laudibus in cælum vehantur. Paulus apostolus sanctus & fidelis Ecclesiæ minister, pro scelerato et seditioso homine habitus fuit. Ananias Sadducæus, contemtor Dei & hostis veritatis, apud omnes in magno fuit honore. Vniuersa ciuitas irascitur Prophetæ Ieremiæ, qui summo studio Ecclesiæ & Reipub. salutem quærebat. Passim & alios pontifices tyrannos diligunt & venerantur ciues. Micha propheta bene consulens regi cæditur, & in carcerem conjcitur. Zedekias verò fanaticus propheta, seducens regem & populum, in magna est apud regem gratia & præmijs ornatur. Quicunq; ergo fideliter seruire volunt Christo & Ecclesiæ, hi coguntur prorsus contemnere mundi iudicia, & susq; deq; ferre, siue nos laudet, siue vituperet mundus. Bonorum quidem iudicia, quos constat sanos esse in doctrina, & veros Ecclesiæ ciues, & à spiritu Dei illuminatos, contemnenda non sunt. Verùm horum semper ingens est paucitas, & plerunq; occulti sunt, & vincuntur suffragiorum multitudine. Itaque calumniæ, conuicia, & criminationes nobis expectandæ sunt, pro fidelibus nostris laboribus, ijs verò nihil moueamur. Verùm difficulter hanc animi constantiam præstare possumus. Graue enim est, à mundo, hoc est, à potentibus, à sapien-

tibus, à doctis, à concilijs pontificum, à comitijs principum, ab Academiarum consistorijs, à multitudine damnari. Verùm leuare, consolari, & exhilerare nos potest conscientiæ nostræ testimonium, quod Dei verbo nititur, & à spiritu sancto confirmatur. Non enim est inanis persuasio, quando conscientia nostra in conspectu Dei, & in vera simplicitate spiritus testari audet: Tu Deus mandasti mihi hoc munus: expressum & perspicuum habeo verbum tuum, id hostes quoq; negare non possunt: Quæ aduersarij mihi tribuunt, scis falsissima esse, & nunquam in cor meum ascendisse, imò perspecta tibi est mea innocentia & fidelitas: quòd simplici corde iuxta tuum verbum coner seruire saluti Ecclesiæ. Hostis verò & calumniatoris mei fraudes, mendacia, sycophantiæ, insidiæ & tyrannis tibi nota sunt Deus. Tu ergo iudica secundum iusticiam tuam, non secundum errores, conuitia & furores mundi.

Cùm in hunc modum conscientia, verè timens Deum, & verbo Dei adsentiens, audet loqui cum Deo, ingentem experitur consolationem, quam deinde sustentat expectatio extremi iudicij, in quo ipse Deus in conspectu omnium Angelorum & totius mundi, de nostris laboribus & certaminibus & fide præstita, veriorem pronunciabit sententiam, & mundi præiudicia & sycophantarum calumnias grauissimè refutabit. Hæc seriò cogitanti in vero timore Dei, & sese oblectanti promissione de glorioso Iesu Christi ad iudicium aduentu, atq; etiam spiritus sancti auxilium & sustentationem subinde imploranti; non erit difficile, peruersum & ex insicitia, calumnijs & malitia contextum præiudicium mundi contemnere.

Cùm Paulus dicit: Vnusquisq; probet opus suum, non permittit cuilibet, vt pro suo adfectu & arbitratu pronunciet de suis laboribus & conatibus: sed ad ipsam regulam omnium operum nos remittit, nimirum ad legem, & conscientiam nostram vult regi certo Dei verbo. Conscientia examinet opus, num congruat cum præceptis Decalogi & vniuerso Dei verbo. Quod enim aduersatur Dei verbo, approbari vel excusari, vel defendi nullo modo debet. Quod verò congruit cum Dei mandato, culpari non debet. Deinde inquirat conscientia num opus factum sit in agnitione & fide mediatoris: num verè seruiat illustrandæ Dei gloriæ & ædificandæ Ecclesiæ. Exploret seipsam conscientia, an per simulationem prætendat religionem, clám verò indulgeat adfectibus: num venetur lucra, quærat voluptates, ambiat inanem gloriam, cone-

conetur sese vlcisci, & hæc agat sub prætextu religionis. Multi simulant quidem se optima lætari conscientia, verùm condemnantur expresso Dei verbo, hi non probant seipsos, sed imponunt sibi. certitudo enim conscientiæ ex verbo Dei petenda erat.

Sic (inquit) gloriam habebit in semetipso & non in alio) Hoc est, lætabitur propriæ conscientiæ testimonio, & non pendebit ab aliorum incerto iudicio, quod plerunq; adfectibus magis tribuitur quàm veritati. Idem ad Corint. dicit: Hæc est gloria nostra, testimonium conscientiæ nostræ. Ingens consolatio & gloria est Iosepho, Dauidi, Ieremiæ, Paulo, quòd sciunt sibi iniuriam fieri, & se innocentes esse in conspectu Dei. Paulus in hac nobili sententia præcipuè loquitur de officijs ministerij Euangelici, quæ subinde exposita sunt calumnijs, & varijs præiudicijs grauantur. Ministro Euangelij satis esse debet, quòd gerit conscientiam rectæ voluntatis, & quòd scit se niti expresso Dei mandato. Sed tamen rectè ad omnis generis vocationes, & ad omnes vitæ actiones accommodari potest. Ioseph innocens & falsò accusatus de adulterio, habet gloriam in semetipso, & ipse probat opus suum iuxta Dei verbum. Non pugnat cum hoc dicto sententia Ieremiæ: Qui gloriatur, in domino glorietur. Et ad Eph. 2. Ne quis glorietur. Aliud est enim gloriari de propria sapientia & iusticia coram Deo, vel etiam de alijs donis, & ob hæc seipsos efferre contra Deum, quod seuerissimè prohibitum est in primo præcepto: Aliud verò est in Deo gloriari, & lætari de puritate & innocentia conscientiæ, iuxta Dei verbum, quod non solùm licet, sed & beneficium Dei est, & donum Spiritus sancti. Gloriatio conscientiæ est approbatio facti iuxta Dei verbum, & prouocatio ad iudicium Dei. At gloriatio in sapientia, vel iusticia, vel opibus, est confidentia in mendacio, contra Dei verbum, cum contemtu Dei. diuersissima ergo sunt dicta.

Vnusquisq; proprium onus portabit) hoc est, non iudicabit nos Deus secundum sycophantarum calumnias, vel potentum odia, vel vulgi præiudicia: sed secundum facta & conscientiam nostram. Nec aliorum laudationes falsæ euehent nos in cœlum: nec aliorum criminationes depriment nos in infernum, sed iudicabit vnumquemq; secundum veritatem verbi sui, & vniuscuiusq; conscientiæ testimonium. Non est ergo quòd magni faciamus mundi, vel præconia, vel conuitia, vel commendationes, vel criminationes, cùm supremi iudicis sententia nobis expectanda

landa sit, in quo iudicio non licebit ad alios respicere, neq; aliorum testimonijs sese munire: sed vnicuiq; pro se erit reddenda ratio gestæ vitæ. Nemo alium innocentem condemnabit, nemo aliũ nocentem absoluet; sed quisq; suum portabit onus: quisq; pro se respondebit: quisq; reportabit, pro vt fecit, siue bonum, siue malum. Suprà dixit; Alter alterius onera portate, scilicet in hac vita, ferendo, condonando, corrigendo, monendo, tegendo, docendo, iuuando, consolando: hic verò loquitur de ipso Dei iudicio.

Communicet is, qui instituitur in sermone, docenti, de omnibus bonis. Ne erretis, Deus non irridetur. Quod enim seminauerit homo, hoc & metet. Qui seminat in carnem, de carne metet corruptionem. Qui seminat in spiritum, ex spiritu metet vitam æternam.

PRæceptum dat Paulus de liberalitate et gratitudine erga pastores & ministros verbi, vt liberaliter alantur, & omni genere officiorum foueantur & ornentur, ne quid rerum necessariarum, ad huius vitæ sustentationem ipsis desit. Dum enim studijs doctrinæ cœlestis vigilant, & prædicatione Euangelij, administratione Sacramentorum, et visitatione ægrotorum toti occupati sunt, labore manuum suarum alimenta & vitæ necessaria sibi & suis quærere nequeunt. Itaq; filius Dei author ministerij Euangelici sic constituit, vt qui seruiunt Euangelij ministerio, de Euangelio sua sumant alimenta. 1. Corinth. 9. Et quæ nam iustior debetur merces pro labore, quàm seruientibus Ecclesiæ prædicatione Euangelij? Labor enim hic est omnium difficilimus, grauissimus, periculis & certaminibus plenissimus. Neque vllus labor magis est necessarius mundo, nullus salubrior nec fructuosior, quàm piorum pastorum, qui Dei noticiam inter homines propagant, beneficia mediatoris exponunt, & viam ad vitam æternam perueniendi monstrant.

Immensa planè sunt beneficia, quæ pius pastor præstat Ecclesiæ, dum ostendit, quomodo ea iram Dei, mortem & peccatum effugere possit, & in omnium summis tentationibus efficacissimas & indubitatas ei offert consolationes: et tamen ea est multorum in Ecclesia illiberalitas & ingratitudo, vt licet non ignorent, pastores et ministros verbi premi inopia rerum necessariarum, nihil

nihil tamen ad eos alendos conferant. Existimant ex publico eos ali oportere, cùm publici sint ministri, Quod verum sanè est: Interea tamen cùm Magistratus, vel etiam Ecclesia sæpe, parca admodum manu, præbeat stipendia pastoribus, quibus ampla est familia, singuli auditores, præsertim locupletiores, suorum pastorum inopiæ succurrere debebant. Cùm enim pastor spirituales dapes, quæ vitam conferunt æternam, tibi suppeditet, nihil magni præstas, etiamsi vicissim doctori tuo, aliquid de cibis corporalibus, & rebus necessarijs communices. Auditores vitam debent suis pastoribus, quantò magis victus, vestimentorum, & rerum necessariarum communicationem.

Admoneant ergo sese pij sui officij, & liberalitate erga pastores & ministros verbi, demonstrent suam erga ministerium Euangelij, & beneficia Christi spiritualia, reuerentiam & gratitudinem. Catechumenos generatim hîc accipit Apostolus pro auditoribus, qui in capitibus pietatis instituuntur.

Quod dicit in bonis operibus, non sic accipiendum est, quasi iubeat omnes facultates conferre in pastores, vt omnium rerum abundantia adfluant: sed vult vt nulla in re ipsorum necessitati desimus, non patiamur illos vllius rei, quæ ad

huius vitæ sustentationem & ad alendam familiam necessaria est, inopia cruciari: sed illis et illorum familijs, quo ad victum, & vitæ necessaria, probè & liberaliter prospiciamus: omni genere officiorum illos iuuemus, promoueamus, ornemus, foueamus, vt tantò expeditius & hilariori animo sublimi officio suo fungantur.

Deus non irridetur.) Hortatur Paulus auditores, vt corde simplici & liberali, et prompto, sine omni fraude vel tergiuersatione conferant pijs pastoribus alimenta & vitæ necessaria: & ipsum Deum semper in conspectu habeant, qui sibi acceptas refert iniurias pastoribus illatas, iuxta dictum: Quidquid vni ex minimis hisce feceritis, mihi feceritis. Et ad Samuelem dicit Deus: Non te, sed me reiecerunt, ne regnem super eos. 1. Samuel. 8. Liberali igitur, simplici & candido atq; prompto animo præstanda sunt stipendia & alimenta pastoribus, pro labore cùm grauissimo, tum vtilissimo. At multi suos defraudant pastores in dandis decimis, vel persoluendis collectis: subtrahunt ministris verbi vbicunq; possunt: multi prætendunt inopias vel alias necessitates: alendam ipsis esse familiam: tributa danda esse magistratui: se ipsos egere propter annonæ caritatem. Interea tamen ad frequentes comessationes, ad luxum in vestitu

abundè ipsis suppetit. Alij etiam sub sannis miseros pastores excipiunt: obijciunt eis auaritiam: vocant eos vsurarios: remittunt eos ad scripturam, quæ iubeat eos contentos esse victu & amictu. Et tamen has ipsas res necessarias non suppeditant pastoribus illusores.

Iulianus Apostata cùm eriperet Ecclesiis & Episcopis reditus annuos, simul amaris sarcasmis eos exagitauit: scriptum est, (inquit) in lege ipsorum: Beati pauperes spiritu, quia regnum cælorum possidebunt. Ego ergo ad regnum cælorum paupertate illos permouebo. Hanc gratiam refert mundus pijs pastoribus pro summis beneficijs, & tamen magna securitate pollicetur sibi in tanto scelere impunitatem. Verùm Paulus monet in ipsum Deum redundare tales subsannationes & iniurias, nec passurum Deum vt tales defraudatores & subsannatores impunè abeant. Iulianus subsannator dudum pœnas dedit, telo diuinitus in ipsum misso confossus. Et similes Tyranni non impunè tulerunt suas fraudes. Quotidie verò irrisores illi puniuntur à Deo, non solùm corporali maledictione, vt facultates ipsorum diffluant, dissipentur & euanescant: sed & cæcitate cordis puniuntur, vt nec Deum agnoscant, nec diuinas promissiones intelligant, nec viam ad vitam æternam inueniant: sed

sed in suis tentationibus & adflictionibus destituti omni consolatione, quam à pastoribus petere potuissent, mergantur in desperationem.

Magna hæc est consolatio pijs pastoribus, quòd Deus testatur seipsum subsannari, cùm pij & fideles pastores irridentur. Agit ergo curam nostri: suscipit nostri defensionem, & prospiciet nobis & nostris familijs de victu. Quod enim seminauerit homo, hoc & metet.)

Quia homines non intuentur Deum omnium bonorum operum remuneratorem, verentur perijsse sibi, quidquid ad Ecclesiæ vsus, ad pastores alendos, ad constituendas scholas, & educandos pauperes scholasticos conferunt. Refellit autem Apostolus Epicureum istum metum insigni promissione, qua adserit fore, vt reportemus fructum copiosum omnium bonorum operum, quæ in spiritu & fide præstiterimus. Generalis autem est sententia quæ præmia promittit bene operantibus, & pœnas minatur impiè viuentibus. Idem prorsus dicit Iesaias cap. 3. prædicate iusto, quòd bene illi sit, quia fructum laborum suorum comedet. Væ impio, quia secundum opera manuum eius rependetur ei. Generalem verò sententiam accommodat Apostolus ad liberalitatem erga pastores præstandam, ac promittit illos copiosum reportaturos fructum in

sælis, qui liberaliter pauerint fideles Euangelij minisiros. Simul verò hypotheſin ad theſin transfert, vt vſitatum eſt, & de præmijs omnium bonorum operum concionatur. Docet nullum eſſe tam exiguum opus vllius Chriſtiani hominis in vera Dei agnitione, & fiducia mediatoris præſtitum, quod non copioſiſsimè compenſetur à Deo, cum in hac, tum in altera vita, corporalibus & ſpiritualibus præmijs. Innumera ſunt ſcripturæ loca, in quibus hæc Dei voluntas explicata eſt. Dulciſsima & ampliſsima filij Dei promiſsio eſt Matth. 10. Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit: Et quicunq; ad bibendum dederit vni ex minimis illis calicem aquæ frigidæ in nomine diſcipuli, amen dico vobis non perditurus eſt mercedem ſuam. Et Marci 10. Amen dico vobis, nullus eſt qui relinquit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut liberos, aut agros, propter me & Euangelion, quin recipiat centupla, nunc in hoc tempore domos, fratres, ſorores, & matres, & liberos, & agros cum perſecutionibus, ac in ſeculo venturo vitam æternam. Ieſa. 58. frange eſurienti panem tuũ & eris ſicut hortus irriguus. Non igitur dubitemus, ſi qua officia humanitatis præſtiterimus pijs paſtoribus: & ſi veræ pietati ex animo ſtuduerimus ſine hypocriſi, nos copioſum fructum ſuo

ſuo tempore reportaturos. Sæpe quidem occultat & differt Deus remunerationem, ſed nunquam obliuiſcitur noſtrorum operum. Salomo inquit Eccleſ. cap. 11. proÿce panem tuum ſuper aquas, quia poſt longum tempus eum reperies. Qui ſementem in aquis profundis facit, non proſpicit fructum: Sic licet nos laborum noſtrorum fructum non proſpiciamus, ſuo tamen tempore, modo in agnitione veri Dei, iuxta eius verbum, fiducia mediatoris officia præſtiterimus, inueniemus mercedem copioſam.

Qui ſeminat in carnem ſuam, de carne metet interitum.) Hoc eſt, qui neglectis rebus ſpiritualibus & vita æterna tantùm ſpectat terrena bona, quærit opes, voluptates, tranquillitatem vitæ, honorem, potentiam, cupit ampla patrimonia relinquere ſuis liberis, fugit pericula & ærumnas, quæ ſemper coniuncta confeſſioni veritatis, abhorret à laboribus in docendo, non ſeriò ſtudet pietati, frena etiam laxat ſuis cupiditatibus, & tantùm in hoc intentus eſt, vt carnem ſuam ſaginet & carnalia quærat, is de carne metet corruptionem & interitum, hoc eſt, ex carnali ſtudio & omni labore ſuo, nullum percipiet fructum: ſed deliberato animo & opera ſua accerſet ſibi interitum. Caro enim ſpiritum

& vitam non producit, nec perpetuò durat: sed tandem marcescit, putrefit & perit, sic omne studium carnale prorsus perit. Bileam, Eli, Saul, Achitophel, Iudas, Romani pontifices, Episcopi, pontificij & omnes Epicurei seminarunt & seminant in carnem, itaq; de carne messuerunt interitum, omni fructu suorum laborum frustrati sunt.

Qui verò seminat in spiritum, ex spiritu metet vitam æternam.) Pietati studentibus & bene operantibus promittit amplam mercedem & Dei copiosam benedictionem. In spiritum seminat, qui comprimit & compescit carnis adfectus, frangit suas cupiditates & mortificat carnem, contrà verò seriò studet veræ pietati, obtemperat præceptis Dei, bene operatur in sua vocatione, in Ecclesiastica functione, vel in politico regimine, vel in œconomia, fert ærumnas & pericula propter veritatem & iusticiam, non solùm huius vitæ commoda respicit, sed inprimis æternæ vitæ beatitudinem & felicitatem expetit, In agnitione veri Dei & fiducia mediatoris iuuat Ecclesias & scholas: fidit promissionibus diuinis: pro modo facultatum benefacit omnibus opem eius implorantibus, non mouetur hominum ingratitudine, sed acquiescit in mercede à Deo sibi promissa, hic ex spiritu metet vitam æternam, hoc est, æterna præmia impetrabit, fructum suorum laborum percipiet, qui in omnem æternitatem sit duraturus. Abraham, Isaac, Iacob, Moyses, Ioseph, Samuel, Dauid, Iosaphat, in spiritum seminarunt: Prophetæ: Iesaias, Ieremias, Amos: Apostoli: Paulus, Iacobus, Iohannes, Petrus: Martyres: Polycarpus, Ignatius, Athanasius: in spiritum seminarunt. suos enim labores et studia in spiritu præstiterunt, non quæsiuerunt carnis voluptates, aut huius vitæ bona: sed ad gloriam Dei & Ecclesiæ salutem omnia direxerunt, & iuxta promissionem futuræ vitæ felicitatem expectarunt: plerique etiam non dubitarunt pro gloria Dei & veritate Euangelij, & iusticiæ defensione vitam suam profundere, spe futurorum præmiorum. Ex spiritu igitur, hoc est, ex spirituali fide & spe, in qua pietatis officia præstiterunt, vitam impetrarunt æternam, & immensam consecuti sunt gloriam.

Quòd si pontificij ex hoc Pauli dicto contendant, bonis operibus obtineri vitam æternam, sine magna difficultate refelli possunt. Suprà enim Paulus toto Epistolæ contextu demonstrauit, non operibus legis, sed per fidem ex gratia pro-

propter Christum impetrare nos iusticiam & vitam æternam. Hæc ergo allegorica sententia contra perpetuam Pauli sententiam torquenda non est. In spiritum nemo sementem facit bonis operibus, nisi qui per Dei gratiam & spiritum sanctum iam conuersus & regeneratus est, & in hæredem vitæ æternæ per fidem cooptatus, & ipse spiritus gratis nobis collatus est. Et ipsa bona opera Dei sunt gratuita dona & fructus spiritus. Sua ergo dona in nobis coronat Deus, cùm opera nostra compensat. Copiosa quidem mercede in cælis nobis reposita, renumerat abundè omnia nostra opera, non quòd ita mereamur: sed quia in filio nos diligit, & suam vult conspici immensam liberalitatem & beneficentiam.

Hoc solùm ergo vult Pauli dictum, opera nostra spiritualia in fide facta abundè compensari à Deo in vita æterna, non autem quòd opera nostra salutem mereantur. Ex spiritu metit vitam æternam, qui vera & spirituali fide, accensa per spiritum sanctum, impetrat vitam æternam. Qui seminat in spiritum, hoc est, qui fidendo spiritui sancto, promittenti vitam æternam in verbo, benefacit alijs & bene operatur, is ex spiritu metet vitam, hoc est, à spiritu sancto per fidē impetrabit vitam æternam. Operum meritis nullo modo adscribenda est vitæ æternæ hæreditas.

Bonum

Bonum operantes non defatigemur. Oportuno enim tempore, si manus non remiserimus, metemus. Ergo vbi tempus habemus, operemur bonum erga omnes, inprimis verò erga domesticos fidei.

PRæceptum dat Apostolus, de perseuerando in studio bonorum operum, ne defatigemur aut deficiamus, sed ad finem vsq; constanter perduremus. Omnes natura pigri & socordes sumus, ad beneficiendum alijs, multis etiam modis studium nostrum benefacientdi retardatur et infringitur, dum multorum experimur ingratitudinem, sæpe pro benefactis calumnias vel plagas reportemus: multi nostra bonitate abutantur: multi beneficijs nostris indigni sint, sæpe exemplis aliorum, in quibus vel exiguum, vel nullum pietatis studium animaduertimus, mouemur, vt & nos tepidius agamus. Inprimis verò retardat, fatigat & frangit studium nostrum mundi malitia, qui pro diligenti nostro labore, fideli nostra opera, & beneficijs pio animo præstitis, conuitijs conspurcat, calumnijs proscindit, exilijs mulctat, & varijs modis nos persequitur. Hîc nisi

mens sit confirmata Dei verbo, & in Deum remuneratorem respiciat, & futuræ vitæ præmia expectet, persistere in studio bonorum operum non potest. Vnde legimus præstantes viros apud Ethnicos tandem defatigatos & fractos fuisse, hominum malitia & ingratitudine. Scipio abit in spontaneum exilium: Themistocles fugit ad Artaxerxen: Demosthenes haurit venenum: Cicero queritur se nunquam fuisse sapientem: Pompeius disputat contra Dei prouidentiam: Cato infert sibi manus: Lotharius imperator ingreditur monasterium, Hi omnes fracti fuerunt mundi malitia & ingratitudine.

Necessarium ergo hoc est præceptum, vt non solùm bene inchoemus pietatis studium: sed in eo ad finem vsque vitæ constanter persistamus, & nos nullo casu, nullis sceleribus, nullis calumnijs, nullis minis, nulla mundi ingratitudine ab eo dimoueri, vel in eo retardari patiamur. Inprimis in pijs pastoribus requiritur hoc spirituale robur & animi constantia. Dauid, Moyses, Ieremias, Paulus, Athanasius, Lutherus, nullis calumnijs, nulla ingratitudine, nulla mundi malitia mouentur, vt omittant studium pietatis, vel desistant à proposito benefaciendi omnibus.

Opportuno enim tempore metemus, si non

si non defecerimus.) Qui in medio cursu concidit, non adipiscitur βραβεῖον. Ad metam vsq; contendendum est. Manus ergo in studio operum nunquam sunt remittendæ, donec spiritum nostrum in manus Dei commendauerimus. Repetit autem promissionem de mercedis certitudine. Nō frustrabitur nos Deus. Nihil certius est quàm quòd compensaturus sit nostra opera. Etiamsi vniuersus mundus erga nos ingratus existeret, vt mundi est consuetudo, non tamen peribit fructus nostrorum laborum, siquidem Deo seruimus, non mundo: Deus in se recepit remunerationem. Eum ergo et eius infallibiles promissiones intueamur.

Proprium & opportunum tempus est, non quod nobis placuerit: sed quod Deus definiuerit, & ipsius gloriæ illustrandæ, & fidei nostræ confirmandæ opportunum visum fuerit. Atq; id tempus solet tum esse longè gratissimum.

Etsi igitur differat Deus aliquam nostrorum benefactorum remunerationem, id nos nequaquam turbare debet, nihil enim certius est, quàm staturum Deum promissis, & tempore opportunissimo & nobis gratissimo abunde ostensurum, quàm grata ipsi fuerit nostra, quamuis tenuis, obedientia. Hoc à Deo definitum tempus nobis in fide & patientia expectandum est, & non præscribendum Deo tempus aut modus.

Ipso

Ipse enim omnium sapientissimè nouit, quid faciat ad gloriæ ipsius illustrationem, & ad salutis nostræ promotionem: & nos decet hæc obedientia, vt nos totos sapientissimæ & clementissimæ voluntati diuinæ subijciamus. Ac sanè si quis hanc obedientiam detrectat, & ante tempus impatientia tumultuatur aduersus Deum, nihil tamen efficit amplius, nisi quòd suas auget miserias, & Dei prouocat iram, & propriam infringit spem opportunæ exauditionis.

Quòd si etiam Deo sic visum fuerit, remunerationem bonorum operum nostrorum differre in futuræ vitæ felicitatem, in eo quoq; decet nos acquiescere, iuxta dictum Iob: Etiamsi occiderit me, tamen sperabo in eum. Et Christus eò nos remittit inquiens: Gaudete, copiosa est merces vestra reposita in cælo. Et Paulus Rom. 8. Non sunt condignæ passiones huius temporis, si conferantur cum illa gloria, quæ in nos reuelabitur.

Qui ante tempus impatientia franguntur, vel deficiunt à studio pietatis, excidunt gratia, & frustrantur omni fructu suorum laborum et certaminum. Vnde Christus inquit: Qui perseuerauerit vsq; ad finem saluus erit. Bileam, Saul, Assa, Ioas, Iudas proditor, Nicolaus diaconus, non perseuerarunt, itaq; omni fructu suorum laborum frustrati sunt.

Ergo

Ergo vbi tempus habemus operemur bonum erga omnes,) Concludit adhortationem suam generali præcepto: Omni tempore magna diligentia, & omnibus hominibus prompto animo benefaciendum esse, vt demonstremus nos in fide sinceros & constantes esse. Sapienter autē monet momenta temporum, & occasiones oblatas obseruandas esse. Agricolæ accuratè obseruant tempus agriculturæ & sationi aptum, & prouerbium cap. 20. cauent: præ frigore piger non arat, mendicabit ergo in æstate, & (panem) non inueniet. Ita singulos in vocatione oportet obseruare tempus, & occasionem oblatam rei bene gerendæ. Non enim semper datur nobis facultas res præclaras agendi: Nocte ingruente nemo laborare potest: sic persecutione sæuiente, vel lue grassante, vel bellis omnia vastantibus, nec Ecclesiæ constitui, nec scholæ exornari, nec studia literarum excoli, neq; iuuentus accuratè institui potest. Aliàs potentum odijs, aliàs exiliorum miserijs, aliàs calumniatorum fraudibus, aliàs falsorum fratrum perfidia, aliàs valetudinis imbecillitate impedimur, quò minus ea perficere possimus, quæ in Dei gloriam & Ecclesiæ salutem præstare cuperemus. Tempora ergo pacis, bonæ valetudinis, mediocris status rerum nostrarum

rectè

recte & sapienter collocemus, nos quidem in nostra vocatione, legendo, docendo, scribendo, sacras literas explicando, Ecclesias visitando, iuuentutem fideliter instituendo & errores fanaticorum refutando. Erit aliquando tempus, inquit Paulus 2. Timoth. 4. quando sanam doctrinam non sustinebunt. Sic politicus aliquis gubernator, princeps vel consiliarius, non negligat tempus & occasionem aliquid boni agendi, constituendi scholas, ornandi Ecclesias, reprimendi fanaticos, promouendi fideles verbi ministros.

Sic paterfamilias non negligat occasionem instituendi liberos in pietate. Etiam hoc monet Apostolus, pauperibus liberaliter benefaciendum esse, dum opes in nostra sunt potestate: non semper futuri sumus domini facultatum. Apostolus Paulus aliquoties monet tempori seruiendum esse, vt Rom. 13. & Eph. 5. iubet redimere tempus. In his præceptis monet occasionem ædificandi Ecclesiam & propagandi veritatem non negligendam esse. Mundus planè in contrariam sententiam iubet suos seruire tempori, videlicet inflectere sese ad latus nauis felicius, & confessionem & religionem accommodare ad statum temporum & potentum arbitria, id verò prohibet secundum decalogi præceptum.

Erga omnes.) Quia Christus iubet etiam inimi-

inimicos diligere, Ac sanè quicunq; nostro eget officio & ope proximus noster est. Benefici & liberales esse debemus erga omnium religionum homines, vt inuitentur ad veram fidem, vtq; demonstremus nos esse veros filios patris cœlestis, qui sinit solem suum oriri super bonos & malos.

Maximè erga domesticos fidei.) His in primis benefaciendum est, qui nostræ sunt religionis, et qui membra sunt corporis Iesu Christi. Ipsi enim Iesu Christo præstamus beneficia, quæ in sanctos conferimus in fide; Impÿ plerunq; nostris beneficijs abutuntur, nec tamen in necessitate deserendi sunt, cùm citra iacturam sanctorum iuuare eos possumus.

Videte qualibus literis scripsi vobis mea manu. Qui placere volunt iuxta faciem in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantùm vt ne persecutionem sustineant cruce Christi. Neq; enim ipsi circumcisi legẽ seruant: sed volunt vos circumcidi, vt in carne vestra glorientur.

IVbet eos attendere, quanta sollicitudine cupiat eos reuocare in viam, & hortatur, vt hanc Epistolam non oscitanter nec perfunctoriè legant: sed

ſed expendant ſingula. Depingit deinde falſos Doctores, & monet vt eorum fraudes diligenter obſeruent. εὐπροσωπῆσαι bene placere volunt iuxta faciem in carne, hoc eſt, videri volunt humaniſſimi, adfabiles, non morоſi, non rigidi, ſed faciles, blandi ſermone, ſuauiſſimi, qui multa vobis concedant. Apoſtoli habentur duri, auſteri, ſtoici, intractabiles, non frequentant ſympoſia vt alij, non accommodant ſeſe potentum voluntati, non colludunt cum impijs. Non enim venantur hominum gratiam: ſed doctrinæ veritate & morum ſanctitate, & muneris ſui diligentia Eccleſiam ſibi deuincire conantur. Ac ſanè hæc ratio durabilem adfert fauorem & gratiam: Simulata verò non durant diu.

Hæc verò nota falſorum doctorum, quòd toti in hoc ſunt, vt hominum fauorem & applauſum aucupentur, obſeruanda hîc eſt. Hoc egerunt Phariſæi, Samoſatenus, Arrius, Neſtorius, Macedonius, Oſiander, Caluinus, Victorinus Strigelius, hi omnes hoc ſtuduerunt, vt ſermonis illecebris, πιθανολογίαις, χρηστολογίαις, εὐλογίαις & varijs blanditijs atq; etiam obtrectationibus, et contemptu aliorum doctorum, quos extremè deformant, diſcipulos poſt ſe abducerent. Veri autem doctores hoc agunt, vt in conſcientia Deo probent fidem, qualiacunq; ſint mundi iudicia.

Cogunt

Cogunt vos circumcidi.) Altera nota eſt falſorum doctorum: ſunt valde imperioſi, non rogant, non monent, non monſtrant fundamenta, ſed ſimpliciter imperant conſcientijs. Sic Pontifices, Epiſcopi, Monachi, Anabaptiſtæ, Adiaphoriſtæ ſimpliciter volunt ſibi adſentiri, non permittunt vt inquiramus ſcripturæ fundamenta: ſed valere volunt illud αὐτὸς ἔφα. Adiaphoriſtis & Caluiniſtis, ſi obſerues, nihil eſt imperioſius.

Tantùm vt ne perſecutionem ſuſtineant, cruce Chriſti.) Hæc tertia eſt nota falſorum doctorum: nolunt ſeſe exponere odijs hominum, & varijs periculis, declinant crucem Chriſti, quocunq; modo poſſunt. carent enim fide: & ſunt animalia ventris, non habent ſpem vitæ æternæ, Idcirco abhorrent à cruce Chriſti & excogitant tale doctrinæ genus, quod non ſit expoſitum odijs hominum, & quod pericula attrahat. In ſumma Chriſtum & Euangelion docere conantur ſine cruce, Itaq; inflectunt illud ad arbitria hominum. Hæc valde inſignis eſt nota. Quomodo enim crederent ſe per crucem Chriſti ſaluari, qui crucem Chriſti opprobrium ſtatuunt?

Etſi igitur magnis verborum ampullis iactitent, ſe nihil aliud ſpectare, quàm gloriam Dei,

se tueri velle legis autoritatem, se sollicitos esse de Ecclesiæ ædificatione & hominum salute, se consulere velle teneris conscientijs: tamen reuera hac præcipuè causa mouentur, vt subducant sese cruci & declinent omnia pericula, & opibus suis in pace frui possint.

Tempore interim Adiaphoristæ clamitabant: Non esse deserendas Ecclesias propter ceremonias: non dandum esse locum lupis & falsis doctoribus: non esse accersenda pericula sine causa: Imbecilliorum conscientijs consulendum esse: Imperatorem posse moueri nostra concessione, vt ferret Euangelion & alia multa: sed reuera hæc suberat causa, præsens periculum effugere conabantur. Euangelion quærebant sine cruce, metuebant exilia & persecutionem. Tandem ergo fraudem istam detexit Deus. Hæc nota in omnibus falsis doctoribus conspicitur. Cùm enim spe futuri seculi sese non sustentent, quomodo subirent pericula & ærumnas propter veritatem: Imò non solùm omnibus modis & quacunq; conscientia pericula & persecutiones declinant, verùm etiam pijs & constantibus pastoribus exilia & ærumnas tanquam probra obijciunt, in quo sanè Christum, Prophetas, Apostolos, Martyres & omnes sanctos damnant.

Neq;

Neq; enim ipsi circumcisi legem obseruant.) Ostendit merum esse fucum, quòd tantis clamoribus legis authoritatem prætexunt, quasi adeò de legis obseruatione essent solliciti. Ipsimet enim circumcisi non seruant legem. Circumcisio tantùm est particula legis. Si lex vrgenda est, omnino tota seruari debet. Qui enim peccat in minimo omnium est reus. Lex verò est spiritualis, quam nemo implere potest in hac vita. Quod ergo potissimum est in lege, hoc omittunt, videlicet fidem, dilectionem, patientiam, timorem Dei. Nihil ergo iuuat eos circumcisio ad iustificationem. Qui enim circumciditur ea opinione, quòd per eam conetur iustificari coram Deo, debitor est totius legis. Circumcisio valet, inquit Paulus, si totam legem obserues. Si vis circumcisionem tibi prodesse ad iustificationem, vniuersa lex in omnibus præceptis tibi præstanda est. Opus enim non valet in iudicio Dei, nisi coniunctum sit cum integra legis impletione. Hæc verò cùm prorsus sit impossibilis, merus prætextus est, quòd circumcisionem vrgent, cùm aliud quærant.

Vt in carne vestra glorientur.) Hæc quarta est falsorum doctorum nota. Non gloriantur in Domino, in spiritu, in veritate, in cruce Christi, in afflictionibus vt Apostoli: sed in

carne vestra, quòd vos habeant morigeros, quòd vos revocarint à Pauli doctrina ad legis observationem, quòd circumcisi sitis iuxta ipsorum doctrinam; atq; sic vestra obedientia suam volunt stabilire doctrinam, & causam & existimationem suam tueri, quæ tantùm est carnalis gloriatio. Caluinistæ gloriantur, quòd multa regna & Academiæ cum ipsis sentiant: quòd multa hominum millia propter ipsorum doctrinam periclitentur.

Adiaphoristæ gloriantur, quòd multi principes & viri doctissimi stent ab ipsorum partibus. Pontificij gloriantur de suis successionibus, ordinibus, regulis: & quòd habeant ecclesiam in omnibus obedientem, quicquid Tyrannus Romanus imposuerit. Hoc aliud nihil est, quàm in aliorum carne gloriari.

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quam mundus mihi crucifixus est, & ego mundo, nam in Christo Iesu neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed noua creatura.

Dissimilitudinem inter se & pseudoapostolos monstrat. Ego, inquit, in carne vestra gloriari

ari non cupio. Qui enim in carnem seminat de carne metet interitum. Vnica mea gloriatio est in cruce domini nostri Iesu Christi, quòd vnigenitus Dei filius pro me crucifixus est, & me sanguine suo à peccato & morte liberauit. Hæc verè Apostolica & spiritualis est gloriatio. Summa enim vestra laus & felicitas est, quòd Dominus noster Iesus Christus pro nobis est passus, et quòd per crucem ipsius Deo reconciliati, & hæredes vitæ æternæ constituti sumus. Vera etiam gloriatio est in adflictionibus, exiliis & persecutionibus sanctorum. Sic enim conformes efficimur imagini filij Dei: adflictiones nostræ cedunt in laudem & gloriam Dei: per eas augetur in nobis fides, inuocatio, patientia, humilitas, dilectio Dei. Et ipse Christus testatur, nostra exilia, ærumnas, probra, persecutiones, suas esse passiones. Ad Paulum de cælo inquit: Saule, Saule, quid me persequeris? Et ad Samuelem: Non te, sed me reijcerunt, ne regnem super eos. Et in Zachar. Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Et in Euangelio: quicquid vni ex minimis hisce feceritis, mihi feciftis. Psal. 91. Cum ipso sum in tribulatione. Ergo nostra calamitas, Christi est calamitas. Quæ potest autem maior gloria contingere homini, quàm vt sit socius ærumnarum Christi? Ingens gratia & decus no-

strum est, quòd vnigenitus Dei filius fatetur ad se pertinere, & sua causa fieri, quidquid mali nobis euenit. Ac si cum Christo adflictionem sustinemus, cum ipso etiam glorificabimur. Spiritualis igitur & vera gloriatio est, gloriari in cruce Iesu Christi.

Per quem mundus mihi crucifixus est.) Caluinus legit: per quam crucem. Nos Lutherum sequimur, eodem recidit: propter Christum, & quia ille crucifixus est, mundo renunciamus. Magnifica autem hæc est vox, quæ non potest, nisi ex magno spiritu, & vera fiducia in afflictionibus, proficisci. Mundus non significat, certum aliquem ordinem hominum, sed totum genus humanum & omnia quæ sunt mundi, & à mundo proficiscuntur, vt sunt non solùm opes, voluptates, honores, potentia, amici, existimatio, commoda, vita, liberi, vxores, & quicquid nobis carum est in mundo, verùm etiam iudicia magnorum principum, censuræ celebrium Theologorum, minæ Tyrannorum, & in summa quidquid vniuersus orbis boni vel mali habet, hoc totum pro re mortua habere, & eo non magnopere adfici, profecto magnum est, & à carne, quæ mundum magni facit, præstari nequit. Nos sæpe leui aliquo periculo impendente valde

valde turbamur, si vnius homuncionis conuitium, vel ignominiosum audiamus præiudicium, admodum molestè id ferimus, & iram concipimus. Si Tyranni nobis minitentur exilia vel supplicia, vehementer contremiscimus: Si concilia, Academiæ, aulæ potentum, comitia Imperiorum, falsorum fratrum conuentus nos condemnant, & vulgus aduersus nos fremit, & frendet, bone Deus, quanti dolores cientur in corde nostro? qualis existit in nobis trepidatio? Hinc colligere possumus, mundum nobis nondum penitus crucifixum esse. Petamus ergo vt filius Dei suo spiritu in nobis augeat fidem, & zelum & robur animi.

Paulus gloriatur mundum sibi crucifixum esse, hoc est nihili se facere totius mundi iudicia, encomia, conuitia, minas, pericula, condemnationes, & quidquid mundus præstare potest. Quia mundus non plus potest, quàm ei à Deo permittitur: nec mundus vltimam fert sententiam sed Dominus noster Iesus Christus iudex est viuorum & mortuorum. Mirum est autem Paulum tam magnificè de se gloriari, perinde ac si nullas sentiret infirmitates. Quando Paulus damnatus fuit à toto collegio sacerdotum, à populo, à Festo, à Cæsare, à falsis fratribus, à Pseudoapostolis, an putas cor eius

commotum non fuisse, & nullas sensisse trepidationes? Quia carnem adhuc circumtulit, negare id non potuit, & omnes sancti experiuntur infirmitates. Dauid inquit Psal. 42. Quasi latrocinium est in ossibus meis, cùm exprobrant mihi, qui tribulant me inimici mei, dicentes mihi per singulos dies: vbi est Deus tuus? Sic ergo accipiendum est, quòd hæc secundum spiritum & nouum hominem pertulerit, vtut caro secus affecta fuit. Et sancti aliás alacriores & fortiores sunt, aliás deiectiore & tristiore animo. Non semper par claritas fidei, neq; par robur spiritus lucet in sanctis. Aliquando sic lætãtur in spiritu, & confirmantur consolationibus, vt totum mundum & omnium Tyrannorum minas nihili faciant: Aliquando ad vnius ancillæ vocem consternantur, sed mox sese recolligunt. Non ergo nobis desperandum est, etiamsi infirmitates nostras sentiamus. Paulatim & nobis mundus crucifigitur, in exilijs & afflictionibus, dum animaduertimus mundi fraudes & perfidiam, & videmus huius vitæ bona fluxa & caduca esse. Qui prorsus nihil curat, siue sit pauper siue diues, siue sit in honore, siue contumelia afficiatur, siue viuat siue moriatur, imò qui expetit dissolui & esse cum Christo, ei mundus est crucifixus. Et hoc paulatim fit, vt nobis mundus crucifigatur,

tur, dum vetus noster homo, per varias tribulationes mortificatur, & desiderium vitæ æternæ in nobis accendatur.

Et ego mundo.) Vicissim me mundus habet pro mortuo, nihil me facit, non putat me vsui esse hominibus, quin potius censet me esse catharma, impedimentum pacis & facem omnis dissidij & tumultuum, cuperet me sublatum è mundo, & omnem mouet lapidem, vt me tollat è medio, nec quiesceret mundus donec me opressérit. Perinde est igitur ac si me iam cruci affixisset, mihi enim cum mundo conuenire non potest. Ita etiam crucifixus sum mundo, vt nullam amplius spem in mundo habeam, nihil à mundo expectem. In Christo enim viuo, & ab ipso vitam æternam & omnia expecto.

In Christo Iesu enim neq; circumcisio neq; præputium valet, sed noua creatura.) Rationem addit cur mundus illi sit crucifixus, quia nec Iudaismus nec gentilismus commendent nos Deo, non promouent nostram salutem, non faciunt quidquam ad impetrandam vitam æternam, non reddunt nos idoneos regno Christi. Paulus nihil spectat, nihil expetit, nihil curat, nisi Christum Iesum & regnum eius. Omnia enim reliqua mundana, caduca & momenta-

mentanea sunt. In Christo verò omnis & æterna salus est sita, omnes thesauri sapientiæ reconditi sunt in Christo, omnis beatitudo & vita, omnis gloria & lætitia reposita est nobis in vnico saluatore Iesu Christo. Cùm ergo neq; circumcisio, neq; præputium quicquam faciant ad regnum Christi & iusticiam eius, quid illis mouerer. Per circumcisionem tota politia mosaica intelligenda est: per præputium totus gentilismus: quicquid humana sapientia, industria, virtus, diligentia, iusticia excogitare, præstare & efficere potest, cum in Iudaismo tum in gentilismo, hoc totum nihil iuuat ad obtinendam iusticiam coram Deo, & vt fias particeps regni Christi. Non enim est noua creatura, sed ad veterem hominem pertinet. Valde quidem absurda videtur rationi & non rectè institutis in doctrina Christi, hæc vox Apostoli: leges & ceremonias, disciplinam, studia, sapientiam, heroicas virtutes, nihil valere in Christo: Attamen verissima est Pauli sententia. Si enim lege, disciplina, obedientia, virtute possemus obtinere iusticiam coram Deo, Christo mediatore non fuisset opus. Quia verò filius Dei datus est nobis in salutem, nostris operibus prorsus nihil tribuendum est. Aeterna illa disciplina & virtus continet quidem hominem in officio ciuili, frenat cupiditates, præstat externam obedientiam, & plurimum valet in mundo ad ci-

uilem vitam: sed in Christo nihil valet, non reconciliat nos Deo, non est iusticia coram Deo, non dat spiritum sanctum, non innouat nostram naturam. Quando Pharisæus Luc. 18. diligentissimè vixit secundum legem, vt ipse commemorat: tamen nihil nisi caro manet, & vetus homo obnoxius morti, alienus à Christo. Quando Lælius & Pomponius Atticus vitam suam sapientissimè instituerunt, manet tamen caro obnoxia morti, non reconciliantur Deo, non pronunciantur iusti, non accipiunt S. sanctum, non fiunt hæredes vitæ æternæ. Quidquid igitur religionum, operum, legum, ceremoniarum, exercitiorum, sacrificiorum, ordinũ in toto hoc mundo est, hoc nihil valet in Christo, hoc est, ad impetrandam iusticiam coram Deo, et obtinendam vitam æternã. hæc enim in solo Christo nobis constat. Nec tamen hinc sequitur, leges, opera, iusticiam, studia, exercitia, diligentiam prorsus nullius esse vsus, imò plurimum valent, nimirũ ad vitanda pericula & pœnas, ad tuendam pacem in politia, ad bonum ordinem in Ecclesia, ad regendam familiam, ad instituendos liberos, ad impetranda huius vitæ multiplicia commoda: Sic circumcisio valuit in populo Israël ad distinguendum populum à gentibus: ad obsignandam fidẽ: ad commonefaciendum Iudæos de naturæ impuritate: sed nõ ad impetrandã iusticiã, quam solus filius Dei sua morte nobis meruit,

& per

& per fidem nobis confert. Si circumcisio à Deo mandata nihil est in Christo, ergo nulla doctrina, nulla lex in toto mundo est, quæ in Christo Iesu quicquam valeat. Omnes enim leges humanæ longe sunt inferiores lege diuina. Ergo totus papatus, omnes Monachorum ordines, cum omnibus operibus & ceremonijs, nihil valent in Christo Iesu.

Sed noua creatura. Ad iusticiam in Christo obtinendam, prorsus noua creatura, nouo mundo, nouo homine est opus. Vetus enim natura per peccatum corrupta est, deprauata est. Circumcisio, Lex, Ceremoniæ, exercitia, ordines, opera, sapientia, philosophia, & quicquid est in mundo, non innouat hominem. Ergo nihil iuuant in Christo ad iustitiam & vitam. Christus verò omnia facit noua. Quasi nouum mundum creauit Deus, quando edidit promissionem de Christo: semen mulieris conteret caput serpentis. Lex amplius iuuare non poterat, sed tantùm damnabat: Ratio nihil videbat consilij, quomodo homo emergere posset ex peccato. Nouam ergo reuelauit Deus sapientiam, nouam condidit Ecclesiam, nouum constituit regnum in verbo, noua edidit opera, recipiens Adam in gratiam, & retrahens hominem ex morte: nouam condidit naturam, inspirans nouam lucem, vitam, pacem, lætitiam

lætitiam in Deo per spiritum sanctum: ac tandem nouum cœlum, & nouam terram faciet Deus, in qua habitet iusticia & sanctitas. Efficit autem ista Christus per verbum, sacramenta & spiritum sanctum, & planè nouos homines creat, qui aliter sentiant, iudicent, viuant, credant, sperent, laborent, beneficiant, quàm antea in veteri carne. Totum regnum Christi complectitur, quando nominat nouam creaturam. Sic 2. Cor. 5. Si quis est in Christo, noua est creatura, vetera transierunt. Ephes. 2. Conditi sumus in Christo Iesu ad bona opera. Noua ergo sapientia, luce, noticia Dei, nouo cordis motu & spiritu, nimirum fide acquiescente in promissione Euangelij, opus est vt saluemur per Christum. Sic nouum cantabimus canticum, quia mirabilia fecit Dominus.

Quotquot huic insistunt regulæ, pax super eos & misericordia, & super Israelem Dei. Deinceps nemo mihi molestiam exhibeat. Ego enim stigmata Domini Iesu Christi, sit cum spiritu vestro fratres, Amen.

Ex Roma scripta est ad Galatas.

Graui

Graui atteſtatione & precatione concludit hanc Epiſtolam. Vocat hanc epiſtolam ad Galatas, in qua doctrina Eccleſiæ, & præcipua pietatis capita copioſè & neruosè expoſuit, REGVLAM, ad quam noſtram fidem & vitam examinare debemus. Sicuti enim architecti certa vtuntur amußi ſeu regula, iuxta quam ſingulas partes ſuæ ſtructuræ adaptant, & ſi quid deflectit, iuxta regulam dirigunt, vt omnia iuſta conſtent ſymmetria: Ita filius Dei caput Eccleſiæ, & conditor Eccleſiæ ſuæ, Apoſtolis ſuis certam dedit doctrinæ formam, iuxta quam velit vocari homines ad pœnitentiam, & colligi atq; ædificari Eccleſiam. Non permittit Apoſtolis vel paſtoribus, vt excogitent nouũ doctrinæ genus: vt pro ſuo arbitrio pronuncient homines iuſtos: vt autoritate propria condant fidei articulos: ſed alligat eos ad certam regulam. Docete, inquit, eos ſeruare omnia, quæ præcepi vobis. Matth. 28. Hæc regula eorum exiuit in omnem terram. Pſal. 19. Sciamus ergo hoc vnicum eſſe firmum & indubitatum fundamentum noſtræ fidei, nimirum doctrinam Apoſtolorum & Prophetarum, quæ teſtimonio Ieſu Chriſti ſtabilita, ſtupendis miraculis Dei confirmata, & S. ſancti autoritate corroborata eſt. Quidquid ab hac regula fidei diſcrepat, hoc falſum, hoc adulterinũ, hoc impium eſt. Hinc haud dubiè deſumpta eſt appellatio ſcripturæ canonicæ, eò quòd ſit regula certa fidei noſtræ. Certum enim & indubitatum eſt Dei verbum, quidquid Prophetæ & Apoſtoli nobis ſcriptum reliquerunt. Ad hanc normam omnes controuerſiæ de religione, omnia conſilia, omnes actiones, omnes conatus, omnium hominum decreta & ſcripta examinanda ſunt. Omnibus verò qui huic canoni, hoc eſt, certæ formæ doctrinæ Apoſtolicæ inſiſtunt, optat Apoſtolus pacẽ & miſericordiam, quo voto ſignificat, eos, qui in agnitione mediatoris Ieſu Chriſti, iuxta doctrinam Apoſtolorum perſiſtunt, miſericordiam, h.e. gratuitam peccatorum remiſſionem & iuſticiam coram Deo: & pacem, hoc eſt, pacem conſcientiæ, S. ſanctum, conſolationem, defenſionem, gubernationem & ſalutẽ æternam, certò per fidem à Deo impetrare. Eos verò qui ab hac rectiſſima fidei regula, & indubitata religionis fundamẽto recedũt, ac ſeſe vertunt ad commenta humanorum ingeniorum, ad fanaticorum hominũ præſtigias, ad inanis philoſophiæ deliramenta, eos excidere Dei gratia, manere ſub ira Dei, & deſtitui omni vera ſalute, iuxta dictum primo capite: Si quis aliud Euangelium docuerit, quàm ego paulus docui, etiamſi Angelus de cœlo fuerit, ſit Anathema.

Et ſuper Iſrael.) Simul pro tota Eccleſia, quæ verus eſt Iſrael, amplectens doctrinam ab Iſra-

ab Israele traditam, precatur, dum vota facit pro piè sentientibus, & in veritate incorrupta constanter persistentibus, vt æternus pater propter filium perpetuò pacem & misericordiam suam præstet vniuerso Israeli: Ac simul indicat hunc verum esse Israelem, qui incorruptam doctrinam Apostoli Pauli complectitur, sine omni humano fermento, & eam constanter tuetur.

In reliquis nemo mihi molestiam exhibeat.) Alij interpretantur deinceps. Vtraq; sententia satis est commoda. Cùm solida monstrauerit fundamenta salutis, vult vt hisce acquiescamus. Sunt qui sine fine & modo quæstiones & rixas mouent, & pijs doctoribus subinde molestias exhibent, hoc compescit & retundit. De reliquis quæstionibus & contentionibus, quæ ad fidei fundamentum non pertinent, dicit se non esse sollicitum, & in ijs vult nullas sibi exhiberi molestias. Monet etiam vt deinceps sibi parcatur. Non enim sine fine rixandum est. Cùm solidæ erroris refutationes & falsitatis causa ex verbo Dei monstrata est; cedendum est veritati, parcendum Ecclesiæ & pijs pastoribus. Qui litem ex lite serunt, & cùm refutati sunt, noua quærunt effugia, & varia texunt sophismata, hi palàm ostendunt, se non quærere veritatem,

tem, nec de salute sua & Ecclesiæ in timore Domini sollicitos esse, itaq; missi faciendi sunt tales.

Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.) Stigmata notæ sunt, quæ facinorosis inuri solent. Stigmata Domini Iesu sunt contemtus in mundo, conuitia, ærumnæ, calumniæ, exilia, persecutiones, odia potentum, carceres, adsidua pericula à falsis fratribus, terriculamenta quæ obijcit pijs Satan, omnis generis cruces & afflictiones, quibus fideles verbi ministri exercentur. His notis insignire solet rex noster Iesus Christus suos fideles, in primis Apostolos, Prophetas & verbi sui doctores, vt ipsos conformes reddat suæ imagini, vtq; multorum cordium cogitationes reuelentur, & vt separet eos à mundo.

Magni principes certis tesseris suos milites & ministros insignire solent. Habet noster rex sua symbola: sed admodum diuersa à mundanis, vtpote ignominiosa coram ratione: At omnis decor venit illis inde, quòd stigmata sunt Domini Iesu, h.e. quòd propter Dominum Iesum hæ notæ à mundo nobis inuruntur, & quòd harum contumeliarum socium & remuneratorem habemus. Cùm autem Apostoli & pastores assiduè affligantur varijs modis à mundo, continuis exerceantur ten-

tationibus, & tantùm non excrutientur cum à Tyrannis tum ab hæreticis, in primis à falsis fratribus, æquissimum est eis parci quantum fieri potest. Ac sanè magno sese inuoluunt peccato, qui sine causa pijs pastoribus, plus satis oneratis, molestias augent inutilibus rixis, vel infinitis quæstionibus.

Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum spiritu vestro fratres, Amen.)

Vt in exordio Epistolæ gratiam & fauorem Dei optauit, per Dominum nostrum Iesum Christum: ita & concludit hanc Epistolam hoc voto. Sic nos beatos censet & fratres suos agnoscit Apostolus, si gratia Christi sit cum nostro spiritu, hoc est, si noster spiritus in gratia Iesu Christi totus recumbat.

Tu ergo Domine Iesu illumina nos tuo sancto spiritu, accende in nobis notitiam tuorum beneficiorum, obsigna in nobis hanc Apostoli Pauli serui tui doctrinam, quæ tua est æterna & indubitata veritas: esto nobis propitius propter tuum sanguinem, pro nostris effusum peccatis, & per fidem transfer nos in vitam æternam, vt æterno patri, tibi filio coeterno, & spiritui sancto, cum omnibus electis gratias agamus, Amen.

Loci

Loci Doctrinæ.

1. De bonis operibus, quòd aliorum infirmitates portare, & singuli mansuetudini, & misericordiæ studere debeant, vt Christi legem impleant.

2. Quòd in omnibus sanctis magnæ hæreant infirmitates in hac vita, quæ & spiritu lenitatis corrigendæ & sapienter ferendæ sunt in alijs.

3 Inanem persuasionem & præsumtionem abijciendam, & potius propriam imbecillitatem agnoscendam: etiam cauendum esse ne in securitatem prolapsi tentemur.

4. Veram esse gloriationem cùm nostram examinamus conscientiam, & opus nostrum cum Dei verbo conferimus.

5. In extremo iudicio ante tribunal Dei, quisq; de suis consilijs, conatibus, actionibus rationem reddet, neq; aliorum calumniæ tum nos grauabunt: neq; aliorum encomia vel excusationes nos subleuabunt.

6. Auditores doctrinæ cælestis sint liberales & benefici erga suos pastores, à quibus in capitibus pietatis fideliter instituuntur.

7. Quicunq; indulget carnis suæ affectibus, is nihil emolumenti, sed interitum certissimum inde percepturus est.

8. Deum omnia nostra bona opera, & in primis beneficentiam erga pios pastores amplis præmijs compensaturum esse.

9. Committendum non esse, vt frangamur hominum ingratitudine, aut mundi malitia à studio benefaciendi absterreamur.

10. Occasionem iuuandi Ecclesiam & scholam, & benefaciendi alijs, non esse negligendam.

11. Omnibus hominibus in primis domesticis fidei pietatis officia præstanda esse.

12. Quæ sint notæ falsorum doctorum. 1. Omnibus modis hoc agunt, vt in faciem placeant hominibus, vt habeantur humani, faciles, blandi, moderati, studiosi pacis, eruditi, &c. 2. Imperiosè agunt cum auditoribus, vbi animaduertunt se haberi in precio. 3. Omni conatu fugiunt crucem Christi. 4. In aliorum carne gloriantur: laudi sibi ducunt, quòd auditores habeant ad omnia obsequentes.

13. Pijs mundus est crucifixus, & vicissim pij mundo, itaq; tantùm in cruce Christi gloriantur.

14. In Christo Iesu neq; circumcisio neq; præputium quicquam valet, sed tantùm noua creatura.

15. Qui

15. Qui iuxta regulam fidei, quam Paulus tradit, ambulant, hi veri sunt ciues Ecclesiæ, & impetrant à Domino Iesu misericordiam & pacem. Hanc nobis quoq; largiatur Dominus Iesus, Immanuel & redemptor noster, per Spiritum sanctum suum.

Amen.

FINIS.